Magni
Hyppocra
tes
Medico-
Moralis

12247/B Ax.o.2

£3

LB1
Cal 72-45

A


OCCASIO
Ars Longa
VITA BREVIS
P.Cesar Bonacina del.
Nobilis de Piene Sculp Taur.

56819

MAGNVS HIPPOCRATES MEDICO-MORALIS

Ad vtramque
Corporum ſcilicet, atque Animarum ſalutem per geminam eiuſdem Aphoriſmorum expoſitionem accommodatus

AVTHORE
FRANCISCO DOMINICO BARISANO
Albæ Pompeiæ Ciue, Doctore Phyſico Collegij Taurinenſis,
SERENISSIMORVM PRINCIPVM
EMANVELIS PHILIBERTI AMEDEI, &
LVDOVICI IVLII A SABAVDIA
Medico ordinario.

Opus ſub auſpicijs
EXCELLENTIÆ D.D. GABRIELIS A SABAVDIA
Vniuerſis Medicis, & ſacris potiſſimùm Oratoribus non minùs vtile, quàm iucundum.

AVGVSTÆ TAVRINORVM MDCLXXXII.

Ex Typographia Bartholomei Zappatæ.
Superiorum permiſſu.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY


D. GABRIEL A SABAVDIA ÆT. LXII EXCELL.^mus ET INVICTISS.^mus HEROS
Cæsar Bonacina ad uiuum del.
G. Tasniere Sculps. Taurr.
Castra, uel Astra sequens Mars est, et Juppiter alter
Quippe Iouis mentem, pectora Martis habet

Illuſtriſs. & Excellentiſs. Heroi Inuictiſſimo

D.D. GABRIELI A SABAVDIA

TOTIVS MILITARIS ORDINIS REG. CELS.

VICTORII AMEDEI II.

PRÆFECTO GENERALISSIMO.

VITA hominis militia eſt. Quandiù viuimus, vel nolentes militari ſumus in agone, & circumuallati cogimur ad prælia: Vndequaque hoſtiles ſentimus inſultus, quos vel in corporis acie irrequieti ſuſcitant humores, vel in mentis arce coniurati, ac rebelles iterant affectus: Vtrobique dimicatur, nec vllam vnquam procul ab inſidijs ſedem ſibi coaptare potuit Mortalium vita, corporis, atque animi languoribus frequentiſſimè impetita; Hinc conflictus varij, hinc diuerſæ panduntur victoriæ, hinc ſauciatæ valetudinis vulnera, hinc vulnerata mentis æquitas, illic, ſi triumphatum eſt, corporis robur, hìc trophæi loco candor eſt animi. Ea propter, vnica non ſufficit pugna, vbi

cum morborum claſſibus conſerenda arma, & cum perduellibus animi motibus confligandum, vt integra ſit palma, & numeris omnibus abſoluta victoria. Cum igitur Heros Excellentiſs. huiuſmodi prælia benè gerendi Artem rudi meâ Mineruâ aperiendam ſuſceperim, tumultuarios ſcilicet, ac infeſtos animi, corporiſque motus oppugnare decreuerim; verearque, grauibus tenuis ingenij mei coniecturis, ne tanto oneri minimè ſatisfecerim, conſultum duxi opuſculum hoc excelſo Vultus Tui charactere inſignire, & formidabili ſimul, ac vniuerſim dilecto Excellentiæ Tuæ Nomine prætueri, vt non modò Liber hic meus tanti Męcenatis clientelâ munitus, tutus poſſit palam prodire; ſed eâ ratione potiſſimùm, vt vnico obtutu Lectores ideam hauriant, & exemplar colant, vnde militarem intus, & extra hanc certandi, ac vincendi methodum percipiant, vt Medica ſcilicet claſſis eâ diſcat Mineruæ fortitudine morbos profligare, quâ, inconcuſsâ dexterâ, hoſtes ad excidium vſque debellare conſueſcis; mox diſcant vniuerſi in ampliſſimo hoc Mundi campo militantes eâ prudentiâ, & æquitate perturbatores affectus intus compeſcere, quâ diſſonos, & rixantes animos ſuauiſſimâ, ac prudentiſſimâ ſoles authoritate componere: Cum neminem lateat martiale robur, quo ſingulos hoſtium niſus retundis, & æquitas illa animi

mi ad omnem pacis amorem compoſiti; quibus ſa-nè dotibus præter celebris ortus Tui iura, ad plenam Tui dilectionem inclitos allicis Regnantes, populorum trahis obſequium, alienigenarum æſtimationem, atque admirationem mereris, & perennem bellici ſimul, & pacifici Tui Nominis commendas reuerentiam. In Te quidem virtutes illæ pacifico nexu coeunt, & emicant, quæ vix ſimul mutuò ſe fouent in alijs; militaris nempe cultus Religione contemperatus, imperandi potentia humanitati admixta, bellicæ ſtrenuitati ſociata prudentia, quibus ad omnem animi ornatum ita componeris, vt præter fidem, pietatem, iuſtitiam, inuictam conſtantiam, & prouida in rebus agendis conſilia eam ſpires animi magnitudinem, quæ ſingulis de Auguſtiſſima, & Regia Allobrogum Stirpe prodeuntibus innata refulget: Vnde non immeritò præclarum Sabaudici Cęli iubar publico acclamaris encomio, nec minùs præſidiale Militaris, Equeſtris, ac popularis omnis ordinis quoddam quaſi Numen diceris beneficentiſſimum. Quorum infima in claſſe cum ſors iam me tanto Viro, & Heroi Medicum conſtituerit, obſequio, & dilectione nemini ſecundùm hoc vnicè meæ felicitati adſcriberem, vt in Medicis, ac Moralibus hiſce lucubrationibus, quæ ſanè nihil aliud ſonant, quàm genuinas contra corporis, atque animi hoſtes

certandi Regulas, aliquod Medicinæ Theorema interlucere poſſet, quod longæuæ Excellentiæ Tuæ incolumitati profuturum ſperarem, & ad Neſtoreos annos tot viuentibus beneficam vitam foret producturum; quod cum Regiarum Celſitudinum genio arriſurum, militaris diſciplinæ gloriæ, populorum expectationi, & prouidæ rerum adminiſtrationi conducturum ſit, id vnum D. O. M. ardentibus apprecor votis.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Humillimus, Obſequentiſs. & Addictiſs. ſeruus, & Medicus
Franciſcus Dominicus Bariſanus.

Lecto-

Lectori beneuolo.

EXcipe Lector humaniſſime rudem meæ Mineruæ partum, excipe maternos velut inter amplexus fœtum nuper editum: neque mirabundus hæreas, ſi geminâ videas exortum formâ, obuerſantes enim duplices per mentem ſpecies nato conceptui geminam dedere figuram, Medicam ſcilicet, & Moralem: Rudem, fateor, vtrumque ſtatues: Medicam criminaberis, quòd poſt expoſitas paſſim tot ſpecioſas, ac commendatas ab Authoribus Aphoriſmorum interpretationes informem ego, & inualidam proferre non erubuerim. Moralem acriùs fortaſſe expunges, quòd os auſus ſim ponere in Cęlum, & abiectiſſimum ſęculi partum ſacris inuoluere myſterijs. Iuſta quidem temerarium auſum corripiendi ratio, ſi res ſuperficie tenus foret inſpicienda; at ſi medullitus, inconſulto dandum non erit auſui, quod pio Amicorum tribuendum conſilio; hoc afflante, concepi, geſtaui, peperique tandem non ſine mentis torminibus, quòd, obſeruatâ partus deformitate, diù anxius hęſerim tumulandus ne foret inter tenebras, an luci typographicos dandus inter characteres: Et quamuis abdicandum potiùs domeſticos inter parietes, quàm palam proferendum dudum duxerim, mallui tamen amicorum cedere conſilio, & proprio fraudato genio, periculum facere, & geminas haſce Sectiones dubijs pręli ſortibus exponere, vt harum edoctus euentu reliquas proſequi, vel non aggredi decernerem; conſultius ducens, boni negotiatoris ad morem, mercium partem tantùm aliquam tàm diſcriminoſo committere negotio, quàm de tota merce fortaſſe iacturam facere: Quod tamen ſpei plurimum tribuit, & fiduciæ, Lectoris ſanè candor eſt, & humanitas, quâ quidquid in hoc opuſculo futile, ac inane deprehendetur, id omne ſanam in partem receptum, excuſatumque fore confido. Cęterum, ſi quid in hac lucubratiunculâ pronunciatum occurret, quod alicuius vulnus refricare, vel vitia peracriter vrgere videbitur, ſciat quiſque non fuiſſe mentis ſingulari quempiam proſequi increpatione; ſed in

eos

eos errores generatim inuehere, quos oblata paſſim pro re natâ operis argumenta miniſtrarunt, prodit hoc, vt proſit; ſi tamen neglectum, aut deſpectum non proderit, hoc vnum me ſolamen exhilarat venuſtiſſimas, grauiſſimaſque, ſęculares, ſacraſque Mineruas, quarum ne quidem vmbræ nomen meretur mea, malignæ detractionis dentibus vniuerſas ſemper fuiſſe dilaceratas.

AD AVTHOREM
EPIGRAMMA.

Diuinum Hippocratem falsò veneranda vetuſtas
Dixit, cùm Medica fecit in arte Deum;
Scripta huius dum ſacra facis, BARISANE, docendo,
Diuinus per Te dicitur Hippocrates.

Eques D. Ioannes Laurentius Arpinus.

Eiuſdem ad Lectorem.
DISTICHON.

Non tibi ſat Lector longæuam ducere vitam:
Hanc cupis æternam ducere? volue Librum.

AD ZOILOS.
EPIGRAMMA.

Dire, quid exacuis mordaces, Zoile, dentes,
Vt laceres tanti dogmata clara Libri?
Stulte, ſcias fontem Mortalibus eſſe ſalutis,
Virus liuori ſit licet ille tuo.
Sæuiet vt perimat, ſed et ipſa perempta peribit
Inuidia, & ſemper nobile viuet Opus.

Dominicus Franciſcus Campagna
Clericus, Sac. Theol. Profeſſor.

INDEX

INDEX
RERVM MORALIVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

AMbitio, vide ſuperbia.
Amoris laſciui definitio. 363.
Amoris laſciui ad epilepſiam comparatio. 363. 364.
Amor laſciuus mentis cæcitatem inducit. 364.
Amoris laſciui curatio ſit loci, temporis, victus, & ætatis mutatione. 365. & ſeq.
Amoris laſciui epiteta. 367.
Anima in multis deficit, & delinquit. 338.
Anima diuerſis laborat morbis. 25. 26.
Anima infirma ſanatur Charitate, & pœnitentijs. 29.
Animæ ſanitatem tribuũt virtutes. 153.
Anima vitijs extenuatur, & infirmatur. 154.
Anima vitijs penè obruta paulatim eſt exoneranda, & curanda. 154.
Animæ potus eſt Gratia, & ſpiritualia dona. 173.
Animæ cibus ſunt terrena bona. ibid.
Animæ impura repletio ſunt peccata. 174.
Eiuſdem impurus potus, luxuria, & auaritia. ibid.
Animæ laſſitudo per quid tollenda. 382. & ſeq.
Animæ fames ſunt appetitus eiuſdem. 200.
Anima aut appetit terrena, aut cœleſtia. 201.
Anima non laboret in cognitione eorum, quæ ſunt ſupra ſe. 201.
Animæ labor ſit gratiarum actio. 202.
Animus aliquando honeſtè recreandus eſt ad acuendas vires. 203.
Animus non eſt angendus ſcrupulis. 271.
Auguria Aruſpicum, & Aſtrologorum ſunt falſa. 221.

C

CErtitudo nulla nobis eſt quid nobis futurum ſit in die Iudicij. 220.
Cæcitas mentis eſt malorũ cauſa. 148.
Cæcitas mentis ex peccatis oritur. ibid.
Chriſtus per ſimilia curauit infirmitatem generis humani. 337.
Cognitio ſui ipſius eſt neceſſaria ad ſalutem. 347.
Confeſſio eſt triplex: ſpontanea, ſuaſoria, & coacta. 6.
In Confeſſione omnia delicta ſunt euomenda. 5.
Confeſſioni neceſſaria eſt præparatio internorum ſenſuum. 6.
Confeſſioni præmittatur examen. 7.
Cadat examen ſupra Regionem, tempus, morboſue. 8.
Confeſſario peritiori aperienda eſt conſcientia, nec per multos Confeſſarios vagari debet Pœnitens. 9. 120.
Confeſſio iuſtificat, & amiſſam reddit gratiam. 120.
Confeſſario omnia peccata ſunt aperienda. 121. 106.
Ante Confeſſionem neceſſaria eſt præparatio corporis, peccati, & paſſionum. 168. 169.

Confeſſionis partes ſunt ſexdecim. 170.
Enumerantur. ibid.
A terrenis deſiderijs abſtineat qui vult bene confiteri. 170.
Confeſſor gaudet quando videt peccatorem verè pœnitentem. 189.
Confeſſio ſemper eadem eſt periculoſa. 180.
Confeſſarius faciliter non eſt mutandus. 190.
Confeſſionis ſymbolum ſunt decem Virgines prudentes, & fatuæ. 107.
Confeſſioni neceſſaria ſunt dolor, & propoſitum 107.
Confeſſio muti poteſt fieri nutu 108.
Confeſſionis conditiones enumerantur. 108. 109.
Conſilium celer præcipitoſum. 215.
Conſilium debet eſſe cum mora. 216.
Concilium Hebreorum contra Ieſum impium fuit, & ſine conſideratione. 215.
Conſolationis Diuinæ effectus. 230.
Conſuetudo bene agendi, vſque ad mortem perſeuerat: à teneris annis inchoanda. 387.
Conſuetudo mala cauenda, & quare. 387. 388.
Conſuetudo bona quomodo facienda ſit. 389.
Conſuetudo praua mutanda protinus, & per initia. 391.
Conſuetudinis prauæ mutatio, quibus conditionibus abſoluenda. 393. 394.
Conuerſioni peccatoris non eſt ſtatim fidendum. 265.
Correctio non eſt facienda in ardore paſſionis. 116.
Corrigendi paſſiones modus. 35.
Correctio rudis neceſſaria eſt quando paſſio vergit in damnum Proximi. 117.
Correctio nimis dura eſt ei, qui non delinquit. 318.
Crapula eſt cauſa multarum infirmitatum. 209.
Crapula in perditionis pelagum demergit. 210.
Cupiditas eſt magna tentatio ſibi, & Proximo nociua. 18.
Curioſitas multorum criminum eſt cauſa. 209.
Curioſitas de alienis factis multa mala parit. 208.

D

DEus in redemptione per contraria curauit morbum generis humani. 234.
Diabolus recidiuum peccatorem anxiùs perſequitur. 180.
Diabolus pœnitentem nititur peruertere. 184.
Diabolus morientem tentationibus aggreditur. 185.
Diabolus tentans culpam tanquam leuem proponit, at in mortis articulo eam grauiſſimam facit apparere. 279.
Diaboli pondus etiam bruta ſenſere. 280.
Dies quartuſdecimus ſignificat terminum & plenitudinem vitiorum. 240.
Dies diſtincti ſunt à Deo in dies naturæ, gratiæ, & gloriæ. 245.
Diuitiarum euacuatio in Pauperum ſubſidium bona. 190.
Diuitiæ profuſæ ad luxum nociuæ. 191.
Diuitiæ noxiæ iuuentuti, & ſenectuti. 406. 407.
Diuitys non impliciti hilariter moriuntur. ibid.
Diues iniquus omnia ſtudet ad ſe contrahere. 260.
Diuitis anguſtia eum reuocat à malo. 261.
Diuiti malo melior eſſet inopia, quàm diuitiæ. 261.
Diuites citiùs quàm pauperes, & ſpiritualiter, & materialiter intereunt. 357.

Diuites quibuſnam malis obnoxij. 357.
Diuitis tam auari, quàm ſplendidi quæ mala. 357.
Diuites nec Deum, nec ſe ipſos cognoſcunt 358. 359.
Diues in ſanctis operibus debet exerceri. 360.

E

ELeemoſyna quibuſnam facienda. 113.
Eleemoſyna non facienda de bonis malè partis. 113.
Eleemoſyna fit etiam conſilio, & correctione. ibid.
Eleemoſynæ loca conferentia ſunt manus pauperum. ibid.
Eleemoſyna confert publicè, & priuatim facta. 114.
Eleemoſyna animæ eſt ſalutaris. 111.
Eleemoſyna nō faciēda ſupra vires. 111.
Eleemoſyna Humilitate, & Charitate facienda. 112.
Etiam reprobis danda. ibid.
Non fiat turbato, & iracundo animo. ibid.
In neceſſitate ſtatim eroganda. ibid.
Euchariſtiæ cognitio à Spiritu Sancto habetur. 166.
In eius cognitione coercenda ratio naturalis 166.
Sine Euchariſtia deficit anima in via. 21.
Ne deficiamus, eſt frequenter ſumenda. 21. 22. 23.
Ad Euchariſtiam accedat Fidelis amore, & timore. 23.
Hoc Sacramento nutritur anima. 158.
Qui ſæpe, & indeuotè Euchariſtiam ſumit non proficit. 159.
Ante eius ſumptionem probet quiſq; conſcientiam ſuam. 160.
Euchariſtiæ effectus à peccatis impediuntur. ibid.
Ad Euchariſtiam accedens cum peccato ſe ipſum lædit, & Diuinam offendit Maieſtatem. 163.
Ante eius ſumptionem omnes ſenſus à vitijs purgandi ſunt. 164. 165.
Exceſſus in omni exercitio, & ſtatu eſt vitandus. 140.
Exercitium in bonis operibus neceſſarium ad ſeruandam animæ ſalutem. 381.
Ab inchoato aliquo Chriſtiano exercitio non recedendum. 382.
Exercitia pia culpas reſoluunt. 386.
Exercitatio in pijs operibus innatam indolem malam ſolet abolere, præcipuè in pueris. 387.

F

FAmes rerum temporalium eſt morboſa. 211. 212.
Fames in moralibus auaritiam ſignificat. 229.
Fatigatio nimia animi eſt fugienda. 203.
Felicitas nimia periculoſa. 11. 12.
Felicitates non ſunt vſque ad extremas ærumnas cōprimendæ, & vacuādæ. 14.
Felicitatibus priuatus à Deo non debet turbari. 15.
Felix diues quidam, cum domo, & habitatoribus, terræ hiatu abſorbetur. 113.
Felix minoret ſuas felicitates eleemoſynis, pijs operibus, & ſpiritualibus exercitijs. 13. 14.
Fidei myſteria non ſunt ſcrutanda humana, & naturali ratione. 206. 402.
Fidei nimia inueſtigatio peruertit intellectum. 207.
In gratiam Fidei multa miracula operatus eſt Chriſtus. 208.
Fides, & ratio promiſcuè ſe fouent. 401.
Secundùm Fidem, & rationem omnia facienda, & dirigenda. 402. 403.
Filij facilè conuertuntur ſub virga Parentum. 257.

† 2 *Glo-*

G

Gloria Mundi breui durat tempore. 214.
Gratia Dei comparatur vino. 229.
Gratia Dei ſedat terrenam famem, & ſitim. 131.

H

Hæreditas opulenta filios reddit procliues ad vitia, ac pauperes facit in ſenectute. 225.
Hæreditas tenuis acuit ingenium filiorum, & mouet ad honeſta. 226.
Hæretici idiotas, & ſimplices conantur decipere. 308.
Homini mundano eſt difficile terrena relinquere. 213.
Homo aduerſa patienter ferat. 267.
Humanæ ſortis altitudo in iuuentute ſæpe inutilis, moleſta, & noxia in ſenectute. 490. & ſeq.
Hyems, & ver ſunt tempora aptiora ad peccandum. 69. 70. 71.
Explicatur multis exemplis. ibid.
Hypocriſis deſcriptio. 265.
Hypocritæ non eſt credendum. ibid.

I

Idiotæ in rebus Fidei in ſua ſimplicitate permaneant. 30.
Ieiunium aliјs ornandum virtutibus. 32. & ſeq.
Ieiunium tentationes propulſat, & Tentatorem vincit. 32.
Ieiunium non exhauriat vires corporis. 33. 41.
Per longum ieiunium eneruatæ cibo moderato paulatim refocillandæ ſunt vires. 33.
Ieiunium, & oratio animam contra tentationes muniunt. 34.
Ieiunio ſolo non omnes culpæ curantur, ſed opus eſt Miſericordia, & Pietate. 41. 42.
Ieiunet corpus, ieiunet & anima peccatoris, vt à peccatis valeat reſurgere. 46.
Verum ieiunium abſtinentia à peccatis. 59.
Ieiunium ſpirituale ſenibus, iuuenibus, & pueris conuenit. 60.
Infernus, eiuſque ſupplicia. 370. 371.
Miſeriæ omnes Mundi vmbræ, & nihil ſunt reſpectu Inferni. 373.
Earum memoria vtilis ad huius vitæ mala toleranda. ibid.
Deum plectentem in hac vita nobiſcum ludere, & in alia ſeriò agere. 374.
Infidelitatem ſequitur animæ mors. 339.
Iniuriarum tolerantia difficilis. 311.
Iniuriæ obliuiſcendum, Chriſti exemplo. 312. 313.
Iniuria varias animi paſſiones excitat. 313.
Inſidiæ & in diuitijs, & in paupertate latenti. 262.
Intentio eſt ſpecificatiuum bonitatis, & malitiæ humanorum actuum. 197.
Inuidia eſt ſuperbiæ filia. 349.
Inuidia ſuos ſtrangulat. 349. 350.
Inuidia morbus difficilè medicabilis. 350. 351.
Inuidi ad ſe vtplurimùm non redeunt in alios ſemper intenti. 350.
Inuidi contra Proximum murmurant, & latrant. 351.
Inuidiæ proprietates ex Dæmoniaco Euãgelico explicantur. 352.
Inuidia ſola dextera Chriſti fugatur. ibid.
Inuidiæ effectus à damnatis poſt mortem cognoſcuntur. 353.
Inuidus Macedo aliquos oderat, quia ipſis inuidebat. ibid.
In Iudicij die grauia apparebunt ea, quæ in hac vita nugæ videbantur. 229.
Iudicij finalis dolores, & anguſtiæ. 376. & ſeq.

Iudi-

Iudicij ſimilitudo per abſceſſum. ibid.
Iudicij dies variè appellatus. 378.
Iuuenes faciliùs, quàm ſenes in peccata labuntur. 328.
Iuuenes in exordio peccati faciliùs corriguntur, quàm ſenes. ibid.

L

LAſciui animam, & corpus perdunt. 365.
Laſſatur multis modis anima ne tendat in Deum. 143. 144.
Latro bonus in Cruce poſitus cauſam ſuæ mortis ſibi ipſi imputauit. 297.
Lex quædam mirabilis Thracum, vt filios ad virtutes incitarent. ibid.

M

MEditanda eſt peccati perniciosa natura, & effectus, vt quis corrigat paſſiones. 35. *& ſeq.*
Mens debet eſſe gracilis, & acuta, non craſſa, & ignorans. 359.
Modarum immoderantia eſt mala. 190.
Modarum immoderantia eſt nociua corpori, & animæ. 191. 192.
Morbi animæ curandi ſunt contrarijs virtutibus. 234. 235.
Mors ſemper meditanda. 124.
Mortis meditatio animam ſanctificat. 125.
Mortis recordatione qui non conuertitur difficilè ad ſemitam ſalutis reducitur. 125.
Conuerſio ſecuta ex mortis recordatione bonum indicium ſalutis. 128.
Morientem Chriſtum videntes quare non ſint conuerſi. 129.
Mortis meditationem comitetur cognitio acerbitatis delictorum. 130.
Mortis meditatio auertit à peccatis. 60.
Mutationum duæ ſpecies. 186. 187.

N

NAuſeat peccator Cœleſtia in præſentia terreſtrium. 214.
Negligentia in Dei ſeruitio eneruat virtutes, & animæ vires. 132.
Negotia magni ponderis tribus medijs dirigenda. 397. *& ſeq.*
Nihil præcipitanter agendum. 396.
Numerus quaternarius, & ſeptenarius myſterijs ſunt inſigniti. 245.
Numerus ſeptenarius eſt Deo ſacratus. 246.
Numeri ſeptenarij dignitates. ibid.
Numerus 153. *Virgini Mariæ ſacratus.* 247.
Nutritio Cœleſtium ciborum eſt terrenorum excretio. 213.

O

OCcaſio peccati declinanda. 50. 51.
Occaſio eſt laqueus. 52.
Occaſiones peccati amputandæ. 149.
Occaſio etiam leuis peccati fugienda. 171.
Omne opus (præter malum) poteſt in Deum dirigi, & ei placere. 135.
Opus humanum cognitione luſtrandum, an ſcilicet bonum, vel malum ſit. 196.

P

PAnegyris in obſequium Mariæ Virginis Sacratiſſimi Roſarij. 247.
Paſſio in ſui initio correctione medicanda. 117.
Paſſiones humanæ primum locum tenentes ſunt Luxuria, & Ira. 116.
Paſſiones virtutibus moderandæ ſunt. 314.
Pauperes diutiùs viuunt, quàm diuites. 358.
Pauperes faciliùs, quàm diuites Cœlum acquirunt. ibid.
Pauper miſeriam ſuam hilari ſuſtineat animo. 139.
Peccantis animæ ſtatus eſt meditandus. 55. 56.
Peccantis animæ tres gradus. 55.

Pec-

Peccantis animæ tres mortes. ibid.
Peccaminoſi morbi inſpiciendus ſtatus, tempus, & grauitas. 57.
Peccatum alterat peccatorem, & quodammodo ipſum Deum. 247.
Peccator non agnoſcens ſtatum ſuum delirio, & cæcitate tenetur. 148.
Peccatoris recidiui diſpoſitiones aliæ intrinſecæ, aliæ extrinſecæ. 178.
Peccatoris recidiui mala quæ. 180.
Peccator ante mortem ſpiritualibus ſe muniat præſidijs. 185.
Peccatores per vitæ mutationem fiunt Sancti. 219.
Peccata grauiora citiùs ad damnationem æternam ducunt. 240.
Peccator citò à culpa reſurgat. 240. 241.
Peccatores contumaces quartanarijs ſimiles. 255.
Peccata antiquata ſunt difficilioris curationis. 272. 256.
Peccatori multa mala eueniunt præter expectationem. 367.
Peccator ſe ipſum corrigens mala non timebit. ibid.
Peccati mala non ſentiens eſt periculoſus. 269.
Peccati ægritudo ſine ſyndereſi longa eſt. 270.
Peccatoris habitualis ſymbola. 244.
Huius conuerſio Dei omnipotentiam requirit. 275.
Explicatur exemplis. ibid.
Peccatum quandoque paruum magnum excitat incendium. 277.
Peccato aſſuetus parui facit grauia crimina. 278. 279.
Peccata etiam leuiora initio amputanda, ne creſcant. 280.
Peccato aſſuetus ſimilis Balaam, qui ad vocem Dæmonis per Aſinam loquentis non expauit. 273.
Peccatores alij recidiui, alij conſtantes. 289. 290.
Peccator in neceſſitate conuerſus vtplurimùm recidiuus, qui verò extra neceſſitatem conuertitur, fortis, & perſeuerans. 290.
Peccator inſtabilis. 291.
Peccata ex fragilitate commiſſa ſunt minùs periculoſa, quàm quæ ex malitia. 300. 301.
Hæc faciliùs corriguntur. 302.
Peccatoris ſtatus ſemper periculoſus. 303.
Peccator recens faciliter conuertitur. 330.
Explicatur Sacræ Scripturæ exemplis. ibid.
Peccatum fluxioni, & deſtillationi comparatur. 333.
Perſeuerantia in bono ad ſalutem neceſſaria. 393.
Perſeuerantiæ præmium. 383.
Pœna eſt nimis dura minimè delinquenti. 318.
Prædeſtinationis inueſtigãdum non eſt decretum. 221.
Prædeſtinationis ratio conflatur ex noſtris operibus bonis, & decreto Dei. 220.
Præſagitiones certæ ſalutis, & mortis non dantur in hac vita. 219. 220.
Prælati, & Principes aliquando tolerant minora mala, ne maiora fiant. 324.
Prouidentiæ Diuinæ ſemper ſtandũ. 298.

R

Reipublicæ humanæ tres partes. 306.
Explicantur. ibid.
Religionem ingreſſurus tentatur à Diabolo. 187.
Religioſi alimenta virtutes. 65.
Eius mens non vagetur extra clauſtra. 209.
Roſarij Sacratiſs. Myſteria centum quinqua-

quaginta tribus piſcibus à D. Petro piſcatis explicantur . 248.
Reprobi pus mundi : Electi verò purus ſanguis . 379.
Roſario munitur vinea Domini , ideſt anima fidelis . ibid.
Roſarij ſub auſpicijs Eccleſia nullo periculo tangitur . 249.
Roſario Mariano dimicant Fideles , & vincunt Turcas . ibid.
Roſarij flores leuamen ſunt fidelibus. 250.
Roſarij corona profligantur hæreſes , & errores . 252.
Roſarium eſt Sanctæ Triadis ſymbolum , ibid.
Roſarium à ſiniſtra ad dexteram tranſfert peccatores . ibid.
Roſarij corona prædeſtinationis ſignum . 253.

S

SAncti, qui guſtauerunt Cœleſtia, ſpernunt terrena . 213.
Satietas in rebus humanis malos producit effectus . 130.
Scrupulorum effectus mali . 271.
Senes ſenſati , & prudentes peccata præcauent . 328.
Senes vtplurimùm laborant ſuſpicione, & Zelotypia . 334.
Senes non grauandi curis , & ſollicitudinibus . 66.
Senes vitæ præteritæ , & proximæ æternitatis recordatione paſcantur. 67.
Senum antiquata crimina cum difficultate emendantur . 329. 334.
Seruire poteſt Deo quiſque pro ſtatu ſuo 135.
Signa multa operatur Deus , vt conuertatur peccator . 142.
Explicatur exemplis . ibid.
Sollicitudo vitæ præſentis à bono prohibet ſpirituali . 133.
Somnus mortis ſymbolum. 124. 126.
Immodicus ſomnus in Diuinis multorum malorum cauſa. 133.
Explicatur exemplis . ibid.
Statui proprio vnuſquiſque ſe debet accōmodare . 296.
Subditi obedire Superioribus debent. 297.
Superiores inuigilare debent ſupra operationes ſubditorum . 198.
Superbia apoplexiæ ſimilis . 344.
Superbia impedit cognitionem Dei , ſui, & Proximi . ibid.
Explicatur exemplo Luciferi. 344. 345.
Superbia ad inferos trahit . 345.
Non ſuperbiendum in honoribus , & alijs donis . ibid.
Superbire non debet homo, cùm ſit miſer. 346.

T

TEmperantia ſemper eſt neceſſaria . 139. 140.
Temperantia regit animæ valetudinem . 137.
Tentatio contra Fidem fortitudine animi vincitur . 295.
Tentationes patientia , & oratione vincuntur . 17.

V

VErba iudicanda ſecundùm dicentis intentionem . 197.
Verbum Dei cibus dulciſſimus animæ. 283.
Verbum Dei cuiuſque capacitati adaptandum . 284. 322. 323.
Verbum Dei meditandum , & in anima cuſtodiendum . 285.
Verbum Dei non debet eſſe fucatum ſed purum , & ſyncerum. 284. 286.
Verbum Dei audiens , & non proficiens deprauatam habet mentem . 285.
Verbum Dei eſt efficax ad ſalutem ſicut corpus Chriſti . 286.

B.

B. Virgo verbum Dei dum non audit à Chriſto non agnoſcitur. 287.
Veſtimentorum fugienda vanitas. 192. 193.
Vigilandum in Diuinis. 134.
Vigilant illi, qui peccati ſoporem excutiunt, & Deo attendunt. 134.
Vindicta corpori, animaque nociua. 317.

Z

Zelotypiæ natura, & effectus explicantur. 334.

DE mandato Reuerendiſs. Patris Magiſtri Michaelis Ludouici de Theuenardis Inquiſit. generalis Taurini diligenter perlegi Librum, cui titulus MAGNVS HIPPOCRATES MEDICO-MORALIS à Perilluſtri Domino Franciſco Bariſano elaboratum; et cum nihil in ipſo mihi contigerit, quod Fidei Ortodoxę, morum Elegantiæ, omniumque maximè conſonum vtilitati non emicuerit, hinc publico orbis bono Typis mandandum cenſeo. Datum Taurini die 15. Decembris 1681.

Fr. Ludouicus Selarius Ord. Min. Con. Sac. Theologiæ Magiſter, Lector publicus, ac S. Officij Conſultor.

EX commiſſione Reuerendiſs. Patris Michaelis Ludouici de Theuenardis Inquiſitoris Generalis Taurini attentè perlegi Librum, cui Titulus MAGNVS HIPPOCRATES MEDICO-MORALIS, &c. Authore Perilluſtri D. Franciſco Dominico Bariſano Medico, ac Philoſopho; & cum nihil in eo, quod bonis moribus, ac Fidei Orthodoxę aduerſum deprehenderim pręſenti Fide typis dignum cenſeo.

Frater Clemens à S. Cecilia Carmelita Sacræ Theologiæ Magiſter.

Attentis præfatis atteſtationibus Imprimatur

Fr. Michael Ludouicus de Theuenardis Ordinis Præd. Sacræ Theol. Magiſt. Inquiſitor Generalis Taurini.

DE mandato Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. D. I. B. Buſchetti Archicancellarij Sabaud. accuratè legi, immò & perlegi Librum, cui Titulus eſt MAGNVS HIPPOCRATES MEDICO-MORALIS Authore D. Franciſco Dominico Bariſano, Opus ſanè eximium, & gemina eruditione refertum, dignum propterea quòd non vulgari charactere imprimatur; cum præſertim in eius lectione nihil repererim, quod Suæ Regiæ Celſitudinis iuribus, & decretis aduerſetur; nihil quod Auguſtam eius Authoritatem anguſtet, nihil denique quod Regium eiuſdem ſplendorem valeat obſcurare. Sic teſtor ego infraſcriptus. Taurini die 28. Octobris 1681.

Iacobus Franciſcus Arpinus Regiæ qd. Celſitud. Conſiliarius, & Medicus à Cubiculo.

Permittitur imprimi

SIMEON pro D. Cancellario.

DE mandato Reuerendiſs. P. Michaelis Ludouici de Theuenardis Sacræ Theol. Magiſt. Inquiſit. General. Taurin. perlegi Ego ſubſcriptus Iatroeticam Paraphraſim eruditiſſimi Doct. Colleg. D. Franciſci Dominici Bariſani inſcriptam MAGNVS HIPPOCRATES MEDICO-MORALIS, &c. in qua, & omnia genuinum ſacræ Artis metrum ſapiunt, & nihil obſtat quin prælo committatur. Taur. pridie idus Decembris 1681.

Ioſeph Maria Reuellus Doct. Colleg. Phil. Med. I. V. D. Almæ Vniuers. Profeſſor, ac pro S. Offic. Librorum Reuiſor, & Cenſor.



Te colo, Te Patrem Viuens, & mortuus opto
Vita Vbi de fficiet, Te mea Scripta Colent

Merit^mo Auunculo
nepos Barisanus .D.

P. Cæsar Bonacina del. Nobilis de Pène Sculp. Taur: 1672.

APHORISMVS I. PRIMÆ SECT.

Vita breuis, Ars longa, Occaſio præceps, Experimentum periculoſum, Iudicium difficile, nec ſolùm oportet præſtare ſe opportuna facientem, ſed & ægros, & aſsidentes, & exteriora.

EXPOSITIO PROEMIALIS.

VASTA adeo, & interminabilis eſt ſingularium ſcientia, Medica ſcilicet facultas, vt fato priùs acrioris Mineruæ viri præripiantur, quàm valeant integra eius cognitione potiri; longa licèt ſuppeteret ætas; hanc etenim ſi quadruplò prouectiorem daret Omnipotens extremo tandem ſenio confecti vix ſingula Medicinæ arcana delibata, ne dicam digeſta faterentur, & cum Montano grauiſſimos inter Artis medicæ proceres non ſecundò profiterentur, vix tandem ſenes nouiſſe quid eſſet calidum innatum. Vndè Medicina verè *Ars longa* debuit ab Hippocrate pronunciari, vitæ potiſſimùm comparatione ſuſcepta, cuius breuitatem præter circumfluos caſus, quibus inopinato ſæpè rapimur euentu, ſat apertè profert innumera morborum claſſis, quibus humana procul dubio circumuallatur natura; in his etenim curandis (lethalibus omiſſis) quis etiam in ſalutari, & ancipiti non videt poſthabita vel momento agendi opportunitate vitam non rarò in occaſum ferri, incerto præcipitari experimento, ac fallaci, & infido damnari iudicio? Quis præterea non videt, maturo licet iudicio fida reſpondeat experientia, & ſingula ritè ex arte procedant, vitam plerumque per moroſa ægrotantium delicta concidere, vel per laxiora aſſidentium placita corruere, vel per externos quotquot ſunt impetus ſæpè ſæpiùs amitti: vndè plana vitæ breuitas, ſed quid vlteriùs cogar ex Hippocratis proemio vitæ depromere breuitatem, cum vel nolenti plus optato pateat. Nitamur, ſi libet, excribrare Magni ſenis exordium, vt, ſi quid in eo diuinum latet, innoteſcat.

Aphoriſtica communis ſententia, ſi medicum ſpectemus ſenſum, diuina quidem cum tot contineat oracula, quot ſententias, & particulas; at ſanctiſſima, ſi cum medico moralem; quid enim hac particula ſanctius? quid hac voce ſalubrius? *Vita breuis*: quid vltrò ſonat hæc dictio, niſi mortis diem vniuerſi ſciant affuturum, vt diſcamus ex breui vitæ temporalis termino comparari iugiter ad æternam, cuius vt iucunda nobis detur poſſeſſio *Ars longa* inſtruat oportet, quæ veluti medica corporis, ita præſentem ſeruare, & amiſſam redimere doceat Dei gratiam, ex qua ſanitas animæ; Ars equidem longa, quæ cum perenni incumbat obiecto, perenne petit exercitium, cuius Theoria tota, & praxis Dei, & proximi dilectione perficitur, cuius lucrum, & præmium æterna Dei fruitione completur. Nitamur igitur, totiſque neruis ſtudeamus in hac arte proficere, quam non terminat interitus, vt Medicam, ſed æternat gloria, vt Catholicam. Caueamus etiam ſedulò ne diuinam hanc artem *præceps*, vt ait Hippocrates peruertat *Occaſio*, non fugax illa, quam in morborum medela curationis animam circumferimus, ſed quæ per triplicis hoſtis illecebras quotidiè obtruditur, & plerumque nos agit in præceps, cum diem præcipuè claudimus extremum, quo tempore validiores quiſque ſuos, vt nos perdat, exerit conatus. In hac itaque arte, dum viuimus, exerceamur, vt diſceſſuri, tartareas elidere,& euadere diſcamus inſidias, quas, vt oppoſito fidei ſcuto, fida valeamus eludere praxi, *Ars longa* nos præmuniat; primis ſcilicet initiata vitæ rudimentis ad vltimas vſque lineas haud intermiſſa; neque nos illudat Ars breuis, qua morti iam proximus latro Euangelicus temporis momento cœlum rapuit; ſingulare enim fuit Dei patientis portentum, ex quo vniuerſalis elici non debet conſequentia, cum ſors eadem data non fuerit pluribus,& deinceps dandam ſperare ſit temerarium, niſi diſcant per meditationem cum Chriſto moriente mori. Veneremur in exemplo miſericordiæ myſterium, & mens luſtret innumeros peſſima morte perditos, qui ſalubrem viuendi artem maiori vitæ ſpatio neglectam, gelida poſtea torpeſcentes ſenectute, cum diſcere voluerunt, aliena imbuti, non valuerunt. In hac ergo cœleſti, & acceptabili doctrina quauis erudiamur, & verſemur ætate, & quicumque hanc in dies differre ſtudet extremos, cum peccata nos dimittunt non ipſi nos illa, audiat

Hippo-

Hippocratem ingenuè fatentem *periculoſum*, fallax, & lubricum *Experimentum*, quo votis non reſpondente non corporis per terminabiles languores, ſed animæ per æterna ſupplicia interminabilis fit iactura: quamobrem ne periculoſa, & infida decipiamur experientia tempeſtiuè Chriſtiano fungamur munere; & ſi mundana nos reuocant, & remorantur oblectamenta, ſollicitet, impellat, & vrgeat *Iudicium difficile*, quod nos terreat,& cum Hieronymo pauidos reddat, ignorantes, an amore, vel odio digni ſimus; ac cum Pſalm. perpetuò ambigentes recogitemus nunquid in æternum proijciet Deus. Quouis ergo tempore vigilemus, cum Paulo, noſtram ſollicitè ſalutem operantes, non ſecus ac infirmi, qui dum metuunt anxij, neſcientes, an morbus exitio, vel ſalute ſit defuturus, medicis continuò ſe muniunt præſidijs, & illorum rideamus deliria, qui clauſtrale munus eſſe concinunt, & Eremiticam artem ſanctis ſe iugiter implicare negotijs; damnat enim haſce infernales tubas Hippocrates, *neque ſolum oportet Medicum præſtare ſe opportuna facientem*, ait ille: vertit Paulus Dei Seruos, & Miniſtros, vt voce,& opere Chriſtianam ſeruent hanc artem, & Chriſti foueant ouile; ſed & *ægros*, peccatores ſcilicet, cum Auguſt. vt vocem Paſtoris audiant, obtemperent, & Deo bonis iugiter operibus vellificantes, ab electo non errent grege.

Suas rurſus agant partes *adſtantes* ſubdit Hipp. quaſi dicat cum Cirillo, Principibus, vt Subditos, Dominis, vt Seruos, Genitoribus, vt Natos Fratribus, Affinibus, Amicis, vt Germanos, & Charos ab hac arte declinantes moneant, corripiant, & vrgere non deſinant, donec ad ſalutis ſemitam videant remiſſos; nec tantum *Aſsidentes* ad hanc artem comparentur, *ſed & exteriora* concludit Hipp. Exteri videlicet omnes,qui à Catholica fide quouis modo aberrantes Euangelicam neſciunt, vel licet ſciant pro debito non excolunt Artem; hos enim conſilio, & exemplo totis viribus excitemus expedit, ſi poſſumus, vt diuino reddantur, vel donentur ouili, cum ſuprema pietas omnes velit ſaluos fieri qui perierant.

DISTICHON APHORISTICVM.

Vita breuis, ſi nulla Deo des tempora vitæ.
Viue Deo, & viues vita in vtraque diù.

In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur, qualia purgare oportet, confert, & leuiter ferunt, ſin minùs contra; ſic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet confert, & benè tolerant, ſin minùs contra. Inſpicere autem oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, nec ne.

EXPOSITIO MEDICA.

SVmmum purgandi decretum iacit Hippocrates in præſenti Aphoriſmo lege ſumpta à ſponte motis ſupra, vel infra purgationibus, quas conferre pronunciat, & leuiter ferri, ſi qualitate noxius humor excludatur per loca lege naturæ commoda, nulla qualitatis, copiæ, temporis, & excretionis modi ratione deſiderata, quæ vacuatio confert, cum naturalem firmet œconomiam, & nutritias partes ab omni vindicet illuuie, & toleratur, & facilis eſt ægro, eò quòd onere depoſito, quo grauabatur ad functiones omnes potiſſimùm naturales reddatur alacrior: contra verò ſi quæ deſint ex dictis in ſpontanea euacuatione notæ, ægros inquit damnis augeri, *ſic & vaſorum inanitio*, ex arte nempe ſuſcepta purgatio, *ſi talis fiat*, *qualis fieri debet*, præfatis ſcilicet abſoluatur numeris, *confert* & bene toleratur; intenta videlicet referet commoda, *ſin minus contra*, vt ſi diuerſus à vitioſo educatur, vel effluat humor in quanto, quali, tempore, & modo rationi non reſpondens neque conferet; varijs etenim fatigabit ſymptomatis, neque tolerabitur, eò quòd vires reddat infirmiores. Vt tamen felicior ſuccedat purgatio, inſpiciendam præcipit Hipp. regionem, anni tempus, ætatem, & morbos, in quibus audacter, vel ſtrictè imperanda, vel prorſus interdicenda purgatio. Hoc Aphor. medicum, & conciſum commentum.

EXPO-

EXPOSITIO MORALIS

De Confeſsione Sacramentali.

APhoriſmus iſte ſanctiorem ſuggerit expoſitionem, quæ morboſam non inſtruit corporis ſarcinam propinato cathartico deturbare, ſed quæ criminoſas animarum ſordes, & apparatus docet Confeſſione purgare. Huius purgationis neceſſitas, præparationis modus, & ſalutaris effectus perbellè adeò, & graphicè deſcribitur ab Hippocrate, vt compendiosè totam in præſenti Aphoriſmo complere videatur ſacræ Confeſſionis ideam; Aphoriſmi particulas ſacris elucidemus ſcriptis.

Sacramentalem Confeſſionem per ſimilitudinē expoſiturus Origenes aptiorem vomitione non inuenit, inquit enim in pſalm. 32. hom. 2. *Sicut hi, qui habent interclusam eſcam indigeſtam, aut humoris, vel phlegmatis ſtomacho grauiter, & moleſtè inhærentia, ſi vomuerint releuantur, ita etiam ij, qui peccauerunt, ſi quidem occultant, & retinent peccata intrinſecùs vrgentur, & propemodum ſuffocantur ab humore peccanti: ſi autem ſui accuſator fiat, cum accuſat ſemetipſum, & confitetur ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi dirimit cauſam.* Hæc Origenes, & appoſitè, dum ferè totum diluit Aphoriſmum. *In perturbationibus igitur ventris, & vomitibus ſpontaneis* Sacramentalem Confeſſionem ſignificatam fateamur; quemadmodum enim nullam ſtatuit Hippocr. ſpontaneam vomitionem moueri, vel deiectionem, quam non præceſſerit, aut comes ierit perturbatio ventris hoc, vel illo ſymptomate manifeſta, ſic Diuinus Aquinas nullam ſequi teſtatur Confeſſionem, quam non preierit, vel confectatrix non fuerit perturbatio, non ventris inferioris præ moleſta materiæ prauitate, vel copia, ſed ſuperioris, & medij cum anathomico, capitis ſcilicet, in quo ventriculos omnes, quibus principes inſident animæ facultates præ turgenti culparum cumulo Confeſſionis tempore turbari neceſſarium, & proficuum. Turbetur (inquit Aquinas Angelicus) legitimè confitenti primò Phantaſia per ſenſibilium delictorum imagines, & ex illis connexis effingat, quæ ſub ſenſum non venerunt merita ſupplicia. Turbetur intelligentia, & exceptis cri-

minum

minum notionibus ratiocinetur,iudicet,& ſcelerum horreat turpitudinem; turbetur & Memoria per exoſam criminum, quæ iam animis exciderant reminiſcentiam; turbetur denique cor totum cum Citharædo,dum Deum ſibi cognoſcit aduersũ; ſancta enim, & ſalutaris turbatio, quam ſequitur perfecta purgatio, integra nempè Confeſſio, eò tutior, & ſalubrior, quò plus exacta, & minùs procraſtinata, cuius cum quis ideam deſiderat purgationis exemplo, & diuiſione Medicus docebit imitabilem; ſicut enim triplicem purgationis ſpeciem notat iſte, & ſequitur vtiliorem: Primam, quæ fit natura duce, vt in integris criſibus laudabilis, & ſectanda: Secundam, quæ medico completur ſubſidio, quæ cum modò careat natura adminiculante non rarò anceps, & dubia: Tertiam, quæ vi morbi contingit à natura neutiquam intenta, & plena diſcrimine, ſic triplicem noſcat peccator Confeſſionis formam, & ſeligat tutiorem: primam, quæ ſpontè fit, duce ſcilicet ratione, ac bonæ indolis genio, quam quiſque diſcat imitari: ſecundam, quæ medica perficitur opera, ſacri ſcilicet Sacerdotis conſilio, vel alterius hortatu aſſiduo, ſine quo vix de Confeſſione cogitaretur; hæc plerumque deficiens, & ancipitis euentus, cum rarò naturam habeat adminiculantem, intrinſecum nempè confitendi, ac dolendi propoſitum, ſine quo fruſtranea Confeſſio; tertiam denique, quæ vi morbi erumpit, quando ſcilicet Confeſſio peccatorem quærit, non ipſe illam, ideſt cum cenſuræ, vel interdicti proximo fulmine perterritus ſola ſemel in anno Confeſſione Romano cogitur decreto ſe Catholicum profiteri, vel aptiùs vi morbi fit purgatio criminum, cum reuerà non niſi morbo quopiam lethali correptus, Confeſſionem, quam fortaſſe quotannis prætermiſerat, repentè quis inuoluere compellitur, confuſam, infidam, & ſæpe ſæpius non ſecus calamitoſam, ac ſymptomaticus alui fluxus aucto morbo viribus iam fractis ſuperueniens, cum natura nec effrænes humores moderari, neque puros ab impuris valet vltrò ſecernere, quando ſcilicet præ morbi ſæuientis anguſtia ab exagitatis ſpiritibus, & procelloſa potentia non datur vlterior memoriæ locus, vt antiquata vitia reuocentur, nec rationi, vt eadem diſcernantur, neque voluntati gelidæ, vt inaſſueto Dei flagret amore. Tres haſce Confeſſionis formas planas reddit experientia, & quamuis ſingulas quouis tempore fa-

re fateamur acceptabiles, cum aliæ alijs ſint tutiores, hortor vt quemadmodum Hippoc. artificialis purgationis formam à naturali ducit ſpontè, & ritè mota, ſic Confeſſionem pro exemplari quiſque ducat ſpontaneam, in qua *ſi talia purgentur delicta, qualia purgari oportet*, ideſt ſi talia proferantur vitia qualia patrata fuere nulla modi, temporis, numeri, & loci tacita circumſtantia *confert*, quòd anima depoſito ſcelerum, quo premebatur pondere ad gratiam re-uiuiſcat, & facilè *ferunt*, quia tartareis vinculis abſoluta vires redimat validiores, & æternum viret opprobrium, *ſin minùs contra* ſpondet Hippoc. ſi quid ſcilicet ex præcipuis in Confeſſione fuerit voluntariè neglectum, ſi præuia nempe caruerit diſpoſitione, humilitate, & emendationis propoſito Confeſſio, ſi ſingula recitata non fuerint ſcelera, latuerit quando cęperint, quoties iterata, quandiù producta, quo in loco, quibus intuentibus, ſecretò, an publicè commiſſa, ſi quid horum fuerit culpabiliter omiſſum non confert Confeſſio, eò quòd *vaſorum qualis fieri debebat, facta non fuerit exinanitio* dicit Hipp. omnibus ſcilicet caruerit partibus Confeſſionis purgatio, intento idcircò fruſtrabitur fine, Dei gratia nullatenus præſtita; vnde nec *facilè feret*, cum doloſæ Confeſſionis, & deluſæ Diuinitatis conſcius ſindæreſis aculeo perpetuò demorſus non quieſcet, niſi fortè, criminum frequentia conſcientiæ morſibus obtuſis, ad quæuis ſcelera patranda pronus, corruat inconfeſſus, quòd efficax Dei gratia auertat, & det vnicuique purè completa ante deceſſum Confeſſione purgari. Hæc obiter de Confeſſionis neceſſitate, differentijs, & effectibus.

Diſcamus ex Hippoc. præparationis modum exactè deſignatum poſtremis Aphoriſmi dictionibus, quæ ſic habent. *Inſpicere autem oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, nec ne*; quibus particulis, licet Hipp. animaduerſiones quaſdam tradat canonicæ purgationi conſentaneas; ſi tamen rem altiùs intueamur, expreſſam methodum videtur annuere, qua quiſque debet ad Confeſſionem ritè præparari; cum verò pars potiſſima præparationis (præter conceptum pęnitendi, & corrigendi propoſitum, & dolorem) delictorum diſcuſſione perficitur, & examine, hocque non niſi ſuffragante memoria nequeat compleri, conſtat ſanè hanc fluxilem adeo, & lubricam eſſe, vt, niſi topico quodam

quodam fulciatur adminiculo, impoſſibile ſit totam pleroſque culparum ſeriem in molem poſſe colligere, ſi diù potiſſimùm fuerat intermiſſa Confeſſio: idcircò vt ocyùs, & faciliùs anteactæ vitæ ſubueniant opera, reductiuos quoſdam memoriæ locos ſignat Hippocr. quibus exactè poſſit animus excribrari, & omnis abijci zizania.

Inquit in primis Hipp. *inſpiciendam eſſe regionem*, quam ſcilicet tenueris, quam peruagatus, quibus in ea negotijs, vel muneribus perfunctus, qua rectitudine conductis, quorum ſocietate ductus, qua menſa, quibus colloquijs, quo thoro, qua fide, & finitimis animaduerſionibus regio ſuggerit quidquid in ea deliqueris.

A regione *tempus* inſpicere oportet, ſubdit Hipp. vt ſingula nempe quiſque animo percurrat anni tempora, qui ſola potiſſimùm per annum Confeſſione purgatur, & ſcrutetur attentè, quot vernali tempore pullulauerint vitia, quot æſtiuo zizaniæ faſciculos collegerit ad comburendum, quot prauitatis fructus ediderit autumnali, quot hyemali denique, cum otia luxuriant, ſe dederit laxamentis, neque mentes modò, ſed dies, ſacros præſertim animo repetet, & horas, quibus ſe fortè deliquiſſe crediderit, vt habitis ſcelerum primordijs, & incrementis, delictorum numerus, & grauitas innoteſcat. *Ætatem* vlteriùs inſpiciendam conſulit Hipp. non ſcelerum modò, ſi nempe puераſcere, adoleſcere, vel ſeneſcere incipiant vitia, ſed naturalem cuiuſcunque, quam quis generali potiſſimùm Confeſſione tergendus percurrat: mollioris pueritiæ primùm memoret leuitates, & ſi quas Deo graues recogitet, euacuare nitatur; vias lubricas remeet adoleſcentiæ, & cum D. Ambroſ. lapſus firmet pœnitentia, delicta repetat iuuentutis, & cum Pſalmiſta clamet, *Domine ne memineris*; virilitatis diſcutiat culpas, & cum Auguſtino lib. de pœnit. confeſſus oret, ne ſeneſcant ſecum crimina, ſed maturentur ſalutis conſilia, vt diù vixiſſe non pigeat, nec pudeat.

Inſpiciendos præterea *morbos* monet Hipp. quibus purgatio conueniat, nec ne, peccata ſcilicet, quibus Confeſſio conueniat, ideſt non futiles, & nullius momenti ſcrupulos, aliena delicta, & cantilenas intexendo, quibus fęmineus potiſſimùm ſexus ſolet non rarò abſoluere Confeſſionem; ſed graues reuerà, proprias, & lethales

culpas

culpas lacrimoſa Confeſſione neceſſariò diluendas eructando. Culpas rurſus ſolas inſpiciendas admonet Hipp. non res piè geſtas, ſi quas peccator ediderit, vt plerique conſueſcunt, cum Phariſeo, temeraria Confeſſione proferre, ſed res omnes iniquè patratas, vt probum decet pœnitentem, humili Confeſſione, cum Publicano, referre, ne, dum deſpicitur huius humilitas, in æternam ſuperbiæ Gehennam deſcendatur, cum illo.

Inſpiciendum denique, *quibus purgatio conueniat*, inquit Hipp. & concludit; quibus nempe Sacros inter Miniſtros Confeſſio conueniat tutiùs, & fidenda magis conſcientia, cum procul dubio non omnibus indiſtinctè committenda, nam quemadmodum ægrotantes, propriæ conſulentes ſaluti, peritioribus ſe Medicis committunt curandos, ita ſanè peccator quilibet erudito, pio, ac perito ſe ſubmittat Confeſſario corrigendum, tali ſcilicet, qui ligare ſciat, & ſoluere, vt inquit Auguſtin. lib. de pœnit. neque per hunc, illumue gaudeat peccator noxia inſtabilitate vagari, ſed vni aſſueſcat, vt infirmus Medico, qui mores noſcat, & genium, vt corrigat, vrat, ſecet, vt ſanet, & præſeruet ne recidat; neque peccator mutet Sacerdotem, niſi fortè nimis indulgentem, neque Confeſſionem diuidat, vt plerique hypocritæ triſtes, qui culpas minùs graues aſſueto recitant Confeſſario, grauiores verò non cognito, qui dum Confeſſionem dimidiare ſtudent, ſciant integram non eſſe, & idcircò neque ſæpe conferre, nec facilè ferri à Deo potiſſimùm illuſione læſo, quem totis viribus enitamur ſtabili Confeſſione, & Confeſſore comparare propitium, vt pœnitentiæ clauibus os ſibi quiſque claudat Inferni, & portas aperiat Paradiſi, vbi cum Regio Pſalmiſta concinat in æternum. *Os aperui, & attraxi ſpiritum.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Crimina ſi purges, purgari qualia debent,
Confert, & leuiter Pharmaca ſacra feres.

APHORISMVS III. PRIMÆ SECT.

Habitus exercitatorum, qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, neque enim in eodem poſſunt permanere, neque quieſcere; cum verò non quieſcant, neque poſſint in melius proficere, reliquum eſt, vt decidant in deterius. His de cauſis bonum habitum ſtatim ſoluere expedit, vt corpus rurſus nutriri incipiat; neque compreſſiones ad extremum ducendæ (periculoſum etenim) ſed qualis natura eius, qui debet perferre ad hoc ducere conuenit, ſic & euacuationes, quæ extremæ ſunt, periculoſæ, & rurſus refectiones, cum extremæ fuerint, periculoſæ.

EXPOSITIO MEDICA.

LVxuriantem corporis, & ſuccorum molem ad ſummum bonitatis euectam periculoſam pronunciat Hipp. in præſenti Aphoriſmo, & lubricam, quod abſolutè nequeat in eadem affluentiæ plenitudine vlteriùs extendi, & cum nulla ad melius acceſſio poſſit adiungi, neceſſe ſit vt in deterius delabatur, & tribus potiſſimùm obnoxia ſit periculis: primò, ne diſtenta nimis vaſa circa pulmones, & hepar dirumpantur, vnde inflammationes, & hemorragiæ: ſecundò, ne præ multitudinis impetu, & vbertate ſuborta vniuerſalis obſtructio calorem ſuffocet natiuum, vnde ſincopes repentinæ, & febres: tertiò, ne venarum capitis interceptiones fiant, vnde apoplexiæ, & finitimi capitales affectus, quibus obuius Medicus, & Plethoricus properet ſoluto ſtatim conſarcinato corporis habitu imminentes ſemel factas ſemper factas ægritudines anteuertere, vt natura ſuo non fruſtretur

munere,

munere, & renutritioni detur locus, nec vacuatio purget vltrà virium metas ad ſincopem, ſed virtutis, & plenitudinis robore metienda; nam ſicut vniuerſim vacuationes extremæ periculoſæ, ſic etiam refectiones repentinæ, & ſummæ certa habent diſcrimina propter ſubitam temperamenti, habitus, & actionum naturalium alterationem.

EXPOSITIO MORALIS.

De nimiæ opulentiæ diſcrimine.

IN paucis expoſitam medicam Hipp. mentem: eruamus moralem, quam, niſi quis obtuſa ſtupeat Minerua, ſingulis crediderim perſpectam, cum neminem lateat nimiæ ſuccorum vbertatis, & Athleticæ plenitudinis exemplo, ſat humanas exprimi felicitates, quæ cum ad ſummum creuerint exuperantiæ, vt inexplebilis mortalium animus, ad vlteriora ſemper inhians aquieuerit, non minùs periculoſæ, quàm ſit pleniſſimus *exercitatorum habitus*, cuius in melius impoſſibilis progreſſio, certiſſima verò in peius retroceſſio, ſatis abundè docet humanæ felicitatis corpora, quæ ſummè diſtenſos habeant potentiæ muſculos, turgida facultatibus vaſa, & ſolidam adeò fortunæ molem, vt nihil ſuperſit optandum; cum in eadem ſiſtere nequeat ſtatione, nec migrare in meliorem, in deteriorem remeet neceſſe eſt, & præfatis obuia periculis, certo Athletarum corruat diſcrimine; nam quemadmodum ſaturatus corporis habitus, ideo dicitur periculoſus, quòd naturam ſiſtat, nec ſuo fungi munere liberè permittat, ac oppleto ſpatio, quo generandis, apponendis, agglutinandis, & aſſimilandis humoribus valeat vlteriùs dilatari, ruere cogat in peius; ſic pleniſſima quæque rerum fecundarum copia dicitur periculoſa, quòd Chriſtianam non ſinat animam ſpiritualibus foueri exercitijs, & præcluſo ſpiritibus ſpatio, quò minùs in Cœlum queat eleuari, neque pijs operibus explendis, neque meritis vllis apponendis, neque cœleſtibus donis agglutinandis, neque aſſimilandis iuſtorum exemplis pro debito ſinat incumbere, ſed remigrare cogat in deterius, & certa Ath-

letarum ſubire pericula: quamobrem vel diſtenta nimis vaſa de-hiſcent, ea ſcilicet ſingula, quibus pro genio conſtat, & ſua ſeruatur vnicuique felicitas, diſrumpentur, vt Principibus fracta ſubditorum fide, ſine qua nulla felicitas, Aulicis, & Miniſtris amiſſo Principis genio, ſine quo ſors omnis decidua; Martiali-bus imperandi reuocata dignitate, ſine qua lapſa proſperitas, ſa-pientibus detracta ab inuidis fama, ſine qua fractus ſapientiæ ap-paratus deperditis liberis conſternata Parentum ſolamina, diſrupta naui deſperata negotia, iacta zizania ſoluta amicorum ſocietas, vaſa tandem omnia, quibus vnicuique ſortem ſummam fixiùs infixam videbit Omnipotens, aduerſis ſinet caſibus effringi, vnde inflam-mationes, & hemorragiæ; ſuccenſa videlicet Reges inter, & Principes mutua præliorum incendia, ebullientes populorum ſe-ditiones, conflagrantes vrbanæ contentiones, & rixæ, efferue-ſcentes inuidioſorum machinæ, ex quibus conſectariæ hemorra-giæ, profuſæ nempe ſanguinis effuſiones, inuitæ facultatum ex-torſiones, per amiſſa Regnorum, & Regionum iura, vel per Regna ipſa, Prouincias, Ciuitates, rura, domos, quibus ſe quiſque felicem ſtatuerat, alienis iniurijs occupatas.

Quod ſi præfatis exuberantiæ vaſis minimè ruptis conſtiterit, & idem protrahetur humanæ felicitatis faſtigium, vix ſecundum euitabitur Athletarum diſcrimen, quorum corpora, ſi vitalis præ-ſocetur ſpiritus, & humorum prohibeatur difflatio, in ſincopes facilè labuntur, & febres; ſic rebus quibuſcumque proſperis ſum-mè abundans, caueat, ne diuinis poſthabitis, vel ſubtractis in-ſpirationibus, & obruto rebus nimiùm ſecundis ſpiritu, & corde penè nunquam erigi poſſit ad Dominum; ſicut aurum probatur igne, ſic ardentibus ipſe febribus, vel alijs à Deo reuerà tradatur morbis probandus, & cum præcipiti virium omnium lapſu con-flictandus, donec ſummam agnoſcat miſeriam non nouiſſe ſum-ma in felicitate Largitorem felicitatis, & miſeriæ Permiſſorem, quarum maximam fatebitur amiſſam ſanitatem, ſine qua ſi quis emineret ſapientia Salomonis, pulchritudine Abſalonis, fortitu-dine Sampſonis, diuitijs Creſi, & felicitate Octauiani; quid me-herclè tot prodeſſent dona? quid vltrò præſtarent, niſi morbo robur, & ægrotanti tædium?

Si ſors

Si fors denique, vel maius infortunium detineat, vt nec internis, nex externis agitata caſibus manſerit nihilominus inconcuſſa felicitas, quiſquis ea floruerit proſpiciat attentè, ne tertiam demum ſubeat Athletarum ruinam, ne facta ſcilicet venarum capitis interceptione corruat apoplexiæ fulmine percuſſus, ne videlicet ſucculento nimis rerum ſecundarum infarctu, obſtructis cerebri ventriculis, intercipiatur adeo via mentis, & rationis ad Deum, vt vitali prohibita Sancti Spiritus irradiatione, totum felicitatis, & opulentiæ corpus vnà cum vita repentino concidat interitu, vt quotidiani proferunt euentus, horrendus præſertim ſpectante D. Ambroſio Epiſcopo, qui cum apud diuitem hoſpitandi gratia diuertiſſet, nihil vnquam in toto vitæ curſu aduerſitatis paſſum ſe iactantem, bonus Antiſtes vix audita incorruptæ, & diuturnæ felicitatis hiſtoria, è veſtigio receſſit à diuite, dixitque ſe inde recedere, ne vnà cum homine perpetuis proſperitatibus inflato ſtatim ſuccumberet: non ita procul exceſſerat, vt conuerſus reſpiciens, vidit ædes diuitis cum ſingulis habitatoribus terræ hiatu abſorptas; ne peſſimis igitur Athletarum ſortibus illudatur humana felicitas, quiſquis humanis nimiùm circumfluit bonis, cum ſibi proſpera viderit arridere ſingula hunc legat Hipp. Aphoriſmum, & dum leget Auctorem ingenuè fatentem, impoſſibile eſſe in eodem ſtatu permanere, & quieſcere, turbabitur cum Ambroſ. nec turbatio ſola ſufficit, ſed celeri ſtudebit præſidio proxima declinare pericula, quæ quidem vt ocyſſimè vitentur pleniorem habitudinem ſoluendam iubet Hipp. vt corpus nutriri incipiat; ideſt cum Paulo felicitatis exuberantiam, cũ repentè mouetur, minuendam, vt non irruat, nec ſoboleſcat in vitia, luctando feriò cum proſperitate, ne illiciat, ne corrumpat, ne ſubuertat, & obruat animam, quò minùs ad beatas extendi queat felicitates.

Quibus verò pæſidijs, & qua ſit arte ſoluendus optimus proſperantium habitus, ſat abundè docet Athletici curatio, cui natura ſuccurrit, vel proſpicit artis auxilium, profuſa aliqua ſanguinis euacuatione confeſtim celebrata, ad cuius proportionem vacuabit etiam quiſquis erit in caſu, cum diuina afflante gratia proſperitates cęlitùs demiſſas recipiens, ſuo non imputans Marti, totas Deo referet acceptas, & quas viderit ſuperfluere, facta ſtatim effu-

ſione

ſione diſperdet, dabitque pauperibus, vel propria quæque ſit, proximo communicata felicitate; hac enim ſubita, & pia mino-ratione præcauebis, quæ ſuperſtant pericula. Cum verò minùs præſentaneis præſidijs ſubtrahi poſſit omnis plethorica vbertas, purgantibus nempè inædia, balneis, frictionibus, exercitijs, & digerentibus alijs auxilijs, ſic prouentu non impari mundana ſenſim tenuabitur felicitas, vel temperabitur, ne inſoleſcat per purgationes, frequenti Confeſſione ſacra peractas, vt ſuperbiæ inflamentis reſiſtas cum Chriſoſt. per inędias ieiunijs exinanitus, vt carnis illecebras declines cum Bern. per balnea, comparato tibi in lacrymis culparum lauacro cum Caſſiod. ſuper pſalm. vt ſuper niuem dealberis cum Pſalmiſta, per frictiones, laceratis ſæpè cilicio lumbis, & funiculis dorſo, vt Veneris blandimenta dilaceres cum Hieron. per exercitia quæque ſpiritualia, orationes, eleemoſynas, pia conſilia, & per ſingulas denique ſanctas functiones, quibus facilè depleri poteſt nimia felicitatis vbertas, vt vacuata circumflua plenitudine, qua negabatur dilatatio cordis ad Dominum, dilatetur & animæ ſpatium, quo promptiùs diuinæ legis pabulo nutriatur, & Deo pſallat cum Regio Profeta. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*.

Neque compreſsiones ad extremum ducendæ, ſubdit Hipp. *periculoſum etenim, ſed qualis natura eius, qui debet perferre*, ideſt, non ad animi vſque deliquium, & profundam virium iacturam molienda vacuatio, cum praxis hæc periculo non careat, ſed ad cuiuſque naturæ exigentiam, & tolerantiam: ſic, cum Paulo, ad extremas vſque ærumnas comprimendæ non ſunt felicitates, niſi felicitas in religioſa paupertatis electione conſiſteret (tunc etenim quò plus aucta felicitas, eò tutior, & iucundior) ſed mundanæ eò vſque detrahendæ, quò quælibet conditio queat cum Pſalmiſta ſeruire Domino in lætitia, felicitates ea ſenſim ratione minuendo, qua quis arboris ramos fructuum pondere grauitantes, & inclinatos ab imminenti vindicat fractura, fructibus non omnibus decerptis, ſed quibuſdam tantùm, vt reliqui ad maturitatem ſeruentur; ita quidem proſperitatis fructus illos deponendos monet Cirill. quorum pondere curuatus ad vitia mortalium animus frangitur, alios verò ad ſalutis maturitatem ſeruandos, vt in cœleſti

Dei

Dei conuiuio ſibi præſtent eſcam, quam dedit Dominus timentibus ſe, & fixam dent inde poſteris ſortem, quam rectitudine quiſque firmauerit.

Si tamen humanæ ſortis viciſſitudo, vel mauis imperſcrutabile Omnipotentis placitum vniuerſæ felicitatis cuipiam immitteret, (vt Patientiſſimo) iacturam, non turbabitur, qui cœleſti tactus fuerit virga, nec ſtatim de redimenda felicitate anxius hanc affatim, & repentè recolligendam curabit, ſed ſenſim ad virium proportionem, cum non minùs periculoſa ſit ſumma refectio ex Hipp. quàm extrema vacuatio: vnde cum in extruenda celeri opulentia violento corporis, & animi motu opus ſit, niſi manus auxiliares adhibuerit iniquitas, vix conceptas abſoluet ideas; idcircò ne quis in optanda aliena, vel conſtruenda propria felicitate vlteriùs torqueatur ſe totum diuino ſiſtat decreto, ex quo, cum quo, & per quod proſpera, & aduerſa quæque cęlitus immittuntur, vel permittuntur, & ſciat, quod exprimitur prouerbiorum 13. hac aurea ſententia.

Subſtantia feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manumultiplicabitur.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quæ ſupereſſe putas, ſuperis niſi reddere cures;
Sors inimica teret, quidquid amica dedit.

Victus tenuis, atque exquiſitus in paſſionibus quidem longis ſemper; in acutis verò, in quibus non conuenit, periculoſus; & rurſus, qui ad ſummum deuenit tenuitatis, grauis eſt: nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, periculoſæ.

EXPOSITIO MEDICA.

ABſoluta certis legibus vtriuſque, puræ, & impuræ plenitudinis detractione præcepta quædam aggreditur Hippocr. circà adiectionem ad rectam victus rationem in morbis ſtatuendam, à tenui, & exquiſita dięta ſumens exordium, quam diuturnis morbis ſemper, & pleriſque acutorum, quibus non apta, aduerſam pronunciat, & periculoſam, eò quòd vires non fulciantur, quibus, & diuturnitati, & acutiei poſſit æger ſufficere, damnans vlteriùs extremæ tenuitatis, & plenitudinis victum, tanquam grauem, & naturæ perpetuò moleſtum; quapropter vt dietæ pleniſſimæ, ac tenuiſſimæ vitentur incommoda, virium ſtatus cum morbi longitudine, & breuitate conferendus; atqui ſi morbi terminum fore diſſitum præuideamus, vt diuturnam natura pugnam queat perferre, pleniori roboranda alimento; ſi verò breuem, perpendenda vlteriùs acuties morbi, & virtutis validitas; etenim, ſi cum morbo breuioris ſtadij virium copuletur infirmitas, non exquiſito adeò, tenuique victu vtendum, vt exigit ægritudinis indoles, ſed indulgendum paulò pleniore, ne vires concidant radicitus infirmæ; quamobrem, vt tutò nutrire poſſimus in morbis, vniuerſalia, & particularia ſingulorum tempora, magnitudinem, & virium menſuram teneamus expedit, vt conſtet quibus tenuis, quibus media, & quibus denique plenior aptiùs conueniat, ac tutiùs victus ratio.

EXPOSITIO MORALIS.

De diabolica tentatione, & eius remedio.

POſt longas corporis paſſiones, & acutas nonnullas, in quibus tenuis victus ſemper periculoſus, morales etiam eruamus ab Hipp. deſcriptas, & lethales, in quibus tenuis virtutis oppoſitæ victus ex ęquo periculoſus, quòd animæ viribus virtutum pabulo minimè recreatis, ſæuientibus diù nequeat obſiſtere pathematis. Ex innumera paſſionum claſſe, quæ mortalium fatigant animos, geminas tantùm ſeligamus, & noſtro aptemus commento tanquam diuturniores; diabolica nempè tentatio, & humana cupiditas; ægritudines quidem inter cæteras longę adeò, & pertinaces, vt ſeneſcente homine minimè ſeneſcant, ſed pueraſcere incipientes, ad interitum vſque comitantes profe- rat Hieronym. diabolica potiſſimùm tentatio; ſine qua teſte Au- guſt. ſuper pſal. 60. noſtra nequit perfici peregrinatio, quia profe- ctus noſter, (ait ille) per tentationem noſtram, nec ſibi quiſquam innoteſcit niſi tentatus, nec poteſt coronari militia noſtra niſi priùs vicerit, nec vincere niſi certauerit, nec certare poteſt niſi inimicum, & tentationes habuerit: vndè indeclinabilis tentatio vt in Eccl. 2. confirmatur his verbis! *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & præpara animam tuam ad tentationem*; vt igitur vi- res ſuppetant animæ, quibus diutiùs, & acriùs valeat colluctari aduersùs huiuſmodi longas paſſiones, quicunque tentatus fuerit, non tenui, ac exquiſito, cum ſit periculoſus, ſed pleno fruatur victu, ſtabili ſcilicet roboretur fide, iuſtitia, & timore ſuffulta, ora- tionibus ſe muniat, & patientia, verbum Dei, quod ferculum dicitur animæ ex Iſidoro audiat & cuſtodiat; vt tartarei tentatoris obſiſtat inſidijs, qui tot nobis prætendit, quot noſcit genios; no- ſcit enim, cui carnis illecebras ingerat, cui virus propinet inuidiæ, quem ſtimulet incitamento luxuriæ, noſcit quem męrore contur- bet, quem lętitia fallat, quem metu opprimat, quem admiratio- ne ſeducat, omnium diſcutit mores, omnium ſcrutatur affectus, & ibi quęrit cauſam nocendi, vbi quempiam viderit diligentiùs

occupari, nec vrgere definit animas, donec per peccatum viderit emortuas, & ſub marmorea impotentia reſurgendi tumulatas; tunc etenim tentare definit, & ſi fortè quempiam manuducente Dei gratia præuiderit fore rediuiuum, actiùs exurgit, virus, & vires exerit omnes, vt nos reuocet, & perdat, quo tempore, velut in acutis paſſionibus, in quibus non conuenit neutiquam tenui, ſed pleniſſimo cœleſtium epularum pabulo vtendum, vt fatiſcentes animæ vires augeantur; eò potiſſimùm victus genere, quod à D. Bern. ſer. 12. ſuper pſalm. *Qui habitat*, proponitur his verbis. *Quoties acutiſſima cernitur vrgere tentatio, inuoca cuſtodem tuum, doctorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus tuis, in tribulatione clama ad eum, & dic. Domine ſalua nos perimus; non dormitat, neque dormit Dominus, & ſi quando ad tempus diſſimulat.*

Si verò ſeuiſſima in tentatione tenuiſſimo cogitat anima poſſe rerum Diuinarum victu obruentibus obſiſtere tentationibus, fallitur, cum ex Hipp. nullo ampliùs verſetur in periculo, ſed grauis iam fit, & moleſtus, & *qui potiſſimùm ad ſummum deuenit tenuitatis*; ideſt, cum non modò tenuiſſimo, ſed nullo prorſus virtutis alimento finit quis animum ferri, quò fert genius, & deprauatos mores ducit, quò fert tentatio, quæ, cùm ad ſummam creuerit repletionem, grauis etiam non minùs, quàm tenuiſſima operum Deo placentium abſtinentia.

Feritate non impari mortales angit animos humana cupiditas; ſumma tentationum repletio, vniuerſa licet conſletur vitiorum turba, humanarum tamen rerum cupiditate completur; paſſio quidem inter acutas non breuis, dum ſingulis innata ad tumulum vſque impellat non paucos: hæc poſtrema paſſio, ſi tanto germinet incremento, vt ad extremam creuerit plenitudinem, pleniſſimam nimirum prætentæ rei poſſeſſionem, periculoſa ex Hipp. & moleſta; periculoſa quidem, cum ſurſum ferri neſcia, terrena ſemper cogitans, à terra tandem abſorpta, in imis terræ barathris plectatur: moleſta inſuper non minùs ſibi, quàm proximo hæc repletionis in ſummam plenitudinem euectio; Sibi quidem, dum cupidus ex D. Aug. qui moderari neſcit cupiditatibus, equis quaſi raptus indomitis voluitur, laniatur, & ne cumulata pereant, & diſpereant cumulanda, torquetur. Proximo vlteriùs moleſtiſſima, cum ma-

lorum

lorum omnium radix cupiditas, ex Auguſtino, ſacrilegia committat, ac furta, rapinas patretur, ac prędas, bella gerat, & homicidia, ſimoniacè vendat, & emat; iniquè petat, & recipiat, iniuſtè negotietur, & fęneretur, dolis inſtet, & fraudibus, pacta diſſoluat, & violet, iuramenta, teſtimonia corrumpat, & iudices peruertat, ac iudicia: vide quàm moleſta ſibi, & cęteris ſoboleſcat in damna cupiditas. Tot igitur mortalis diſce declinare diſcrimina, ne ſubeas infelix illa, quibus obnoxiæ, ex Hippocr. ad ſummam plenitudinem productæ repletiones, quæ ſanè quemadmodum præfocato, præ oneroſa humorum ſarcina, calore innato corpus innumeris concidere cogunt morbis, ſic ratione non diſſimili ad extremam vſque ducta rabiem habendi deſideria, pręfocata Charitate, quæ calor eſt cęleſtis, animas mundana obrutas opulentia tot ruere cogit in ſcelera, quot curæ manuducuntur ad opes. Ora igitur cum Pſalmiſta, ne diuitias det Omnipotens, quibus comes ſit inexplebilis cupiditas, & auertat paupertatem, niſi ſtatuerit ad ſalutem.

DISTICHON APHORISTICVM.

Hoſtis tartarei ſi vis deludere vires;
Diuinis ſtudeas te reparare cibis.

APHORISMVS V. PRIMÆ SECT.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur; ſi quidem error, qui in hoc fit, grauior eſt, quàm in paulò pleniore; eadem de cauſa ſanis etiam valdè tenuis, ſtataque victus ratio parum tuta, quia errata grauius ferunt. Quare tenuis, exquiſituſque victus paulò pleniore maxima ex parte periculoſus.

EXPOSITIO MEDICA.

INſalubres, ſalubreſque corporum ſtatus; quo tractandi ſint victus onere, & ordine notat Hippocr. in præſenti Aphor. ægroſque tenuis victus delicta, multòque magis ſanos grauiùs ferre, & vniuerſim in vtriſque tenuem, & accuratum, *paulò pleniori* magis calamitoſum decernit, cum viribus ægro, communi, ac peculiari cuiuſque naturæ in habitu, temperamento, actionibus, humorum dominio, & conſuetudini, quę aduentitia eſt natura, ſtatuatur aduerſus; concluditque exquiſitiſſimi victus damna, minùs, quàm vberioris reparabilia, quòd vires atterantur morborum medicatrices, quò minùs valeant corpora valetudinaria, & bene valentia in morbos lapſa, præ delicatula diętа in ciborum ſubſtantia, qualitate, quantitate, ordine, & tempore miniſtrata in priſtinam reducere incolumitatem.

EXPOSITIO MORALIS.

De Cibo Euchariſtico.

COrporis ſubſtantia, calido innato, ſpiritu inſito, & humido conſtans primigenio fluxiſſet affatim, niſi pabulo reparabilem alimentari conſtituiſſet Omnipotens ad metam; ſic animæ ſubſtantia, regendo corpori accommodata, inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata

in Fide,

in Fide, dotata in ſpiritu, redempta ſanguine, ab Angelo cuſtodita; capax beatitudinis, rationis particeps, Deo viuens per gratiam defeciſſet vtique in via ad gloriam, niſi pabulo reſtaurari, ac ſi fortè receſſiſſet illa, reuiuiſcere poſſet ad Dominum, cuius benefica ſemper manus pabulum præſtitit ineffabile, cum, memoriam faciens mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe in pane, qui de cœlo deſcendit, viuo, ac vitali; Euchariſtico ſcilicet in cibo, ſolius incorruptibilis animæ incorruptibili victu, omne delectamentum in ſe habente; In hoc ergo victu cœleſti nobis præſtito dextera ex aphoriſtica Hipp. ſententia, eruamus quidquid errant mortales. *In tenui victu* prima ſtatuit Hipp. mortalium delicta; in ægris primò, mox in ſanis.

Sanos, & ægros Iuſtos exprimi, & peccatores ſat paſſim ſacræ teſtantur paginæ: quis igitur, vel rudioris Mineruæ, non videt *in tenui victu ægros delinquere*, ſatis abundè in hac particula impios omnes ab Hipp. damnari, qui *tenui victu*, raró ſcilicet, vel nunquam, & ſi quando, coactè tamen, vel ineptè, languentes animas Euchariſtico refouent alimento? *quò fit, vt magis lædantur*, innuit Hipp. & appoſitè; nam quemadmodum *tenuis, & exquiſita victus ratio* vires minuit ægrotantium, quò minùs valeant in ſæuientis morbi victoriam ſufficere, ratione non impari, cęlitus parati victus tenuitas vires ſubtrahit ſpirituales, quò minùs impius erigi poſſit ad Dominum, & nequiſſimi tentatoris inſidijs elidendis queat conſtare; magis igitur ex tenui victu lędi certiſſimum; cum nempe, propitiatorij panis parſimonia leſi in omnimodam tranſire audeant abſtinentiam, ac deplorabile faſtidium, vnde vitiorum luxuries, laxamenta virtutum, emortua ſinderęſis, tepida Fides, robur pęnè nullum gratiæ, ſummus vigor tartari, animæ tandem in extremo conflictu irreparabilis iactura. Vide peccator, an penitiùs poſſis lędi; terreat igitur te tanta lęſio, quæ ſempiterno completur ſupplicio, delectet ſalutaris iſta refectio, quam condiuit Creatoris dilectio: excita Fidelis languentem appetentiam, neque cum perfido Hębreo nauſeet vlteriùs anima tua ſuper cibo iſto, ſed vtere pleniori; ſub hoc enim per aduentum gratiæ pleniſſima latent delectamenta; ſi fortè victum renuis, quod intermiſeris diù, vel guſtaueris nunquam, proba te ipſum cum Paulo, &

audacter cum Ioſeph pete corpus Ieſu, omni priùs obice ſubla- to; mente nimirum cum emendationis propoſito integra Confeſ- ſione deterſa, accede, vel reuertere ad ſalutarem eſcam, qua ro- boratus in fide, nuſquam deficies in via peregrinationis tuæ ad Dominum; neque cibum reſpuas, aut protrahas Sacramentalem, quòd tanto te reputes indignum, etenim, qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit, & quò plus differes adaucta ſcelerum ſarcina, ac attento minùs animo, plus adibis incapax, & ſi quando accedere decreueris, cum te dignum prę́ſumpſeris, elatione nimia, vereor ne fortè fias indignior. Eia ergo peccator reſipiſce, & in hoc te- nui Deifico victu ne delinquas vlteriùs, ne magis concidat robur gratiæ, ſed vtere pleniori, & audi Hipp. pronunciantem errorem fieri valdè grauiorem *in tenui*, quàm in *paulò pleniori*. Paulò igitur pleniori in victu videamus qui ſubeſſe poſſit error, vt tenuioris delicta grauiora eluceſcant. In pleniori, ac materiali corporis vi- ctu delinquitur ſemper errore plenitudini reſpondente, plus, mi- nùſue ad illius exceſſum emendabili. At in ſpirituali animæ victu Euchariſtico nullus, licet pleniſſimus, criminandus; in pleriſque tamen neque laudabilis, neque reprehenſibilis exceſſus. Qui ple- niſſimo non delinquunt in hoc ſalutari victu ſunt, qui ſemper de Deo cogitant, & diuina ſemper ſapiunt diuinis addicti myſterijs, & omnes ab hoc ſę́culo ſecluſi, Sacerdotes potiſſimùm, qui quo- tidiè Sacroſanctam Deo immolant Hoſtiam, hi ſiquidem pleniſſi- mo vtentes hoc victu, niſi interna careant aptitudine nequeunt de- linquere, vt laici quamplurimi, qui, mundanis curis irretiti, raro quærunt pleniori hoc Angelico refici alimento, quin error aliquis interturbet, cum vix ab humanis ad diuina quotidie queant ani- mos reuocare, & Deo ſe totos adeo ſiſtere, quin propriam quan- doque negligant vocationem; poſthabita nimirum, vel non pro debito miniſtrata facultate, quàm cuique tribuit Omnipotens, pro- ximo proficuam, vnde non cognitus contingit error. Poſtremas Aphoriſmi particulas diluamus; ſubdit Hipp. *Sanis etiam incommo- dam, & parum tutam tenuem victus rationem, quòd errata grauiùs fe- rant*, & feriant, Iuſtos ſcilicet ſanorum titulo pręmonens ſenex noſter, ne ſacramentato pane tenuiter; ideſt raro vtantur, quòd de- licta poſtmodum, ſi quæ patrauerint, grauiùs feriant ſe ipſos, Deum,

& Pro-

& Proximum. Se ipſos primò lędunt, cum corruptio optimi peſſima, & per peccatum ſibimet ipſis fiant graues; Proximum feriant deinde, laxiori præſtita peccandi anſa ex ſcandalo; Deum poſtremò ne dicam primò, cum vulnera ab amico inflicta grauiùs feriant, & ferantur. Ne igitur Iuſte, dum delinques, tibi grauis ſis, & moleſtus cęteris, Angelico pane ſępius adauge vires animæ, ne lubricus cadas impoſterum; neque dicas à pleniore victu me timor reuocat, & reuerentia: caueas, reſpondet Bern. ne torpor ſit quam cogitas continentiam, & ſcias quod anima ad Dominum alis euolat duabus; timore ſiquidem, & amore, ſi te timor à frequenti arcet Cœli conuiuio, compellat amor frequentiùs; ſic itaque ad paratas epulas Rex Euangelicus ſeruo iuſſit, vt quoſcunque inueniſſet intrare compelleret; quid compulit, niſi amor! Amorem igitur amore repende, & pleniori vtere hoc Sacramento, ſi iuſtus es, vt ſerues ſtatum gratiæ, vt fixa magis hęreat, tibique nunquam pereat, & ſi quando eam amiſeris, poſſis ocyùs redimere; ſic verò peccator reſipiſce per pęnitentiam, & animam hoc mirabili refoue Sacramento, vt cum ſemel guſtaueris, Sancto firmatus Spiritu, pleniori aſſueſcas impoſterum; cum plenioris experimenta tutiora concludat Hipp. inquiens, *Quare tenuis, exquiſitaque victus ratio paulò pleniori maxima ex parte periculoſior*, quaſi intonet Hippoc. magis tutum ad ſalutem hoc refici Sacramento; paulò pleniorem victum inſinuat his, qui ſemel in anno vnica refectione ſaturantur, cum Paſchalia cogunt ſolemnia, & vrgent cenſuræ fulmina; his equidem plenior, bis nimirum, aut quater, aut ſaltem ſemel in menſe Dominicus congrueret victus. Paulò plenior repetit Hipp. non pleniſſimus, vt pleriſque, qui quotidiano, vt ſancitum, vix ſaturi ſunt Sacramento, quos cum D. Auguſtin. nec laudo, nec reprehendo: qui verò Chriſtiano viuunt in ouili, & Agno veſci renuunt immaculato, quibus ſcilicet deiecta prorſus eſt ſacroſancti victus, ac ſalutaris epulæ appetentia, vereor ne ſublata Dei gratia, & neceſſario ad ſalutem fidei robore penitus collapſo, ad tartara demum deſcendant, vbi quiſquis ſit, inani dolens pęnitentia dentibus fremens, ac tabeſcens, perpetua ſit lamentatione exclamaturus; *Crucior in hac flamma* iugi languens deli-

deliquio, quia oblitus ſum comedere panem meum, ac iraſcens, iuſtum, (ſi pro ſupplicio dabitur) Chriſti commenſalem videbit in Cœlis, cuius menſam non renuerat in terris.

DISTICHON APHORISTICVM.

Læditur in tenui victu peccator, & errat,
Cum renuit ſacro cor refouere cibo.

APHORISMVS VI. PRIMÆ SECT.

Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

EXPOSITIO MEDICA.

VVlgatiſſimum Therapiæ præceptum eſt Remedium par, morboque congruum perpetuò coaptandum, vt mitis miti, mediocris mediocri, maximus maximo propulſandus ſit remedio; ſic extremis morbis in ſpecie, & in diuiduo extrema congruunt ex methodo ſubſidia, vt morbi ſęuities æqua oppugnetur immanitate remedij; victu nimirum nullo, vel tenuiſſimo, qui ſummè maceret, atroci Chirurgia, quæ ſecet, vt expedit, vrat, & amputet, & horrida, ac rudi Pharmacia, quæ vacuet, alteret, & moueat, ſi ſperanda ſit morbi victoria, ad animi vſque defectionem ſingula; at ſi morbus extremus adeo ſit, vt æger minùs ferendo indeclinabile ruere videatur in exitium, tunc omni ſubtracta auxiliari manu, remedio nullo agendum, ſed ſola prognoſi relinquendus, ne inculpabili mors imputetur remedio, vel ſi ab aſſidentium turba (quòd fit non rarò) cogimur aliquid moliri, cum proteſtatione, nullum, niſi ſolis officinis, fore allatura emolumentum quæuis inuoluenda remedia.

EXPOSITIO MORALIS.

De differentijs morborum animæ.

QVis etiam, non ſecus ac corpus obnoxia morbis anima, & vtinam nullis, neque pluribus, neque pernicioſioribus; at innumera, proh dolor! morborum claſſe, quis miſeram non videt poſſe circumuallari, & grauiora, quàm corpus ſubire diſcrimina: Corporis affectibus videamus, an ritè, tot animę reſpondeant morbi. Morborum tres ſummas ſtatuit differentias Medicorum ſchola, in ſimilares diuidens, organicos, &

vtrique communes ſummis morborum generibus perbellè aptabiles, quibus, & ęgrotare ſolet anima, qui ſimilares pariter ſunt, organici, & vtrique communes: ſimilares dixerim, qui ſimplici mentis intemperie cóplentur, organicos, qui abſoluuntur opere, & vtrique communes, qui verbo concipiuntur, & locutione; alijs anima non infirmatur modis. Qualibet primum poteſt intemperie alterari anima, & laborare: calida ex D. Paulo, cum æſtuat ira, excandeſcit inuidia, inceditur auaritia, & febrit luxuria: frigida torpet intemperie, cum frigeſcit in Deum Charitas, alget in proximum dilectio; humida laxatur diſcraſia, cum mundanis quis diffluens delicijs in exoſa fluit laxamenta virtutum; ſicco demum tabeſcit intemperamento, cum, ſicut terra ſine aqua Domino, nulla viui fontis irrigatione quæſita ſterileſcens, non niſi ſpinoſos fruticat delictorum tribulos; En animæ morbos ſimilares, qui complicari quidem poſſunt, & vtinam philoſophicum præter ordinem intemperies non ſimul omnes confunderentur.

Organicis etiam morbis infirmatur anima, & quemadmodum ad organicæ partis ſtructuram quatuor, vt Medici tradunt, concurrunt perfectiua: conformatio ſcilicet, magnitudo, numerus, & connexio, ſine quibus pars, vel non, vel malè, ſuo fungitur munere; ita quidem animæ ſtructura, ſi huiuſmodi careat complementis, ſi nempe Deo neſciat conformari, careat Fidei magnitudine, mandatorum non ſeruet numerum, & connexam non habeat cum Fide Spem, & Charitatem, vitiata hoc modo ſtructuræ ſimetria, nullas anima Deo gratas edere poteſt functiones, & ab impoſito deflectens munere complebit opere quidquid mente conceperat intemperata, conformationis, magnitudinis, numeri, & connexionis vlteriori deformata vitiorum turpitudine: conformationis quidem, dum quaſſata rebus aduerſis, Diuino renuet beneplacito conformari, & irrequieta vetitis ſtudebit ſęculi præſidijs ærumnas excutere, quibus per humilitatem ſibi confiuratam ſtatuerat Omnipotens; & hinc magnitudinis exurgunt crimina, cum nempe, ſi proſpera ſuccedant ex voto ſingula, Diuinæ nihil Prouidentiæ, ſed ſors proprio tota tribuitur marti, adaucta temerè proprij magnitudine ingenij, & cęleſtis magnificentiæ amplitudine diminuta, vnde nihil computans eorum, quæ ma-

nudu-

auducunt ad ſalutem, culparum nulla numerata ſindrome, vt do-leat, neque donis cęleſtibus in mentem reuocatis, vt gratias red-dat, tota mundo addicta, nullam Deo ſeruet adhęſionem, vnde connexionis, & numeri crimina ſuboriuntur innumera.

Suam patitur & anima ſolutionem continui, poſtremum morbi genus, quo partes ſimilares ſibi inuicem cohęrentes in organica-rum coeunt ſtructuram, & ſimul omnes continuato nexu conſpi-rant in vnum, totæ toto corpori ſeruientes, quarum, ſi quæ à ge-nuina continuitate deſciſcat, corporis adimit integritatem; ita ſanè conſtat anima Deo, quandiù partes ſimilares illius, nempe facultates omnes, ſenſitiua, motiua, cogitatiua, intellectiua, ra-tiocinatiua, & numeratiua, in organicarum compagem, operum ſcilicet Deo placentium molem conſtruendam laborant, & ſimul omnes collimant in Deum, totæ totius ſeruientes Conditori, cui ſeruiunt omnia: vnde ſi quæ frangitur harum partium mutua ſo-cietas in Deum peſſima fiet continui ſolutio; ſingulas idcircò per-ſcrutemur in ſenſorijs, & potentijs huiuſce morbi differentias, vt innoteſcant extremæ extremis propulſandæ remedijs.

In ſenſitiua primùm tot fiunt animæ diuortia à Deo, quot in ſenſibus cadunt delicta; ſoluitur primò in viſiua potentia conti-nuum in illis, qui oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, vt Dauid pſalm. protulit 16. quam ſolutionem continui metuens & ipſe declinauit, oculos in cęlum elatos intendere ſemper decer-nens, vt pſalm. 24. tradidit his verbis. *Oculi mei ſemper ad Domi-num*. Declinat anima à Deo per auditum in his, qui vocem Dei non audiunt, vt ait D. Paulus his verbis. *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*, vel audientes non faciunt, quorum Ezechiel 13. peruicaciam arguens, retulit Domino dicens, *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt*: vnde Lucæ 11. *Beati qui au-diunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; qui ſcilicet auertunt aures ab inanis ſęculi armonia, & erigunt ad æternam.

Per guſtum ſoluitur vnio cum Domino in illis, quorum labor omnis in ore, *ſed anima eius non implebitur bonis* Eccleſ. 6. Hi ſiqui-dem, ſi cum Pſalmiſta ſemel guſtaſſent, quàm dulcia ſunt, & iucun-da mandata Dei, pſallerent vtiq; cum illo, quod pſal. cecinit 30. *Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.*

D 2 Solui-

Soluitur olfactu continuum in his, qui in odorem vnguentorum ſuauitatis Dei currere negligentes, nares à ſacro remouent thuris odore, & totas mundanos applicant ad fumos, & auras, cuius rei graueolentia Diuinas adeo offendit nares, vt faciem auertere, & ab anima tandem diuertere cogat Saluatorem: vnde pius Pſalmographus cędis, & adulterij delectatus odore, ne fętore criminum afflatus Omnipotens faciem aliò verteret, & diſcederet, hiſce pęnitens perorabat notis: *Ne diſceſſeris à me Domine*, & pſalm. 42. *Ne auertas faciem à me, neque declines in ira à ſeruo tuo*.

Tactu tandem fit continui diuortium in his, qui delicijs affluunt humanis, qui mollibus veſtiuntur, qui ſcilicet effrenem carnem nulla domantes habena, ſed fucatis lenientes blandimentis, in criminoſas ſine delectu ruere ſinunt illecebras, & nulla cogitata correctione, per Dauidicam caſtigationem cilicio, ieiunio, & flagellis ſibi comparatam, Diuinum tandem patiuntur diuortium. En quomodo ſoluitur ſenſitiuæ nexus cum Domino, cum quo ſoluitur non rarò, & motiuæ pariter connexio, in his, qui non ambulant ſemitas eius, deuium ſibi, ac ſiniſtrum ſtatuentes iter, quod clauſis oculis ducit ad tartara; illuc ne irruas, ora ad Dominum cum Pſalmiſta, vt eripiat pedes tuos à lapſu, vt dirigat greſſus tuos; neque dies pręteréat, quin cum eodem, ſiſciteris à Domino, quod ipſe Pſalm 22. rogabat aſſiduè: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*.

Superiores luſtremus animæ partes, quarum ſoluta cum Deo vnitas morbos procreat grauiores, & ferè ſemper extremos. Anima quidquid efformat in crimen, ex obiectis elicit deprauata potentia receptis, nec in Deo, pro ratione, vt expedit, diſcuſſis; in phantaſia igitur, ratione, & memoria peculiarem ſcrutemur ſolutionem continui: phantaſiæ munus peruertitur, & anima ſeparatur à Deo, cum ſenſuum externorum errores haud obſeruans, minùſque diſtinguens actiones, rerum ſenſibilium imagines mundanis imbutas ſpeciebus recipit, ex hiſque confuſis nihil neſcit effingere pręter inanes ſęculi ideas: vnde pro ſalute nullo connexo phantaſmate ſolas exhibet intellectiuæ potentiæ mundi notiones, quas dum intellectus reuoluit, & ſe ſe ad ratiocinandum, & iudicandum excitat, dum terrenis plenas recipit ſpeciebus, nulla

ferè

ferè cęli decernere poteſt ſimulacra; quapropter illuſa potentia; nec ſpecies noſcit diuidere compoſitas, nec componere diuiſas, vnde nec veras Dei comprobat, vt ſequatur, nec mundi falſas, vt declinet, refellit, nec honeſtas eligit, nec reijcit noxias; neque demum ex his quidquam ſtatuere ſaluti conſentaneum, ſed auerſa tota intelligendi potentia à Deo per peccatum fit peccator ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, fracta ſcilicet voluptuoſis conceptibus voluntatis ad bonum inclinatio, & peſſimis ſubdita habitibus: ſic phantaſiæ, ac rationis erroribus confectaria veniunt memoriæ delicta, dum ſuſcepta ex ſenſibus criminoſa ſimulacra amplectitur, & arctè continet, adeo vt nullas de ſe, niſi miniſtras ſcelerum ſpecies rationi ſuggerat perſcrutandas, circa quas potiſſimùm fuerat verſatus intellectus.

Præfatis itaque modis, & morbis infirmari poteſt anima, quorum in ſpecie, & indiuiduo extremi, grauiſſima nempe crimina, *extremis* Hipp. conſilio abigenda *remedijs*, curandi legibus ex Dauidica methodo depromptis: crimen patrauerat bonus Rex, in ſpecie, & indiuiduo extremum; in ſpecie quidem ex homicidio, & adulterio conflato ſcelere; in indiuiduo, nequitia, & ſcandalo, fędato Rege, & ſubdito; at animæ morbum ſtatim nouit extremum, extremis idcirco affatim ſtuduit oppugnare pęnitentiæ pręſidijs, & quemadmodum corporis morbos, ſi vehementiſſimi ſint, & extremi, immani tractat methodo Medicina, ſic huius ad exemplum didicit ille; diſce & tu Mortalis extremos debellare animæ morbos per medica tria inſtrumenta; atroci primùm Chirurgia, quæ ſecet flagellis, ſcarificet, & pungat cilicio, manus, & pedes, ſi ſcandali cauſa ſint, abſcindat, & proijciat, vrat igne Charitatis inurenda, vt carnis vitia, quęque ſint corrigantur, nec ingratæ parcat Pharmaciæ, quæ moueat, & ſopitam excitet facultatem per nouiſſimorum memoriam, vt in æternum non delinquat, ſubeat tandem omnia diętæ tędia, per ieiunia, inędias, per rudes epulas, vt ſaginata delictis animæ moles protinus gracileſcens, expeditior in cęleſtia erigatur deſideria: hac ſalutari curandi ratione luculentiſſimè in pſalmis tradita morbos debellare nos docuit extremos, quibus iam ferè proſtratus fuerat Rex pręfatus; neque cogites leui, ac fluxili pęnitentiæ lauacro, ſordes animæ te poſſe detergere extremas, ſimplicem pęni-

Pęnitens ille non ſiſcitabatur ablutionem, ſed Dominum rogabat aſſiduè vt ab iniquitate lauaret, mundaretque ſimul à peccato quouſque foret ſuper niuem dealbatus, vt orabat pſalm. 50. hac itaque methodo concepto morbo par adeo coaptauit remedium, vt priſtina animæ valetudine per gratiam redempta, Deo dilectus, & hominibus, æterno poſtmodum meruerit encomio pronunciari; qui verò, nec pari, nec impari, ſed nullo emendationis remedio, extremas animæ negligit curare labes, cum induratum ſit cor eius, iam ferè pro deplorato habendus, & ſola prognoſi relinquendus, peſſimam ſcilicet immoti Pharaonis ſortem ſubiturus, extremo cuius nequitiæ morbo, cum ſponte renuerit ipſe ſibi peraptare remedium dolendo, aptare ſtatuit Omnipotens puniendo; excęcauit enim inflexibilem eius mentem, ne tot plagas agnoſceret, neque tot intelligeret myſteria, quæ cęlitus immiſerat, vt ſibi reſipiſceret, & captiuis; nec leue fuit non reſipiſci ſupplicium; at grauiùs, parque magis oppoſuit morbo remedium ſupernus Medicus, & Iudex, ſceleris indignitatem mulctauit qualitate tormenti, poſt cęteras enim plagas hac nouiſſima plexit extrema, vt aquis ſcilicet obrutus interiret cum populo, qui paruulos Hebreorum infantes aquis prę-ceperat ſuffocandos; ſic itaque modus pęnæ congruit cum modo delicti, & vtinam in hoc tantum ſęculo, & ſolis in aquis par morbo remedium ſtatuiſſet Dominus; at proh dolor! ab aquis ad flammas migrauit ſempiternas. Diſce igitur dilecte Fidelis delicta tua corrigere in exortu ſuo, ne ſoboleſcant in extrema, & extrema extremis nitere pęnitentiæ conatibus expurgare, neque rebellis ſis, & pertinax in flagitijs, ingens animo ſuperſtat diutino impęnitenti diſcrimen, ne ſcilicet pertinaciam tandem puniat Deus obcęcatione, quæ ex D. Th. durior eſt in hoc mundo mulctandi methodus, qua refractarium ſolet ille plectere peccatorem, deinde ex mentis obcęcatione in deſperationem, & ex hac in omnimodam miſericordiæ amiſſionem peſſima perdat commigratione. Tantam miſericors, & miſerator Dominus propitiatus auertat iacturam.

DISTICHON APHORISTICVM.

Extremis pœnis extrema piacula plectunt
Iuriſta, & Medicus, ſed magis ipſe Deus.

Cum itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus habet labores, ſummèque tenuiſſimo victu vtendum; cum verò non eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere: tantùm de extrema victus tenuis ratione remittendum, quantò extremis morbus fuerit remiſſior.

EXPOSITIO MEDICA.

QVanti momenti ſit in curandis morbis ritè miniſtrata victus ratio ex hoc argue lector, quod vix duobus abſolutis circa chirurgica, & pharmaceutica prędidia aphoriſmis, potiſſimam ferè huius primæ ſectionis partem in ſtatuendis diętæ legibus, ad methodicam cuiuslibet morbi curationem neceſſarijs impenderit Hippoc. ratus fortaſſe dięteticí prędidij pręſtantiam cęteros dignitate, & vtilitate antecellere remediorum fontes; cum Chirurgia, Pharmacia, Medicus, & Æger, & Adſtantes ſine congruo victus inſtituto, non rarò intento fruſtrentur fine; idcirco vniuerſali tradito pręcepto in antecedenti aphoriſmo extremos morbos extremis eſſe propulſandos remedijs, ad particularia deſcendit auxilia in pręſenti, à dięta exorſus, tenuiſſimam, inquit, morbis congruere peracutis, qui protinus extremos habent in ſęuiſſimis ſymptomatis labores, in quibus tenuiſſimum conſulit victum; nam cum præ motus celeritate, & breuitate properent ad ſtatum fortaſſe criſim, & perturbationem pręuiam allaturum, cibis ideo non onerandam ſuadet naturam, ne fortè pleniori intenta alimento, pepaſmo minùs incumbat, & deficiat in conflictu; at ſi non ita acutus, & vehemens morbus eſt, & diſſitus valde ſit eiuſdem ſtatus, & ſummus vigor ob motus tarditatem, expediatque corpus pleniore roborare cibo, tunc tantùm de tenui in vberiorem commutandus eſt victus, quantò morbus ab acuto diſceſſerit, & chronico propior extiterit.

Ieiunium alijs ornandum virtutibus.

QVantæ pręſtantiæ ſit ieiunium in curandis animæ morbis ſat ſacræ veteris, & noui teſtamenti teſtantur hiſtoriæ. Morbos inter peracutos animæ, qui ſcilicet celeriter per-currunt ſua tempora, nullus tentatione frequentior, hanc longas licet inter paſſiones quarto protulerim commento, ita fuit ſancitum quatenus in genere ad interitum vſque ſemper vrgemur aliqua; in ſpecie tamen nullus acutior tentatione morbus, nemi-nemque latet vafri tentatoris ſolertia, qui quamlibet breui ſtudet ſpatio complere, & ocyſſimè ſupplantare tentatum, cum igitur ce-leriter moueatur tentatio, peracutas inter paſſiones meritò debuit recenſeri; *Cum itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus habet la-bores*, inquit Hipp. ideſt, cum ſumma torquet animam tentatio, & extremos habet labores tentator, vt fructum tentationis eliciat, extremos habet & anima, vt colluctando pręmium recipiat reſi-ſtentiæ: *Victu* tunc *vtendum tenuiſsimo*, ieiunio ſcilicet, & inędia macerandum corpus, cum nihil altiùs firmet animam, & infirmet ocyùs tentatorem, quàm corporale ieiunium, cuius edacitate frau-dato debitis corpore alimentis, intento pabulo fraudatur & infer-nus, ſi *victu* potiſſimùm *tenuiſsimo* vis tota concidet tentatoris; *Victu* inquam *tenuiſsimo*, qui ſcilicet non ſola ciborum ſubtractione per-ficitur, ſed omni ſubtracta peccandi anſa completur, cum verum,& Deo acceptabilius ieiunium ſit ab omni nequitia, & ab illicitis ſę-culi voluptatibus abſtinere; non enim ſola placauerunt inędia Sal-uatorem Niniuitæ, ſed totis ſe incommodis afflictarunt, abſtinen-tes à cibo, potu, ſomno, lotione, inunctione, veſtium mutatione, iacentes humi, in cinere, puluere, cilicio, & planctu omni deteſta-ta iniquitate pęnitentiam egerunt; hac ieiunij forma tot ornata virtutibus, dignis comitata pęnitentiæ notis peracutum iraſcentis Dei morbum, qui *protinus extremos* habiturus erat excidio *labores* euaſerunt, & comminata ſubuerſione per conuerſionem in propi-tiationem mutata, ſe, ſuaque omnia placato Domino vindicarunt. Diſce methodum mortalis, nec quiſquis peracuto fueris tentatio-

nis

nis morbo vexatus in ſola confidas inędia; hęc enim ſola non ſufficit, ſed curantis Medici ad morem, alijs opus eſt inſtrumentis, ſine quibus inanis omnis vis ieiunij licet immaniſſimi? Quid enim proderit à carnibus abſtinere, & detractorio dente fraternam rodere famam? Quid confert meri potum non guſtare, & animam hoſtili inebriari ſanguine? Quid in veſperam differre cibos, & diem totam nequiſſimis impendere negotijs? Quid denique proficiet corporale ieiunium, ſi nulla conſequitur criminoſæ vitæ correctio? Age igitur peccator, ieiunium tuum in æquitate perficito, & reliquis virtutibus illuſtra, ſic Deo reddes acceptum; ieiunium verò non vſque adeo efferum ſit, & carnifex, vt abſumpta corporis ſubſtantia vires funditus exhauriat, ſed moderatum ſit, & viribus analogum, ne langueſcente corpore, torpeant & ſpiritus in Domino; ſic D. Paulus, ne langueſceret vltrò Timothei ſtomacus vinum conſuluit abſthemio potandum, vt mero roboratus in ſpiritu perſiſteret, & charitate. Itaque ſtatuto ad vires ieiunio, reliquis annexo virtutibus, commiſeratus Omnipotens ſęuire non ſinet vlteriùs peracuti morbi vehementiam, ſed ſubtracta tentatione corpus pleniori refici gaudebit alimento, quod innuere videtur Hipp. poſtremis aphoriſmi particulis, his notis; *Cum verò non ita eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere, tunc tantùm de extrema victus ratione remittendum, quantò extremis morbis remiſsior*: ideſt, cum quis ſtrenuè adeo certauerit in tentatione, vt ſui tandem victor euaſerit, & hoſtis, tentatioque priſtinam demiſerit acutiem, ita vt pleniore indulgendum victu, ne ad extrema fiat ſemper noxia repentina mutatio, tunc tantò vberiori refouendum corpus alimento, quantò tentatio longiùs receſſerit ab anima, magiſque diſſitum recidendi periculum; ſubacta igitur tentatione, remiſſaque tribulationis acutie, quomodolibet res ceſſerit, cibo ſenſim reſtauranda natura; ſic Rex Dauid 2. Regum 13. defuncto puero, poſt tolerata longioris ieiunij tędia, petiuit, vt ponerent panem, & comedit, non regales dapes, ſed ſolùm panem, ne languidum inędia corpus pleniori obrueretur obſonio; ſic ſenſim roboranda natura, vt, ſi quæ noua nos fortè ſit aggreſſura tentatio, vel mox euicta reuerſura, corpus ſuas impertiatur vires animæ, quibus & inędia, & reliquis pœnitentiæ telis nouam debellare queat tentationem; verùm cęteras inter

virtutes, quibus pręſtat roborare ieiunium, pręcipua ſemper fuit oratio, vt Matth. 5. ſociam dicat ieiunij, his verbis, & hac ſimilitudine, ſicut arma ſine milite, & miles ſine armis nihil ſunt; ſic ieiunium ſine oratione, & oratio ſine ieiunio quidquam poſſunt eximium; vtraque ergo diſcas animam munire virtute, ambabus necte reliquas, & tunc integrè te ieiunaſſe puta, cum pręterita correxeris, & futura te pręcauiſſe videris crimina.

DISTICHON APHORISTICVM.

Cum violenta furit tentatio, ſubtrahe victum,
Adde preces, Satanæ ſubdola tela teres.



APHO-

APHORISMVS VIII. PRIMÆ SECT.

Cum morbi vis eſt maxima, tum vel tenuiſsimo victu vtendum.

EXPOSITIO MEDICA.

TEnuiſſimum victum cum Hipp. ſuperiori in aphoriſmo morbis omnibus peracutis congruum ſtatuerit ſecundùm vniuerſalem cuiuſque ideam, in præſenti victum ſtatuit ſecundùm ideam cuiuſlibet particularem, & ſummè tenuiſſimum in ſummo ſingulorum vigore præcipit miniſtrandum; cum morbi ſcilicet prçſens, vel impendens eſt vis maxima, maximis furens ſymptomatis; hoc itaque tempore, cum fortiſſimus naturam inter, & morbum conflictus eſt, & congreſſus, pleniori cibo interturbanda non ſunt naturæ molimina. Tutiùs igitur ſit in ſtatu, & ſummo acutorum vigore naturam non reuocare cibis vberioribus à coctione, & pugna, ſed tenuiſſimis eòuſque fulcire, ne concidat.

EXPOSITIO MORALIS.

Methodus corrigendi paſsiones.

PEracutis omnibus animæ morbis conferre ieiunium, tanquam victum eiuſdem tenuiſſimum, ſuperiori docuit Hipp. in aphoriſmo, nunc ſingulorum tempora percurrens, tunc maximè *tenuiſsimo vtendum* conſulit, cum morbus quilibet in vigore cónſtiterit, ideſt cum vitia, quç morbi ſunt animæ in extremo ſteterint nequitiæ gradu, tunc enim *victu vtendum tenuiſsimo*. Inquiramus igitur, qui ſit animæ victus tenuiſſimus, qui peracuto competit eiuſdem morbo. Anima, ſicut & corpus varijs ſolet refici alimentis; quemadmodum non in ſolo pane viuit homo, ſed diuerſis paſcitur obſonijs, ſic anima non ſolo fouetur ieiunio, orationibus, eleemoſinis &c. ſed alijs vir-

ſutum pabulis; cæteras inter dapes, quibus totus concinnatur animæ victus, gratiſſima meditatio eſt; meditationem pabulum ſpiritus pronunciauit Ariſt.; Hanc D. Greg. in Paſt.p.3.cap.1. regimen animarum protulit, & earum victum; hoc itaque *victu* perquàm *tenuiſsimo vtendum*, dum debacchantur vitia, acutiſſima ſcilicet, & crebra meditatione medullitùs ſingulæ animæ ægritudines, & ſcelerum primordia per proximas quaſque, & remotiores cauſas perſcrutanda, vt iacta prognoſi curatio maturetur in omnibus, eadem methodo, qua Medicus euidentes morborum cauſas inquirens totus ſiſtitur in diſcuſſione ſex rerũ non naturaliũ,ex quibus tota conſtituitur victus ratio; in aere ſcilicet, cibo, & potu, ſomno, & vigilia, motu, & quiete, excretis, & retentis, & animę paſſionibus, ex quibus malè miniſtratis morborum omnium ortus; exceſſus omnes, vt appoſitè noſcat, & curet ſcrutatur in ſingulis Medicus. In his etiam firmetur, & hæreat noſtra inquiſitio, & exceſſus omnes procreandis animę morbis opportunos percurramus, vt quolibet perſpecto ſua cuique ſtatuatur prognoſis, & curatio.

Primò igitur animam ſi lęſerit ambiens aer, ambitio ſcilicet, quę paſſio dicitur aerea, & in ſummum fuerit inflata tumorem ſumma proferens ſymptomata in faſtu nimio,in depreſſione pauperum,contemptu proximi, ſimulatione, hyppocriſi,& vis maxima fuerit ſcelerum omnium,quę vigentem comitantur ſuperbię morbum, *tenuiſſimo victu* tùnc *vtendum*, acutiſſima ſcilicet meditatione perpende prognoſim in Beliſarij gloria, & à ventoſo climate diuertens, in ſolum te transferes humilitatis, vbi cum Regio Pſalmiſta, pſ.38. curato morbo concines in ęternum: *Bonum mihi, quia humiliaſti me Domine.*

Si cibi, & potus immoderantia fędauerit animam per crapulas, & ebrietatem, morbuſque in ſummum creuerit temulentię vitium, ſęuiſſima proferens ſymptomata, iurgia ſcilicet, & lites, contentiones, vaniloquia, detractiones, mentis exilium, naturę languores, facultatum iacturam, honeſtatis denique, & pudoris excidium, ſi itaque ſummus fuerit omnium vigor *tenuiſsimo* opus *victu*, vlterio-ri videlicet, & acerrima ſpeculatione meditanda prognoſis in lauta Diuitis Euangelici menſa, & protinus ad inędiam confugiens, & ieiunia, ſobrietatem commendabis cum Paulo, & cinerem tanquam

quam panem manducabis, & potum cum fletu miſcebis cum Pſalmiſta: pſalm. 101.

Si ſomnus profundior in Diuinis, & vigilia contumax in humanis corruperit animam, & morbus in ſoporoſam aſcenderit grauitatem, ſymptomatum ſtipatus vehementia; nimirum torpore fidei, ſtupore conſcientię, reſolutione virtutum, ſenſuum in Domino obtuſione, & Dei tandem obliuione, ſi prauitatis faſtigium attigerint accidentia, *tenuiſſimo* ſpeculationis *victu*, & acutiſſimo cogitationis aculeo excitanda anima, vt prognoſim morbi noſcat ex Olofernis ſomno, & media ſtatim nocte conſurges, cum Dauid, pſal. 17. ad confitendum Domino, mediaque nocte diſces ex Virginibus prudentibus non profundè dormire, ſed dormitare ſolùm, nuptiarum tempus anxiè cunctando.

Si motus nullus in vijs Domini, & otioſa quies ſub vmbra ſęculi laxauerit animam, & aquę ſtagnantis ad morem infecerit ſpiritum, morbuſque arctè premens oneroſa nimiùm tulerit accidentia, inertiam nempe, pigritiem, praua deſideria, ad Diuina officia negligentiam, pœnitentię dilationem, & ad Chriſtiana quęlibet exercitia tarditatem; ita vt nec legere, nec audire, nec doceri curauerit mandata, nec exequi, quę conferunt ad ſalutem, ſi ita res in ſummo fuerit, *tenuiſſimo* mentis *victu* recogita prognoſim in Balthaſſaris ignauia, & ſeria ſalutis in craſtinum non differes, ſed ſancto quolibet exercitio dilatato in Deum, iam ferè ſuffocato prę deſidia ſpiritu accidię morbum curabis, in mandatis Dei non ſolùm ambulabis, ſed viam mandatorum cum Pſalmiſta curres indeſeſsè; donec legis omnes pertriueris vias, quę fido tramite ducent ad terram viuentium, vbi comprehenſor, cum Pſalmiſta, perenni geſties praxi fateri, quod ipſe viator Diuina inſtructus Theoria protulit pſal.81. *Beati qui ambulant in lege Domini*.

Ab excretis, & retentis, ſi prodierit animę morbus, ideſt ſi talenta Dei vitioſè prodigens, & quę tua non ſunt anxiè nimis retinens, vel optans, animam fędaueris ſordido auaritię morbo, morbuſque ſummum attigerit tenacitatis vitium, valida proferens ſymptomata; fraudes ſcilicet, dolos, furta, ſimonias, rapinas, vſuras, anxietates, pericula, vitę ſorditiem, & cęleſtium contemptum,

ptum, ſi ſumma fuerint hæc omnia, tenuiſſimus competet victus; attenta nimirum contemplatione morbi quęrendus eſt euentus in Calligulę tenacitate, qui poſt immenſas profuſiones tandem captus auaritia ſanguinem, honorem, vitam, & Deum auro parem, (cui nihil par vnquam) auferit habere, perterritus exemplo memorate tremendum illud, & indeclinabile Supremi Iudicis mandatum Villico Euangelico indictum, & ſingulis imponendum. *Redde rationem villicationis tuæ*, & prognoſim auaritiæ collige ex Redemptoris oraculo per Euangeliſtam his verbis. *Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, & morbum curabis cum Pſalmiſta ſic orans, & rogans Dominum: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam*, & mandata Dei diliges cum ipſo ſuper aurum, & topazion, & ſuper millia auri, & argenti cęleſtes laborabis in diuitias.

Si paſſionibus animi compatiatur & anima, ſi nempe verecundus in virtute, audax nimis in vitio, ſi de ſorte fratris ſemper mœſtus, de eiuſdem damno lętabundus, ſi nihil timens Creatorem, nimiùm fidens Miſericordiæ, nihil pauidus de Iuſtitia, vel conſternatus à Iudicio, animam varijs exagitaueris motibus, & mentis accidentia ſummo fuerint in defectu, *tenuiſsimo victu*, addictiſſima ſcilicet cogitatione peſſimum perpende cuiuslibet pathematis euentum, & cum Paulo non gaudebis niſi in Domino, nec contriſtaberis niſi cum ipſum læſeris, æquo metu iuſtitiæ, ſpem nimiam minues Miſericordiæ, grata cælis audacia Sanctis incumbes exercitijs, nec erubeſces Euangelium, in ſorte proximi ſemper gaudens, condolebis infortunio; ſic *victu tenuiſsimo* moderationis intimæ, paſſiones omnes animæ, cum ſumma vigent ſcelera, facto finis prognoſtico Diuina diſces methodo morbos præſentes tollere, futuros præcauere.

Morbis igitur (vt rem contrahamus) animæ quibuslibet in vigore conſtitutis victus in vniuerſum tenuiſſimus conuenit, ideſt non craſſa, & ſuperficialis, ſed acuta, profunda prorſus, & acerrima meditatione alendus eſt ſpiritus, vt numeret, perpendat, & recogitet, & nunquam reuocetur à meditatione prognoſis, & diſcriminis ab exceſſu quolibet criminum imminentis

nentis, vt ſe totum Deo ſiſtat, & cum Pſalmiſta concinat, *Omnis ſpiritus laudet Dominum.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Cum tibi culpa viget, cum paſsio maxima torquet,
Euentum voluas; paſsio victa cadet.



APHO-

Coniectari autem oportet, an cum præſcripto victu æger perdurare poſsit ad morbi vſque vigorem, an ne deficiat priùs, imparque ſit cum tali victu, & ſuccumbat, quàm cedat morbus, & obtundatur.

EXPOSITIO MEDICA.

VIres morborum curatrices eò tutiùs curant,& ocyùs,quò validiores exiſtunt,tales vigebunt,ſi nec obrutæ, nec orbatæ debitis fulciantur alimentis; ſicut enim remedium par morbo, ſic victus par ſupplantaturis morbum viribus reſpondeat conſentaneus: reſpondebit ſanè, ſi iuſta vtriuſque ſeruabitur, & remedij in morbum, & victus ad vires proportio: quantitatem aſſequi ad pondus vix credibile, cum ſtatuat Hipp. in vtroque coniecturalem, & comprobetur vlteriùs experientia: vnde ſignis opus ſyllogiſticis, quæ naturæ,& morbi robur indicent, roboriſque cauſas, vt conſtet quantum naturæ pabuli, quantum morbo tribuendum remedij; vires autem tam naturæ, quàm morbi, non ſolùm præſentes emetiri, ſed & futuras expedit proſpicere, vt ſingulis morbi temporibus, & congrua præſidia, & debita miniſtrentur alimenta; hæc ipſa, cum tenuiſſima in acutis, & acutorum vigore ſtatuerit Hipp. hactenus, nos cautos in præſenti aphor. reddit præmonens, vt perpendamus exactè coniectantes, *an cum præſcripto victu perdurare poſsit æger ad morbi vſque vigorem*, quo potiſſimùm tempore, cum morbi, & naturæ certamen ingruit, ab inchoato tenui ſemper aliquid ſubtrahendum; vnde perſcrutari præſtat, & coniectari ex morbi idea, magnitudine, more, & motu; item ex ægrotantis temperamento, habitu, ætate, regione, & conſuetudine, an tantis viribus cuſtodiendis ſufficiat victus præſcripta tenuitas,quantis naturę fuerit opus ad morbi vſque ſtatum,pugnam, & victoriam; itaque rebus omnibus diſcuſſis, quæ vel reſoluere, vel

obruere

obruere valuerant vires, nec ſupra limites exigentiæ nutries, ne morbi triumphum acceleres, & alas, nec infrà virium indigentiam exinanies, ne naturæ victoriam proſternas, ac prohibeas, & ſic priùs æger deficiat, quàm morbus.

EXPOSITIO MORALIS.

Ieiunij vires, viribus analogæ ſint.

EX his conſtat corpus, quibus nutritur, quò pura magis ſunt alimenta, quibus alitur, & minùs afflua excrementis, eò puriores elaborantur humores, & ſpiritus nitidiores, ſeruandis, augendiſque viribus aptiores. Ex his etiam conſtat, anima quibus nutritur; huius alimenta, virtutes ſcilicet quantò perfectiores exiſtunt, & emicant, ab omni ſæculi inquinamento magis defęcatæ mundos magis in Deum generant ſpirirus, excipiendis, & augendis gratiæ donis accomodatiores. Iucundiores, & puriores inter virtutum epulas, quibus tota ſternitur, & ornatur iuſtæ, vel pœnitentis animæ menſa ſanè vt 7 tetigimus aphor. ieiunium prima comitari debet obſonia, nec immeritò; nam cum mos inualuerit, vt primæ præferantur humanis in conuiuijs dapes illæ omnes, quæ excitare valent ad cæteras appetentiá: ita quidem ieiunium, ſi purum ſit, & nulla hypocriſis labe, vel auaritiæ ſorde inquinatum, primos męretur diſcumbentium guſtus; vt vlteriores ad virtutes languentes excitet ſenſus, cum ex D. Hieron. ad Demetr. Virgi. ieiunium cæterarum virtutum fundamentum cenſeatur; in hoc igitur leges ſtatuamus ſecundùm Authoris mentem, vt conſtet, quid in curandis animæ morbis ſolitarium conferat ieiunium, quando alijs conualidandam virtutibus, & qua denique menſura ſubeundum.

Corporis morbos pleroſque ſola ſanat dięta, leuiores tamen, pluribus non ſufficit, ſed fortioribus, cum fortiores ſunt, opus præſidijs, leuiores animæ culpas per ſe ſolum curare poteſt ieiunium, at ſi grauiores, cum ieiunio alijs opus eſt virtutibus; hoc autem annuere videtur Hipp. in præſenti aphor., cum inquit *Coniectari autem oportet, an cum tali victu perdurare poſsit æger ad morbi vſque vigorem*: *coniectari* ſcilicet, an ſolo ieiunio, an ſanctioribus

prętet animam roborare ſubſidijs, ne deficiat antequam culpatum ceſſerint ægritudines; coniectura maximè deprompta ex criminis idea, magnitudine, more, & motu, ſi nempe grauiſſima fuerint in ſua eſſentla delicta, ſi magna ob lęſas in Deum functiones, malè morata ob ſcandalum, & celeri, ac rapido motu in proximi damnum, & iniuriam propagata, vt fuit Dauidicum delictum, quod partes iſtas impleuit omnes; tunc enim non ſola inędia, ſed reliquis anima pijs fouenda exercitijs, & roboranda virtutibus: oratione in primis, vt primo oſtendimus commento, cum ſe ſe mutuò alant, & foueant in Deum ieiunium, & oratio, hæc virtutem impetrans ieiunandi, illud gratiam promęrens orandi, vt D. Bern. ſerm. 38. *Firmata ſcilicet ieiunio oratione, & ſanctificato oratione ieiunio*. At nec ſola ſufficit oratio cum ieiunio, hoc enim iugi licet oratione firmatum vix in cęlos aſcendet, niſi duabus efferatur alis à D. Petro Chriſologo expanſis ſerm. 8. de ieiunio; miſericordia ſcilicet, & pietate his verbis: *Miſericordia, & pietas ieiunij ſunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cælum ſine quibus iacet, & volitat in terra. Ieiunium ſine miſericordia ſimulacrum famis eſt, imago nulla ſanctitatis, ſine pietate ieiunium occaſio eſt auaritiæ: ieiunium ſine miſericordia non eſt veritas, ſed figura; vbi autem miſericordia, ibi & veritas probante ſcriptura, cum dicit: miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi*: hęc ille. Alis hiſce duabus ocyùs in cœlos euolabit ieiunium, ſi pręcipuè volatum adiuuet, & impellat aura felix eleemoſinæ. Et virtutes, quas ſatisfactorij conuenit eſſe ſodales ieiunij, hiſce roboratæ pabulis vires animæ, ad cuiuſuis etiam grauiſſimæ tentationis, & ægritudinis ſtatum, & victoriam ſufficient abundè; ſi potiſſimùm culpis omnibus pęnitentiæ lauacro deterſis complebitur actiuitas tota ieiunij; huius integritatem optata procul dubio ſequentur cęleſtis gratiæ commoda.

Hoc itaque linimento Diuinam placabis iram cum Daniele 10. qui panem deſiderabilem non comedens, neque guſtans vinum, Diuinum diuertit furorem à Ciuitate ſua ſancta Ieruſalem.

Hoc pretio veniam conſequeris à Domino, vt Iona pro Niniuitis, & cum eiſdem à via mala conuerteris.

Hac correctione pęnam reuocabis animæ paratam, vt Heſter à Rege Hæbreis, ex Amani conſilio paratam, diuertit pęnam.

Hoc

Hoc appoſito gulæ gladio, cui, & hoſtis victoriam conſequeris. Iud. 10.

Hoc præuio merito gratiam obtinebis ſuper ieiunos Apoſtolos cęlitus illapſam in die Pentecoſtes. Act. Apoſt. 7.

Hac virtute nequitiæ ſpiritus extirpabis, quos in lunatico Euangelico in oratione, & ieiunio expellendos docuit Omnipotens.

Hoc lauacro animæ nitorem ſeruabis cum Daniele, & tribus pueris, qui propoſuerunt non pollui de menſa Regis.

Hac denique luce ignorantiæ tenebras eliminabis cum Paulo, qui per triduum non videns, neque manducans, neque bibens triduo illo didiciſſe creditur Euangelium. Act. Apoſt. 9.

Hæc, & plura ſpondet emolumenta ieiunium, plura quidem; dum temporalis abſtinentia in æternum tandem migrabit conuiuium.

Qua verò lance librandum ſit ieiunium, qua lege definiendum, implicitè ſeptimo, ſat explicitè in præſenti notat Hipp. aphor. dum enim inquit, *coniectari autem oportet*, quid aliud pręter iam ſignatum deſignat? quàm vim, metamque ieiunij, cuique coniecturalem, & ſingulorum viribus correſpondentem, vt ſcilicet, nec ſupra robur ſit, nec infra limites conſcientię; inquit enim Baſilius libro de vera virginitate, loquens de vtendi modo circa ieiunium: *ſicut guſtui ad omnes paſſim cibos liberè fræna laxare noxium reuera eſt, ac perniciosſum, ita neceſſaria illi alimenta negando, corpus infirmum, ac inualidum reddere, irrationabile prorsùs, ac ſtultum eſt*. Cum quis igitur ieiunat coniectari cum Hipp. debet, an cum tali victu perdurare poſſit; ſi ieiunium per ſe valdè ſit acerbum, vel aliјs additis caſtigationibus, vt vigilijs, flagellis, cilicio, corpus etiam torqueat, & exhauriat, *coniectari oportet*, an vires tantùm duraturæ ſint ferendo martyrium; ſi caſuras pręuideris, & inde morbos emanaturos certò pręnoueris, tunc tantùm minues abſtinentiam, quantùm ſat fuerit, vt violenta correcta fuerit inędia, ne vires immaniter corpori ſubtrahens, vt ſeptimo oſtendimus commento, ſpiritus etiã Diuinis implicandos negotijs, morboſis poſtea profligandis ærumnis totos impendas: ſic Hieron. ieiunandi metam ſtatuens, & modum Demetriadi Virgini, violentam prohibuit abſtinentiam his verbis; *Sic debes ieiunare, vt non palpites, & reſpirare vix poſſis, &*

 comi-

comitum tuorum, vel porteris, vel traharis manibus, ſed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigilijs quid minùs ſolito facias? At quid nitor, & elaboro violenta damnare ieiunia, cum deteſtanda potiùs eſſet nimia eiuſdem laxitas, dum, proh dolor! ſęculi noſtri ieiunia lauta referunt priſcorum ieiunantium conuiuia.

DISTICHON APHORISTICVM.

Non ſuperent auſtera tuas ieiunia vires;
Corpore nam fracto mens minùs apta Deo.

APHORISMVS X. PRIMÆ SECT.

Quibus igitur ſtatim vigor eſt, hos tenuiter cibare oportet; quibus autem poſtea vigor futurus eſt, ijs & in ipſo vigore, & paulò ante ſubtrahendus cibus, anteà verò pleniùs, vt æger durare queat alendum.

EXPOSITIO MEDICA.

INchoantibus morbis omnibus, acutis potiſſimùm, ſtatim de victus mutatione cogitandum; verùm quæ lex, & ordo in mutandis alimentis ſeruandus, idipſum eſt, quod Hippocr. ex libris quatuor de ratione victus in acutis, & longa Aphor. primæ huius ſectionis ſerie tanta cum ſedulitate poſteritati dedit acuratè dignoſcendum, hoc potiſſimùm in aphor. in quo generaliori, quàm in ſeptimo tradita ſententia, in tenuiorem eò promptiùs ſuadet eſſe migrandum, quò citiùs morbi ſtatus erit, & ſummus vigor, quò verò longiùs diſtat, eò minùs tenuiter alendum: vnde patet variandam victus plenitudinem, & tenuitatem pro vario temporum morbi motu, vt quò celerior hic fuerit, & morbus acutior, tenuiora ſecundùm totam morbi ideam danda ſint alimenta, hac proportione tamen, vt minùs tenuia circa initia progrediente morbo, & propè ſtatum tenuiora, tenuiſſima verò vigente in ſtatu ægritudine; ita vt, ſi primis etiam morbi diebus vigere videbitur eiuſdem indoles, tenuiſſimus ſtatim, vel nullus dandus ſit cibus, cum pręcipites, & rapidiſſimi motus morbi, à furente vt plurimùm fiant materia, & vrgente plenitudine, cui vel ſummè tenuiſſima, vel nulla pro tempore debetur nutritio; at ſi diſſitus valde fuerit vigor, & ſtatus ægritudinis, pleniori, vt ſuperiùs oſtenderat Hipp. indulgendum alimento, vt vires morbo ſint ferendo, ne diuturnitate concidant, minùs quàm par ſit roboratæ.

EXPO-

Qualis ſit tenuiſsimus animæ victus.

MOrbis animæ quibuslibet incipientibus, quos omnes peccati nomine donauimus, ſtatim de vitæ mutatione cogitandum antequam ſumpto incremento inualeſcant, & in habitualem tandem migrent peſſimum ægritudinis animæ ſtatum, cuius mutatio *opus dexteræ Excelſi* pſal. 76. In huius igitur diſcrimina, ſi quando ſors cęca proiecerit animam ſtatim tenuiter alendam conſulere videtur Hipp. in prẹſenti aphoriſmo, ea propemodum ratione, qua peracuto morbo laborantibus, & eiuſdem vigore conflictatis, quandiu ſtat pugna naturam inter, & morbum, Medici non modò parum, aut nihil exhibent alimenti, ſed ea omnia declinari iubent, quæ certantem reuocare, aut interturbare queunt naturam, obiecta quęlibet, & moleſta, & iucunda nimis prohibentes ſingula quouſque ceſſerit conflictus, roborandis interim dumtaxat partibus intenti, in quas mali fortior irruere deprehenditur impetus; ſic methodo non abſimili tractandam ſuadet animam Magnus Senex, cum criminum vigore percellitur ſtatim tenuiter nutriendam, praua ſcilicet alimenta priùs ſummouenda, quibus conceptus fuerat morbidus ſcelerum apparatus, mox roborandæ partes ſingulæ, in quibus fixa culparum minera, vt ſi quam anima ſancto adhuc afflante ſpiritu aggreſſura ſit colluctationem triplicis aduerſus hoſtis illecebras, nullis amoueri poſſit obiectis, nec à ſancta pugna reuocari, hoc itaque rogabat anxiè Dominum Pſalmiſta pſal. 101. ne reuocaret eum in dimidio dierum ſuorum, ne ſcilicet ipſum de pugna reuocaret, donec longo pęnitentiæ conflictu pęnam luiſſet delicti; non immeritò igitur ait Hipp. *Quibus ſtatim vigor eſt morbi, hos ſtatim tenuiter nutrire oportet*. At quo temporis ordine, ad tenues tranſeundum cibos ſtatim inquit Hipp. ſtatim clamat cum Patribus Pſalmiſta; nouerat equidem bonus Propheta in grauitate criminis morbi ſui vigorem, nouit & tenuiter ſtatim cibare, carnem primò, quæ deliquerat, ieiunio, & durioribus exinaniendam tradidit ærumnis, ſenſuſque ſingulos, tanquam promptuarios infideles plectere didicit abſtinentia, prohibens à pabulis,

obie-

obiectis ſcilicet omnibus, quorum corruptela fędiſſimo deturpauerat animam morbo; hac itaque victus tenuitate, & abſtinentia, nullis reuocata vetitis cibis anima, ſed tota in expellenda peccati materia ſedulò intenta, criſim tandem molita fuit ad ſalutem, & oculos per quos ad animam prima introierat eſca peccati, ſtatim, ſemperque nouit cibare tenuiter, ab omni deinceps prohibens vanitatis proſpectu, & ſolo iugiter Dei ſimulacro roborauit pupillam, ne caligaretur impoſterum.

Hac Dauidica, & Hipp. cibandi methodo, cum vigent crimina, diſce peccator ſenſus tuos, & complices delicti partes ſtatim nutrire tenuiter ſubductis ſtatim vitioſis omnibus ſpecierum alimentis in criminoſam cachocimiam migraturis; quomodo verò ſenſus, & partes ſpeciatim diſcere debeas nutrire tenuiter, audi, quàm acuratè doceat Mellifluus ſerm. 38. his verbis. *Si ſola gula peccauit, ſola ieiunet, & ſufficit; ſi verò peccauerunt & ſenſus, & membra cætera, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet igitur oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia, vt benè humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa; ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & ſtrepitu ſæculi, & quæcumque otioſa ſunt, & ad ſalutem minimè pertinentia; ieiunet lingua in detractione, & ab inutilibus, & varijs, ac ſcurrilibus verbis; interdum autem ob grauitatem ſilentij, ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria; ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæ non ſunt imperata; multò magis anima ipſa ieiunet à vitijs, & à propria voluntate ſua. hæc ille*; & iſte reuera modus, & lex tenuiter nutriendi, cum morbi vigor eſt; anteà verò pleniùs alendum dicit Hippocr. vt æger durare queat; hac aurea terminat memoria aphor. ægros pręmonens omnes, vt in principio, antequam vigeant morbi, pleniùs alant, vt queant ad ſtatum vſque perdurare; alant ſcilicet non corpus modò, ſed & pleniùs tunc temporis animam ſalutari ſtudeant Confeſſione, ac Sacramentali Pabulo antea roborare, nec ad morbi vſque vigorem ſpirituales protrahant refectiones, quo morbi ſtatu tota ferè mentis œconomia præ morbi, & naturæ conflictu perculſa cęleſtibus nequit incumbere negotijs, ſi potiſſimùm diù fuerat intermiſſa refectio. Vt igitur ægrotans anima perdurare queat, diſcat peccator omnis, cum morbo reuera fuerit proſtratus, ſpiritualibus antea, vt conſulit Hippoc.

ideſt

ideſt in principio omnibus muniri pręſidijs, nec æternitatis negotium differat ad morbi vſque vigorem; tunc enim vix credibile totos in Deum ſpiritus eleuari poſſe, quos ſępiſſimè aberrare cogit furens infirmitas, quæ cum frequenter non det ægros quantùm competit in tanto poſſe ſalutis negotio perdurare, ſempiterni duratione ſupplicij, peſſima tandem tradit morte duraturos.

DISTICHON APHORISTICVM.

Cum mox culpa viget, tenui mox vtere victu,
Vt liber in vitium ſpiritus omnis agat.

APHO-

APHORISMVS XI. PRIMÆ SECT.

In ipſis exacerbationibus cibum adimere oportet; nam præbere noxium; & cum per circuitus redeunt morbi, in ipſis acceſsionibus abſtinendum.

EXPOSITIO MEDICA.

ABſolutis hucuſque cibandi legibus ſecundùm morbi cuiuſlibet ideam vniuerſalem, & notione tradita; quibus plenior, aut tenuior competat victus ratio, alendi pręceptum tradit in pręſenti Therapeuticum circa cuiuſque ideam particularem, tempora pręſignans Hipp. in quibus à cibo prorsùs arcendi ſunt ægrotantes, dum inquit *In ipſis exacerbationibus cibum adimere oportet; nam præbere noxium:* vnde vulgatiſſima praxis eſt, non Medicis modò, ſed & Adſtantibus ferè ſingulis nota, in ipſis continuarum febrium excandeſcentijs intermittentium, aliorumque morborum, qui periodicè recurrunt acceſſionibus cibandos non eſſe ægrotantes, donec aut manifeſtè remiſerit exacerbatio, ſi continua fuerit proportionata, aut deſierit, vel ſummè declinauerit acceſſio, ſi intermittens, aut ſedatus fuerit grauior periodici cuiuſuis alterius morbi inſultus, vt Colici doloris, Aſthematis, Epipleſiæ, vteri ſtrangul. &c. in quorum omnium acceſſionibus cibum dare noxium, inquit Hipp. quòd alimenta dum coeunt cum febrilis materiæ motu, nec à labefactata viſcerum œconomia attrahuntur: vnde vomitus frequentes, anxietates, &c. neque debitam ſubeunt coctionem, ſed inquinata omnia ſaginant morbi mineram, exacuuntque ſymptomata, & interturbata natura, cuius vis per acceſſionem tota laborabat in ſubigenda materia, vel acceſſio, totiuſque ægritudinis ſpatium longiùs protenditur, vel mutata indole intempeſtiua cibatione labitur æger in vitæ diſcrimen; ſi qua tamen in acceſſione cibum licet offerre ægrotantibus, ipſis ſanè Pichrocolis, & extenuatis dandum, in quibus ob mordacitatem bilis ſummè furit acceſſio; hos enim Gal. per initia etiam febris, & in vigore nutriri iubet, vt benigno alimenti appulſu acerrimæ bilis impetus demul-

ceatur, & leniantur inde prodeuntia ſymptomata, aliter non cibandum niſi remittente continuę excandeſcentia, aut declinata, vel mauis prorsùs abſoluta intermittentis acceſſione.

EXPOSITIO MORALIS.

Declinandas eſſe peccati occaſiones.

CVm pluribus anima obnoxia ſit febribus ex D. Paulo, plures etiam patietur acceſſiones: vnde plura commendare videtur aphoriſ. iſte commenta; at quod aptiùs arridet Catholico, id extat ſanè, quod finitimum explicat acceſſionis æthimon; acceſſio etenim ab accedo verbo compoſito ex ac coniunctiuo, & cedo, quod ſimul ſonat quaſi cedo, deriuari neminem latet; acceſſiones igitur diſquiramus, quæ cedere frequentiùs cogunt animam. Febres inter cæteras, quibus ſolet iſta ſuccendi, ira, & luxuria ſuas, nec leues exhibent excandeſcentias, & acceſſiones, in quibus conſilij cibum, vel correctionis pabulum dare ſæpe noxium eſt; cum etenim quis exardeſcit, & æſtuat iræ, vel furoris excandeſcentia, vel obſcęna libidinis acceſſione torquetur; ſi quis inquam cum tanta viget phreneſis, de criminis exceſſu declinando pium proferet conſilium, nocebit ſæpe oblatus pietatis cibus, quoniam nec à furenti excipietur mente, nec ſubuerſo maturabitur iudicio, ſed turpi dementatus paſſione, rebellabit magis animus, ac incrudeſcens ſanctum non attrahet conſilium, nec digeret conſultoris zelum, ſed tota correctionis eſca, quantumuis pura, criminoſæ materiæ motum attingens inquinabitur conſortio, nouaque fiet ſcelerum minera; differendus igitur in his extra acceſſionem cibus eſt, cum ſcilicet ira deferbuerit, & præfocata fuerit altior luxuriæ flamma; tunc etenim declinata acceſſione, accedere quiſque tutò poterit, & citra noxam correctione proximum alere delinquentem: neque ſolius iræ, & luxuriæ febrili acceſſione corripitur anima, ſed tot eam præhendi continget, quot febriendi, peccandi ſcilicet acceſſerint occaſiones; occaſiones igitur, ne recedamus ab aſſumpto, acceſſiones illæ ſint, quæ cum cedere, & concidere ſępiſſimè cogant animam, noſtrum firment commentum, quid enim

propiùs

propiùs accedit? quid accidit animæ frequentiùs? quàm peccandi occaſio, huius acceſſione perenni quandiù viuimus, vel nolentes circumuallamur; occaſionis acceſſione circumſeptus Pſalmiſta clamabat pſalm. 118. *Funes peccatorum* (ideſt peccandi occaſiones) *circumplexi ſunt me*, & pſal. 39. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus*; innumeræ igitur cum ſint mali acceſſiones; peccandi videlicet occaſiones vndequaque nos ambiant, non immeritò pronunciauit Hipp. *In acceſsionibus abſtinere oportet*; *nam cibum dare nocuum eſt*, abſtinere oportet in primis, totis ideſt viribus enitendum, vt à peccati qualibet abſtineamus occaſione, tota ſolertia caueamus, ne liberè nimis verſemur in illa, & ſi tentator fallax in occaſionis acceſſionem coniecerit animam, nullo genij præſtito pabulo, nulla data dilationis, ac delectationis eſca, quantocyùs per fugam abſtinentes totus occaſioni ſubtrahatur cibus; *nam cibum dare nocuum eſt*, dicit Hipp. cum ſcilicet occaſione accepta, vt ſcripſit Paul. ad Rom 7. nos metipſos proijcimus in eſcam peccati, dum nihil inter vtrunque mediat, ſed peccatum, & occaſio mutuo ſe foueant, & alant conſortio in animæ perniciem, occaſio nos alliciens, vt flagitijs nutriat, nos occaſionem quærentes, vt repleamur nequitia, & niſi Cęleſtis nos eruat dextera, impoſſibile ferè videtur in diſcriminoſa culpæ occaſione verſari, & peccati laqueis non irretiri; nullus igitur in occaſionis acceſſione dandus cibus eſt, ſed mox totus per ſubitum ſubtrahendus effugium, ne peſſimam tranſeat in materiæ morbificæ, peccati ſcilicet corruptelam, cuius minera ſempiternum tandem molitura ſit animæ excidium; damnum quidem, quo nocentius alterum non ſequetur, neque irreparabilius inferre poteſt exhibitum in occaſionis acceſſione conſenſus alimentum, in his potiſſimùm, in quibus *per circuitus redeunt morbi, in quorum acceſsionibus magis abſtinendum*, dicit Hipp. & arctiùs *abſtinendum* Catholica petit exigentia, cum morbi, qui per circuitus redeunt nihil aliud ſignent in moralibus, quàm periodicas animæ ægritudines, & peccatorum reditus ab vno ad idem, in conſueta videlicet crimina relapſus, à quo prorſus abſtinendum declinata totis neruis etiam leuiſſimæ occaſionis acceſſione, in hac enim ſi te rurſus conijcies inſita proritante diſpoſitione, & prona coagente voluntate, non minùs, quàm laqueo à venantibus fera, capieris in eſcam cri-

minis ab occaſione;caue igitur ſedulò,& iterũ ſeriò caueas,ne recidas in laqueum Diaboli quiſquis recidiuus in periodicam redis occaſionis acceſſionem; hac enim fortiſſimum velut laqueum tendit tentator, vt nos illiciat, hoc laqueo circumplexum ſe dixit Regius Pſalmiſta, dum pſal. 118. protulit: *Poſuerunt peccatores laqueum mihi*; peccandi ſcilicet occaſiones, vertunt interpretes, ab hoc tamen laqueo liberum ſe cecinit pſal. 90. *Quoniam liberauit me de laqueo venantium*, de protenta ſcilicet peccandi occaſione; ne igitur in peccati laqueos incidas, ad occaſionis acceſſionem ne acceſſeris, & quantò propior aderit, tantò recedas longiùs, & ſi quando in eam fluxeris, inconcuſſus permaneas, voluntatem prohibens, ne peccato aſſentiatur, & nutriatur crimine; quod ſi fortè guſtaueris, ſtatim per pęnitentiam eructes quidquid noxium praua dedit occaſio, in quem ſi rurſus incides, in lapſas culpas recidens, partes diſcas corrigere,per quas culparum introitus patentior eſt ad animam. Hac ſalutari methodo, ne recidiuus fieret, vſus Propheta Regius, manus, pedes, & oculos iam caſtigare didicit, ab occaſione prohibens, vel criminis leuiſſima; in vniuerſum declinanda, velut peſtis, peccandi occaſio,& velut à peſte,quiſquis amat animæ ſalutem ſeruare, proplaſticis tenetur pręſidijs illá ab omnibus occaſionis acceſſionibus prætueri, & quemadmodum præſtantiſſima pro corporis peſte declinanda præſidia tres extant illæ ſalutares priſcorum pillulæ, citò, longè, & tardè; ſic pro deflectenda occaſionis peſte tres pariter conferunt pillulæ, citò, longè, & nunquam; citò nimirum fugias, longè abeas, & nunquam redeas.

DISTICHON APHORISTICVM.

Abſtine dum fallax accedit criminis anſa.
Hanc niſi mox fugias, Dæmonis eſca rues.

APHO-

Morborum conſtitutiones, & anni tempora, & periodorum inter ſe proportionis obſeruatio, ſiue ea quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue maiore interuallo fiant, paroxiſmos, & ſtatum morborum indicabunt; ſed & ijs, quæ poſtea apparent indicia ſumuntur, velut in pleuritide ſputum, ſi ſtatim initio appareat, breuem fore denunciat; ſi verò poſteriùs conſpiciatur, longam: quin etiam vrinæ, alui fœces, ſudores, & iudicatu faciles, aut difficiles, & breues, & longos morbos fore, cum ſuperueniunt, demonſtrant.

EXPOSITIO MEDICA.

NIhil licet aphoriſmus iſte de victu differat, relatiuus tamen ad ſuperiores omnes, in quibus ſecundùm varias morborum ſpecies, tempora, & vires, variandam ſtatuit Hipp. victus rationem, tenuiſſima ſemper in morborum ſtatu adeò commendata, vt ex ipſo morbi ſtatu totam victus œconomiam, reliquis tamen temporibus proportione reſpondentem definire videatur Hipp. nunc quò tutior haberetur cibandi ratio demonſtrat, quomodo cuiuſuis ægritudinis pręnoſcendus ſit ſtatus, *ex morbi conſtitutione*, *ex anni tempore*, *& periodorum collatione* dignoſcendum docet; apparentia rurſus ſigna coctionis, & cruditatis ſtatus morbi pręnuntia, & ſymptomata cuiuſuis morbi peculiaria propoſito pleuritidis exemplo perſpicienda conſulit, vlteriùs lotionum, egeſtionum, ſudorum vacuationes, ſi ſuperuenerint, veluti facilis, aut difficilis iudicij, diuturnitatis, aut breuitatis præaugures perpendendos, ſine quorum perceptione, nec tenues quiſque

ſciet pendere cibos in acutis, nec pro menſura definire pleniores in diuturnis, nec quid pro lege tenuandum noſcet inchoante, nec quid remittendum increſcente, neque quid amplius adimendum ægritudine iam vigente; & reuera, niſi quis exactè calleat morbi ſpeciem, magnitudinem, indolem, & motum, anni tempora non ſpectet, quibus oriuntur morbi, & paroximos non conferat inter ſe ſingulos, an ſcilicet reciprocationes celeriùs, longiùs, aut ſeuiùs recurrant vix quiſque particularem, & vniuerſalem prænoſcet ægritudinis ſtatum, quo non præuiſo nihil vnquam ratum poterit de cibatione decerni reliquis temporibus aptabili, nihil firmum de longitudine, aut breuitate morbi pronunciari; res dilui non patitur exemplo, quod tamen liceat in iuniorum gratiam, in tertiana, primò iuuenili morbo proponere. Morbus hic in propria idea ex conſtitutione breuis eſt; hic ſi prehendat ætate media, & cætera, in habitu ſcilicet, temperamento, ætate, & victu conſentiant, cuius paroximi poſtponendo recurrant, minùs crucient, & citiùs ſenſibili aliqua deſinant vacuatione, febrim fore breuiſſimam pronunciandum, victuſque tunc poterit debita ſtatim ſubtrahi proportione, ſi quid illorũ deerit, aut plura, longiorẽ fore ſpondendum, ſi corripiatur autumno, nec temperamentum, neque reliqua reſpondeant, longè ſtatum diſtare conijcies, & pleniùs nutries; Febris demum continua, quò citiùs coctionis exhibet ſigna in vrinis, & alijs excretis, breuiorem fore ſtatum prænunciabit, ſin minùs diſſitum: vnde alimenta pro apparentium, & ſuperuenientium ſignorum, & vacuationum ratione poterunt ad inuicem plena, vel tenuia ſingulis aptari circunſtantijs.

EXPOSITIO MORALIS.

Peccantis Animæ ſtatus præuidendus.

SVb aphoriſtica ſententia ſalutaris latet doctrina, dum præcipit Hipp. cætera inter tempora eſſe ſedulò prænoſcendum morbi ſtatum, vt cibis, & præſidijs opportunis ſit locus: quis vel modicè initiatus in ſcripturis ſensũ nõ eruet Catholicum? peccati ſcilicet, & peccantis animæ ſtatum ſolertia

non

non minori præuidendum, vt ſacris præueniatur præſidijs, quæ quidem, niſi tempora prænoſcantur ſingula, vix poterunt opportunè miniſtrari; ſua habet tempora morbus, nec diuerſa peccatum, ſuis æquè ac ille gradibus, principio ſcilicet, & augmento properat in ſtatum, & in eodem viget: morbi principium ex primo materiæ morbificæ motu, & inſultu definit Medicus augmentum, cum planè graſſatur ille, & manifeſtis aggreditur naturam ſymptomatis; ſtatus verò, cum iam maximus naturæ conatus eſt, vt materiam expellat, vigentique morbo obſiſtat, ſic peccandi initium ex diabolica fit ſuggeſtione per primum delectabilis, & criminoſæ materiæ motum; augmentum cum altiùs graſſata ſuggeſtio proritat, & prurit adeò leniter, vt in delectationem ſenſim fluere cogat animam; ſtatus verò peccati cum pulſata longiùs voluntate anxia hęc, & laborans inter conſenſus, & diſſenſus conflictum, & electionem, ſubacta tandem lethali vulnerat animam conſenſu, & peccato protinus vel in corde, vel in facto, vel in conſuetudine conſumato, mors ſequitur animæ, non ſecus ac corporis, cum morbo ceſſerit natura: vnde pro triplici peccati conſumatione tres generantur veluti mortes, inquit D. Auguſt. de ſerm. in monte, vna quaſi intus inter cordis aulam, cum cordis ſolus eſt conſenſus, altera quaſi extra fores prolata, cum iam migrat in opus aſſentio, tertia cum iam mole terrenæ conſuetudinis premitur animus veluti ſepultus iam putrens, quæ tria genera mortuorum ſuſcitauit Dominus, in Adoleſcente, in Puella, & Lazaro. Hic peccati, & peccantis animæ ſtatus eſt, cuius ſalutaris prænotio non alia methodo perſpicienda, quam Hippocratica in præſignando morbi ſtatu: hunc ex conſtitutione, & idea morbi, ex anni tempore, ex mutua periodorum conferentia, ex apparentibus denique, & ſuperuenientibus ſignis, & ſymptomatis Hipp. præuidens prænoſcere nos docuit, & animæ ſtatum.

Primò ex morbi conſtitutione, ex peccati ſcilicet idea perpendatur exactè ſtatus animæ, cum deliquerit; ſi mentis oculos fixiùs peccantem tendas in animam, quid mehercule poteris horridioris aſpectus intueri? quid deforme magis? quid tenebroſius? hanc cæteris omiſſis, quibus abundè ſacra ſcatet Scriptura, hac ſola ſufficiat icone adumbraſſe, eſſe ſcilicet peccantis animæ ideam

totam

totam à Deo auerſam, & planè Dæmonis imaginem præſeferre, Deo pariter oppoſitam, cum peccati idea ex D. Th. 1. part. quæſt. 24. art. 1. non alia datur in proſpectum definitione, quàm per voluntariam auerſionem à Creatore, & conuerſionem ad creaturam, & hæc ipſa auerſio à Deo funditùs, & medullitùs prȩcognita, peſſimus animæ ſtatus eſt, quo deplorabiles inter vniuerſos nullus commiſeratione dignior, cum Dei, & bonorum omnium iacturam faciat peccando, & non eſt, qui recogitet.

Quo clarior præluceſcat morbi ſtatus ſpectanda ſecundò conſulit Hipp. anni tempora, cum alij alijs emergant temporibus morbi, ſic ex delictorũ tempore prænoſcendus animæ ſtatus, an longus ſcilicet futurus ſit, vel breuis. Ancipitis euentus ægritudo, cum peruenerit ad ſtatum, mox in ſalutem, vel in perniciem vergat neceſſe eſt, ſic anima cum criminis eſt in ſtatu, breui declinet ópus eſt, an verò deſiturus in ſalutem, vel perniciem ex tempore prænoſcendum; etenim, ſi diuturno tempore peccator adeo culpis fuerit aſſuetus, vt in habitum iam planè migrauerit conſuetudo peccandi, tunc longum fore ſtatum pronunciandum, quin immo (niſi Deus det morbo declinare per gratiam) longiſſimum, cum habituale peccatum in perniciem vt plurimũ deſinat ſempiternam.

Ex anni tempore rurſus prȩnoſcendus peccatoris ſtatus; etenim ſi verno tempore, quo potiſſimùm Paſcalia recurrunt ſolemnia, & anniuerſariæ inſtituuntur purgationes, nullam moliatur peccator crimino ſi apparatus vacuationem, longum fore, & rebellem morbum, & peſſimi iudicij, atque ſtatus ȩgritudinem futuram liberè proferendum.

Circuituum ſucceſſiua incrementa paroxiſmorum, & morbi ſtatus indicatiua; ſtatuit vlteriùs Hipp. longo tempore currentes, & recurrentes criminum acceſſiones per recidiuam, peccata peccatis, peiora prioribus addentes, peccatoris animæ moleſtiſſimos in hoc ſȩculo ſtatus prȩoſtendent, & animȩ tandem acceſſiones per ȩternam pȩnarum ſubintrantiam perpetua immanitate circuituras, & nulla vnquam declinatione remiſſuras indicabunt.

Ex apparentibus etiam de morbi ſtatu indicia ſumi ſubdit Hipp. ſi publica nempe cum proximi noxa, & ſcandalo apparuerint ſcelera, & in eiſdem gloriabundus intumuerit peccator, tunc lethale de

de eiuſdem ſtatu proferetur iudicium, ſi nulla potiſſimùm peculiari cuiuſque morbi vacuatione exonerare ſtatim non curabit animam, hancque protinus in ſcelerum principio ſubleuare, vt docet Hipp. pleuritidis exemplo. Morbus hic cordi proximus ſputo ſolet euacuari, hoc autem, ſi in principio apparuerit, breuiorem, & ſalutarem morbum ſpondet, è contrà verò, ſi tardè appareat; ſic ſanè crimina morbi ſunt, non cordi proximi, ſed ipſummet inuadentes, & niſi protinus per ſputum, per ſalutarem nimirum culparum ſcreatum in Confeſſione Sacramentali per principia apparentem æger vacuabitur, funeſtę pleuritidis, in qua vel nullum, vel tardum apparuerit ſputum, ſtatum non euadet, & diſcrimina longè peiora ſubibit.

Facilis tandem, vel difficilis iudicij morbos à ſuperuenientibus ſignis, & euacuationibus indicari concludit Hipp. quaſi dicat, cum videris ęrumnas, infortunia, & bonorum vacuationes peccatori ſuperuenientes, & ipſum nihilominus tot ſignis eruditum proteruire conſpicies in nequitia, difficilis iudicij ſtatus pręnuntiandus, non ſecus ac morbis in omnibus, in quibus ſuperuenientes euacuationes nihil afferunt leuaminis; quot enim Pharaoni cęlitus, vt reſipiſceret, ſuperuenerunt ſigna? quot & populo Hębreo ſudorum, lacrymarum, & bonorũ euacuationes, quę cum irritę omnes ad peruicacię morbum curandum nihil conduxerint, & Rex ſceleſtus, & vniuerſus Hębreorum cętus in lethalem migrauerunt ſtatum, ominoſo Iſaię vaticinio cap. 1. prękignatum his verbis. *Veh genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphæmauerunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorsùm, ſuper quo percutiam vos vltrà addentes præuaricationem. Omne caput languidum, & omne cor mærens, terra veſtra deſerta, Ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* Hęc Iſaię prognoſis in Hębreorum euentu planè conſumata, ne ſub minaci augurio complexa ſit & Catholicos verendum, cum & ipſi iam corruperint vias ſuas.

DISTICHON APHORISTICVM.

Culparum numerus, ſpecies, & tempora ſignant,
Quis ſtatus eſt animæ, quiſque futurus erit.

APHORISMVS XIII. PRIMÆ SECT.

Senes facillimè ieiunium ferunt, ſecundùm hos, qui conſiſtentem ætatem agunt, minùs adoleſcentes, minimè omnium pueri, inter eos maximè, qui viuidiores ſunt.

EXPOSITIO MEDICA.

VIctus diagnoſi,& Therapia viribus ęgri,& morbi,huius ſpeciei, & motui ſecundùm vniuerſales, & particulares cuiuſque ideas, & acceſſiones, hucuſque ab Hipp. perquàm doctis legibus accomodata, cibandi methodum ad ętates decreturus, ſuos in pręſenti aphoriſmo cuique cibationis gradus tribuit, & ordine reſolutiuo à ſenectute exordiens ad pueros vſque, ſenes facillimè inędiam ſuſtinere pronunciat: vnde totus aphoriſmus nihil vltrò ſonare videtur, quàm priuatiuè per facilem,aut difficilem ieiunij tolerantiam oſtendere, quomodo ſua ſingulis ętatibus, & benè, & malè habentibus debeat reſpondere alimenti proportio, quam tribus potiſſimum ex diſpoſitionibus eruere docet lib.3. acutorum, ex caloris natiui copia, & actiuitate, ex ſubſtātię indole plus, minùſue fluxili,& ex habitu corporis denſo, vel molli: vnde quò calor vegetior eſt,& vberior,ſubſtantia fluxior, & mollior, textura tenuior, & rarior, ſumma ſequi debet, & promptior corporis reſolutio, quę multa, & prompta refici petit reparatione per alimentum,vt in pueris,in quibus nullus ieiunio locus, vt amplus in ſenibus,in quibus cū calor imminutus ſit,& langueat, habitus denſior ſit, ſubſtantiæ minus effluuium! quid mirum, ſi nulla noxa longiùs ferant ieiunium, cum vlteriùs neque ſuctionis ſenſum, neque indigentiam percipiant ob pituitę prouentum, quę famis ſtimulos, ſi qui ſubeſſe poſſent, & vrgere obtundens, faciles ad ieiunium reddit. Senilis igitur ętas metrum ſit ad reliquas, & quò ſuis quęque plus hęret principijs ſcias ęgrè magis ferre ieiunium, puerilem potiſſimùm, & viuidiorem, cuius calor cum multus ſit,

diſſla-

difflabilis, & vorax nullam patitur inędię legem, ſed multis itera-tis, reſtaurari quęrit alimentis; at cum ætates nullo annorum nu-mero circumſcribantur; ſed quales vires, & naturæ robur, caue ne ſub paruo annorum numero lateat tanta temperamenti imbe-cillitas, quæ ſenectutem anteuertat, & quem iuuenem putas, ſene robuſto ſit ſenior.

EXPOSITIO MORALIS.

Verum ieiunium abſtinentia à peccatis.

ETates numerat Hipp. facilè plus, vel minùs ferẽtes ieiuniũ corporale, quod cibi, & potus abſtinentia, tenuitate, di-latione,& inſuauitate circumſcribitur; at ſi mens Auctoris altiùs adeatur,non corporale ieiunium tantùm per ętates ſingulas, magis, minùſue tolerabile inſinuat, ſed & ſpirituale, quòd ſcilicet omnimoda à peccatis abſtinentia, à ſacris omnibus Scrip-toribus definitur,hoc enim verum,& omnibus numeris abſolutũ ie-iunium, hęc verè ſancta abſtinentia,& verax inędia, in qua noſtrum ſiſtatur commentũ. Perpendamus igitur quid acceptabile,quid ſua-uem reddat abſtinentiam à peccatis, quæ ſint inter ætates plus, & minùs ægrè tàm ſalutare ferentes ieiunium. Si quid primò morta-les ad omnimodam hanc abſtinentiam à peccatis valet ocyùs im-pellere, & ab iniquitatis via reuocare, Nouiſſimorum certè memo-ria, vt conſulit Eccleſiaſt. amara potiſſimùm mortis recordatio, cu-ius iugis, vel ſaltem frequens, & attenta meditatio, quot Reges, & Aulicos, Magnates, Matronas, Virgines, & Viduas à ſæculi delicijs, ad Clauſtra, ad Eremos, & Cœnobia compulerit ſacræ paſſim pro-munt Hiſtoriæ, quotidiani teſtantur euentus: quid verò vim tan-tam fecerit, repentinamque ſuaſerit mutationem? nihil aliud me-herclè, niſi mortis ſtimulus,quo mouente diſcerent facillimè ferre & ieiunium à peccatis,& à quauis occaſione criminis abſtinentiam: O felix abſtinentia, quæ mortis alitur memoria! O ſuauis recorda-tio,quam plena nutrit abſtinentia! O lucroſa amborum ſocietas,qua ſalutis agitur negotium, cuius præſtantiam, ac neceſſitatem fortè meditatus Hipp. ætates numerans ieiunium facilè ferentes, non im-

 meritò

meritò ſenili primum tribuit in aphor. locum, ratus fortaſſe *ſenes* ſui termini vicinia, & proximæ mortis memoria iugiter interpellatos, facillimos, & ferendo à peccatis ieiunio addictiores eſſe oportere, *ſenes* nimirum ſenſatos, qui totius corporis habitu præ ſenio flaueſcente, dum ſcilicet caligant oculi, obſurdeſcunt aures, defluunt capilli, facies palleſcit, vacillant dentes, areſcit cutis, halitus graueolet, obruitur pectus, tuſſis obſtrepit, trepidant genua, tument & plantæ, qui inquam tot apparentibus iam latis in corpore fiſſuris, ſibi minimè blandientes, proximè ruituram animæ ſuæ domum ſedulo reuera credunt corde, non tardo, vt ſenes peruicaces, qui ad oſtium huius mundi poſiti, foris ſpectant, nec tamen vitæ preſentis attendentes egreſſum, nec ingreſſum proſpicientes futuræ, tunc tantùm peccare deſinunt, cum in extrema poſiti peccandi impotentia, peccata ipſos dimittunt, non ipſi peccata. Expergiſcimini ſenes conſopiti, nec diuturnioris vos vltrò lædat ſpes vitæ, mors pulſat ad oſtium, rebus veſtris ſenili iam conſulite prudentia, quæ ſuperant vitæ momenta æternitatis negotio impendentes, ſitq; adſtantis mortis aſpectus magiſter erudiens ad pœnitentiam, vt diſcatis ita facilè ferre ieiunium à peccatis, vt facillimè corporalem fertis inediam. Eia & vos à ſenectute deflectentes, qui reliquas percurritis ætates, quos ſcilicet innuit Hipp. ægriùs ferre ieiunium, ſi conſiſtentis, & iuuenilis ætatis æſtus, & vſtio vos agit in præceps, & procliues flectens ad crimina genios de hoc ſalutari ieiunio minùs anxios reddit, & curantes: terreat non ſecus, ac ſenes, vos mortis memoria, & ad abſtinentiam mentis æquo compellat ſtimulo; neque inquias quiſquis ſis, mortis diſtat aduentus, & floret adhuc ætas tàm triſtis impatiens memoriæ; caue, reſpondet Bern. ne te fallat, vt plures fefellit nimiùm credita mortis diſtantia, & proximiorem crede, quàm fortè diſſitam putas, ſciaſque vlteriùs, quòd periculoſior vitæ pars ea eſt, quam nimia ſecuritas incautam facit, nec te lateant tres fidiſſimi mortis nuntij, ab Hugone lib. 2. de clauſtro animæ expoſiti, Caſus ſcilicet, Infirmitas, & Senectus; ſi ſenectus diſtat, quam pro ieiunio ſtatuiſti, fortè circumflui, ſenium præuenientes, non diſtabunt caſus, quibus obnoxia iuuentus, qui ſi nulla irruent iniuria, vlteriùs proſpice, ne te latens perdat infirmitas, ex qua, & teneras, & florentiſſimas quaſque concidere cernimus

ætates;

ætates; agite igitur, & mentes veſtras ſuaui mentis aculeo compungentes ad ſalutare ieiunium componite, ſpondeo enim recogitatæ mortis linimento iucundam vobis fore à peccatis abſtinentiam, & è conuersò huiuſce ieiunij condimento gratam vobis procul dubio futuram mortis memoriam, quæ cum vigere non valeat in pueris ob rationis vinculum, quo mens ſolui, ferrique neſcit ad ſeria propter ætatis mollitiem, *pueros* idcirco omnium difficillimè ferre ieiunium pronunciat Hipp. ſi tamen ætatem prçcox percurrat ingenium, ita vt ratio perfulgeat tunc arctiùs etiam tractandi, & ab omnibus arcendi ineptijs, quæ licet pueriles, quid tamen redolere poſſunt criminoſi, ſuntque ſuo etiam committendi ieiunio, pleniſſimo virtutum impendio colendus eorum ſpiritus eſt, ne ſerpat vlteriùs vitium, eorum potiſſimùm, qui viuidiores exiſtunt, breui ſcilicet vitæ ſpatio altiorem malitia attigerint ætatem, his equidem timor etiam incutiendus eſt mortis, & imperanda, omnique accurata educatione procuranda à peccatis abſtinentia, vt ætates ſingulæ laudem dicant Deo, cui nulla acceptior, quam à peccatis abſtinentia, qua Citharedi pareant cantico pſal. 108. ſecum pſallentes. *Iuuenes, & Virgines*, ideſt pueri, *ſenes cum iunioribus*, ætate ſcilicet conſiſtentibus, *laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius*.

DISTICHON APHORISTICVM.

Peccati admittet ieiunia qualibet ætas,
Adſtantis mortis ſi memor eſſe velit.

APHO-

APHORISMVS XIV. PRIMÆ SECT.

Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, & cum copioſo egeant alimento, ipſis abundè ſuppeditare oportet; alioquin corpus conſumitur; Senibus verò parum caloris ineſt: propterea paucis fomitibus indigent; exiguus namquè ignis fomitis extinguitur multitudine. Ob eandem cauſam ſenibus febres perinde acutæ non fiunt; frigidum enim eorum corpus.

EXPOSITIO MEDICA.

EXpoſita ab Hipp. in antecedenti aphor. ordine reſolutiuo per ætates ſingulas, à ſenibus ad pueros vſque facili, vel difficili ieiunij tolerantia, nunc in præſenti, ordine procedens compoſitiuo à pueris ad ſenes vſque, cauſam reddit, & rationem, cur plurimis pueri, ſenes verò paucioribus egeant alimentis, inquiens pueros ideo, & qui creſcunt pluribus indigere fomitibus, quòd plurimo affluant calido innato; ſenes è contra cum minùs ſcateant, paucis idcirco fouendos ſuccendiculis, ætates ſilens Auctor intermedias, tanquam plus, minùſue cibis onerandas, prout propiùs, vel longiùs à ſenectute receſſerint, acceſſerintque ad pueritiam: vnde conſtans cibandi ratio in pueris, & ſecundùm, & præter naturam habentibus ſtatuatur, plenioribus indulgendum eſſe in quantitate, tempore alimentis, ne corpus abſumatur ſua ſponte difflabile, ob caloris natiui copiam, humidi primigenij affluxum, & abundam ſpiritus inſiti perfuſionem: quamobrem vberrimum ſubtrahendum non eſt pabulum, ne fraudetur ſuo genio calor, qui feriari neſciens promptè depaſcetur tenelli corporis ſubſtantiam, vnde nec iſta in debitam extendi poterit molem, neque ad longiorem metam vſque protrahi ſenectutis; propterea errant ſummopere, qui pueros delicatiori ac tenui committunt vi-

ctui,

ctui, à quo prorſus arcendi, niſi morboſa fuerint conſtitutione donati, vel imbecilles; at ſani, & viuidiores potiſſimùm nullis inediæ præceptis obligandi, ſed leges omnes in ſenes referendæ, in quibus inuiolabiles ſtatuendæ, cum puſillus eorum calor multis obrui non patiatur cibis, ſed parca, frequenti, & accurata menſa foueri deſiderant, ne ſequatur ex opipara caloris extinctio, & hanc etiam ob rationem concludit Hipp. ſenes idcirco febribus acutis non corripi, quod abſint in eis conditiones acutiem integrantes, calor celeriter, continenter, & vehementer furentem exagitans materiam, quòd *frigidum eorum corpus* ſit, calido nempe depauperatum natiuo, à quo tanquam à natura motus omnis materiæ; ſi qui tamen in acutam ſenes incident febrim, in diſcrimen irruent faciliùs, quàm iuuenes ob ſummum à ſtatu naturali receſſum, & virium imbecillitatem, vt oſtendetur alibi in tertia ſectione.

EXPOSITIO MORALIS.

P*Lurimo, qui creſcunt, abundant calido innato, plurimo & egent alimento, corpus alioquin abſumitur.* Sententia quidem non minùs applicabilis his, qui reuera mole creſcunt corporea, vt pueri, & adoleſcentes, ſed & ſingulis aptabilis, qui, vel ſacra creſcunt in Religione, vel ſæculari extolluntur in dignitate; vberrimum ſingulis competit pabulum, non materiale per copioſam alimenti in corporis ſubſtantiam conuertibilis appoſitionem, ſed ſpirituale, per affluentem virtutis in animæ ſalutem commutabilis additionem, ſine qua ſpiritus, & calor diffluet totus, & abſumetur otio. Puerorum igitur in primis, qui reuera creſcunt ſpectemus animos, & videamus quibus alendi ſint cibis. Omnes inter eſcas, quibus eorum, qui creſcunt cibandi ſunt ſpiritus, conſtat ſanè nullum poſſe ſalubrius ipſis pabulum miniſtrari, quàm opipara educationis menſa, quæ virtutibus ornata, & onerata ſit omnigenis, vt quiſque vocatus, & accedens ea poſſit obſonij ſpecie cibari, quam genius expetit, & conditio, parabiturque educationis menſa, & apparatus, vel domeſticos inter parietes à genitoribus, vel extra ab artium, quibus addicti fuerint magiſtris, qui promiſcuè cum parentibus curabunt ſingulis dapes apponere Diuino ſemper amore,

& ti-

& timore conditas: Parentes potiſſimùm, qui liberos ad bene agen-dum, vt seſſores indomitos equos, duplici vrgebunt calcari, cor-rectione nimirum, & exemplo, quod perbellè ſignauit Abraham, licet innocentem duceret Iſaac filium ad immolandum Domino ſuper montem; bonus Pater gladium dextera geſtabat, & ignem ſiniſtra, gladium ſcilicet in correctionis figuram, & ignem in exem-pli imaginem, vt gladio genitoribus oſtenderet quomodo Deo ſa-crandi ſunt filij, & igne lucem prǫſeferret exempli, quo debent in mandata Dei ſeruanda manuduci: hæc alimenta ſunt, quibus abun-dè fouendus liberorum calor innatus, & alendus creſcentis animus; cum enim ſummus fuerit eiuſdem æſtus in vitia, plurimo correctio-nis, & exempli fomite miniſtrato non abſumetur facilè, nec conta-beſcet vitio, non ſolùm corpus hoc materiale, ac corruptibile, ſed tota ſpiritus in Deum vnio ſeruabitur integra; gaudeant igitur bene nati, & educati in lege Domini, hoc enim pietatis alimento corporis, & animi robur ſeruabitur, & ſuppetet abundè ad aſcen-ſum, cum Abraham, ad montem ſanctum Viſionis Domini. At (proh dolor!) qui creſcunt in hoc ſæculo, pueros cernimus, & bo-næ indolis adoleſcentes, vel parentum incuria neglectos, vel nimia blanditie corruptos, ſolum velut incultum, in ſpinoſam vitiorum fruticationem ſilueſcentes, mox natos adoleſcere, vix ablactatos criminoſis ineptijs implicari, & grandiuſculos factos in altiora con-ſcendere flagitia, & quod deterius genitores conſpicimus in eorum nequitia geſtientes errata etiam grauia deficienti tribuentes iudi-cio, quod ſuperfluit in delinquendo, dicta, vel geſta indecora acu-tiem ingenij cogitantes, quæ verè partus fuerant malitiæ, & quod deterrimum, ac planè lacrimabile, nequitiam, ſi quæ ſubeſt, vel abeſt in pueris peſſimo fouentes, vel excitantes exemplo, quo plus laxantur, vel effrǫnes fiunt pueri, quàm poſſit vel immaniſſima quǫque corréctio ipſos coercere, vel erudire.

Indulgentes genitores veſtris iam natis conſulite, vos metipſos corrigentes primùm, vt nullam peccati imaginem in vobis tene-ra proles aſpiciat, nec anſam criminis arripiat, mox in pueros, ſi de-liquerint, irruat rigoris gladius ictu graui, & crebro, non mollis ſcilicet, & blanda ſit correctio, ſed vrgens adeo, & valida, vt nullus impoſterùm detur recidiuæ locus, cuius procul dubio præcauebitur

occa-

occaſio, ſi parentes vigili zelo proſpicient vbi, cum quo, quomodo, & quando conuerſetur ipſa proles, quæ cum plurimùm habeat calidi, ſuccenſum ſcilicet in liberos mores genium, niſi plurimum correctionis pabulum miniſtretur, diffluet facilè, vt dictum; totus Charitatis,& Amoris in Deum ſpiritus,& calor, quo præfocato, non ſecus ac pars corporis extincto calore natiuo, gangrena corrumpitur ad totius interitum; ſic calido Charitatis emortuo in æternam deſcendent corruptionem, & proles, & qui eam peſſimo corrupe-rant exemplo genitores.

Sunt qui deſpecto mundo, vitæ perfectioris ſtudio conflagrantes *creſcunt*, Deo ſanctam ſubeuntes Religionem, hi ſiquidem, ſi vera vocatione ſunt tracti, *plurimùm habent calidi innati*, plurimùm ſcilicet Amoris erga Deum, quàm qui vernaculo viuunt more,& cum plus cœleſti abundent ſpiritu, plurimo indigent *alimento*: Religionis alimenta ſunt primò ex Hieron.ad Paulinum Simplicitas,& Prudentia, Simplicitas quidem columbæ, ne cuiquam machinetur dolos, & ſerpentis aſtutia, ne aliorum ſupplantetur inſidijs, cum non multùm diſtet à vitio, vel decipere, vel poſſe decipi; præter hæc talia, quàm plura Religionem fouere debent alimenta; Humilitas nimirum, quæ baſis dicitur ſanctitatis à Bern. Patientia, Caſtitas, Paupertas, Abnegatio ſui, Obedientia, Solitudo, Puritas, Verecundia, Ieiunium, Diſciplina, Oratio, Perſeuerantia, Meditatio, Anguſtia, Silentium, Exemplaritas, Charitas, patientis denique Saluatoris Imitatio per Crucis amplexum, cui vitali tanquam menſæ toto vitæ decurſu accumbentes, inſito ſibi à Domino Charitatis calido plurimum haurient alimentum ad gratiæ molem augendam, & menſam denique gloriæ conſequendam accommodatum; at ſi Religionis creſcentis calor multis non foueatur alimentis, ita vt impatiens euaſerit, imperioſa, audax, vel edax, minùs pura, minimè ſancta, & virtutibus denique careat, quæ vegetum conſtituunt Religionis corpus, cum impura ſint; ſi quæ coactè ingerit imperata fercula, non nutrient animam ad ſalutem, ſed totum inquinabitur propoſiti corpus, quod tandem extincto Charitatis, & inchoatæ Perfectionis æſtu abſumetur, nec onus leue, nec ſuaue iugum perferet ad Saluatoris exemplum.

Sunt & qui mundana creſcunt in gloria ad ſumma dignitatum

faſtigia euécti; hi ſiquidem ſi per virtutis gradus ad promeritam conſcenderint poteſtatem, cum *plurimùm habeant calidi innati*, abundos ſcilicet ſpiritus, feruidum & ingenium, quibus indefeſſo laboris æſtu ſuccenſi, ſibi gloriæ,& auctoramenti ſedem compararunt, plurimo & ipſi indigent alimento virtutum, & tantò plus egent,quantò calor ille inſitus ingenij totus fuit Diuino cęlitus innatus Amore, cuius calor præcognitus vbertimo fouendus alimento, nimia nimirùm Charitate rependédus erga Deum Donatorem boni,ſeruata integrè eiuſdem lege mox erga proximum, auctoritate in eiuſdem ſpretum, ac depreſſionem nullatenus intenta; alioquin ſi Charitatis pabulo fraudabitur dignitas, abſumetur hæc; & virtutis, ſi quæ ſubeſſe poteſt abſente pietate, poteſtas omnis, vel alternantis corruet fortunæ ludo, vel inuida concidet emulatione, vnde tota denique gloriæ compages diſſoluetur, & obtenebrabitur opprobrioſa eclypſi Sol iam tot honorum radijs effulgens; at ſi tota dignitatis poteſtas Charitatis irradiata nitore in omnes, & miſeros potiſſimùm æqua fulgebit beneficentia, beneficæ perpetuò memor dexteræ Dei, in eius Prouidentiam referens, quòd fortaſſe temerè nimis tribuere poſſet induſtriæ,ſi proprio inquam,vel priuato deſpecto commodo, ea, qua decet auctoramentum celeritate, ac ingenuitate publicas abſoluet neceſſitudines, tunc virtus, & dignitas mutuo ſe fouentes pietatis alimento neutiquàm abſumentur, ſed in æui demolientis iniuriam perennabunt vt ſpondet effatum Pſalmiſtæ: *Gloria & honore coronaſti eum*; & alibi *Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*.

Soli ſenes paucis egent alimentis, quòd puſillus eorum calor obruatur multis. Hoc ſentit Hipp. de corpore, quod ſentire deceat de animo; conſtat equidem ſeniles mentes vberioribus non eſſe cibis alendas, nimirum neque curis,neque ſollicitudinibus,nec immenſa rerum agendarum mole grauandas, cum ad grauiores dirigendas, ac ſuſtinendas operas minùs caloris habeant, ac roboris; vnde ſenibus ſiue ſęcularibus in dignitatibus, ſiue Religioſa vlteriùs creſcere in Perfectione difficile, cum irremeabile pręterierit facilis augmenti tempus: etenim ſi per iam lapſas vegetiores ætates in nullam creuerint virtutis molem, qua ſolet iter ad cęleſtes, & ſęculares parari, ac ducere dignitates, vix poterunt in ſenio cumulare

quod eximijs acquirendis, ac regendis vehiculis ſit impar: vnde minùs apti vix creſcent, aut creſcere valebunt vlteriùs, etiamſi ab ineunte ætate ad ſenectutem vſque fuerint, & Religioſa pietate, & ſeculari poteſtate irradiati, cum ſenum non paucos videamus auctoratos in altiorem euectos dignitatem, ne copioſo nimis curatum alimento obruerent animos quieti ſeruandos, vel placito Principis per alios miniſtraſſe, vel vitali ſuſcepto ſtipendio reſignaſſe vegetioribus; quamplures etiam cernimus Religioni ſacratos, ab ineunte ætate ad ſenilem vſque ſacris omnibus obſeruantiæ alimentis, in extremam auctos perfectionem, quibus tamen ſenio confectis inſtituti alimenta omnia, diſciplinas ſcilicet, ieiunia, orationes, vigilias, & alia, vel ſuperiorum iuſſu moderata, vel penitus ſubtracta, vel Religioſi ſenis arbitrio relicta, & meritò, cum enim febribus non perinde acutis, validis nempe animi paſſionibus non ſint ſenes vlteriùs obnoxij, eximijs opus non incidit virtutibus in reſiſtendo, cum *frigidum ſit eorum corpus*, minùs ſcilicet.

Si quæ tamen vniuerſim debent alimenta ſenum mentibus abundè ſuppeditari, ſuauiora non extant ad ſalutem, quàm frequens vitæ præteritæ, & proximæ æternitatis oblata recordatio, hoc ſalutari pabulo ſi rebellis fuerit ſenex, & frigidus, foueri poterit animus ad penitentiam, ſi iuſtus, hilaris optare cum Paulo diſſolutionem, & eſſe cum Chriſto, quem methodo Dauidica ſtudebis tibi comparare propitium ſola anteactæ vitæ repetitione, & æternitatis attenta meditatione, vt protulit Pſalmiſta inquiens Domino: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*.

DISTICHON APHORISTICVM.

Corpora, quæ creſcunt ætate, aut Principis aurâ,
Ni pietas foueat, deteriora ruent.

APHORISMVS XV. PRIMÆ SECT.

Ventres hyeme, ac vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi; quare alimenta his temporibus copioſiora ſunt danda: ſiquidem plus caloris habent natiui; pluribus igitur alimentis egent. Argumento ſunt ætates, & Athletæ.

EXPOSITIO MEDICA.

SVas, non ſecùs ac corpora, ætates habent, & tempora; quatuor corpori dantur, totidem & tempori: Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems, in quibus ſicut morbi varij, & cuique vernaculi, ſic & cibandi ratio diuerſa, pro diuerſo calidi influentis motu, foris, vel intus, ad viſcera, vel peripheriam ambientis æſtu, vel frigore tendente. Et cum vere, & hyeme, ſi vtraque tempeſtas reuera frigida fuerit, calor omnis influens, humiditas aerea, ſanguis, & ſpiritus, ad interiora recurrant per antiperiſtaſim fouentes calidum innatum, & organa nutritia roborantes; hinc eſt, quòd calidiori exiſtente coctionum officina, validiores fiant, expeditioreſque coctiones, & vberrimum idcirco congruat, & tolerent alimentum, quod competit maximè, ne calor pabulo deſtituatur, per ſomnos potiſſimùm longiores acutior, qui tunc temporis, ob eandem viſcerum conſtitutionem, protrahi videntur: vnde conſtans ſit cibandi ratio, eò plus pabuli dandum, quò calor vel inſita vi, & temperie, vel ætate, aut anni tempore contigerit vegetior, cui ſi regio pariter arriſerit frigida, liberaliori manu magis alendum. Concludit Hippoc. ætatum, & Athletarum argumento definiendam in ſingulis alimenti menſuram: vnde conſtat vberrimum hyeme, & vere conferre cibum ijs, qui verè corpus habent firmum, & validum, vt Athletis, & pueris inter ætates, qui plurimo ſcatent innato calido, non debilibus, neque valetudinarijs, etiam ſi vigeat ambientis frigus, in quibus oneranda non ſunt plenioribus alimentis viſc era, ſi quæ potiſſimùm latens in eis ſerpſerit

morbo-

morboſa diſpoſitio, quam fortè poſſet hyemalis tempeſtas exacuere, & in deteriorem ſtatum conijcere, ſi prçſertim natiui caloris aliqua notabitur infirmitas, quæ frigoris exceſſu poſſet vlteriùs lçdi. In cçteris vegetioris naturæ robur, plenioribus pabulis hyeme, & verè ſeruandum.

EXPOSITIO MORALIS.

Examinantur ætates anni peccatis aptiores.

SVas habet anima tempeſtates, in quibus pluribus foueri petit & ipſa alimentis, & eaſdemmet: vnde ventres natura calidiſſimos eruit Hippoc. & pabulo pleniſſimo indigentes; ver ſcilicet, & hyemem; ſuos habet, non ſecùs ac corpus ventres anima, qui pariter *hyeme*, *&* *vere calidiſsimi*, plus æſtuare ſolent, & in vitia mortalium mentes acriùs incendere, quàm reliquis anni temporibus, quod annuere videtur Hipp. dum *ventres* dixit, non viſcera, vt ſcilicet latiori nomine ſingulos corporis *ventres* complecteretur, non inferiorem modò, quo tota naturalis œconomiæ, & primæ coctionis officina circumſcribitur, ſed ſuperiorem, cerebri nempe ventriculos (iuxta anathomicam corporis diuiſionem) in quibus tota rationalis animæ vis, qua diſtinguimur à brutis abſoluitur; anteriorem, ſcilicet imaginatiuæ ſedem; medium, ratiocinatiuæ thronum; & poſteriorem, memoratiuæ ſcriniolum; hos ſiquidem ventres hyeme, & vere calidiſſimos natura, ac in vitia paratiſſimos ratio ipſa ſuadet, & Euangelica comprobat auctoritas. Ratio non aliunde ſuppetat, quàm ex eodemmet aphor. ſubdit enim Hippoc. *&* *ſomni longiſsimi*, quaſi dicat ideo ventres hyeme, & vere natura calidiſſimos plurimo indigere alimento, quòd ſomni tunc temporis longiſſimi, ideſt mortalium mentes in flagitia magis æſtuantes *hyeme*, *&* *vere*, quia ſub ea temporis conſtitutione, altiùs indulgeant otio viuentes, cum nihil graphicè magis exprimat otij imaginem, quàm nimia ſomnolentia, & è contra nihil magis propriè deſignet ſomni iconem, quàm æſtus nimius ad peccandum, qui propriè dicitur per ſomnum expreſſa cçleſtium obliuio; otium igitur ambiens, velut frigidum hyemis, & veris exhibens

hibens naturam, procliues magis animos ad vitia ſuccendere nemo inficiabitur; & reuera, quæ temporis ætates, quęſo, probos vniuerſim magis corrumpunt mores, eneruant virtutes, & alliciunt propiùs ad vitia, quàm ver, & hyems, tempeſtates ſteriles in omnibus, ſoli fertiles otio, cuius illecebris quot feriantes cernimus mentis ventres, in ſcelera quęque patranda paratiſſimos? quot imaginatiuæ deprauationes in anteriori cerebri ventriculo? quot ratiocinatiuæ notantur errores in medio? quot inanes memoratiuæ ſuppeditantur à poſtremo conceptus? quot denique phantaſię communiſque ſenſus, infido ſenſorio decepti, circuunt inſomnia, ne dicam deliria *hyeme*, *& vere* mortales vbique perpetuò deludentia, in conuiuijs, & comitijs, in circulis, & theatris, in ludis, & ineptijs, in confabulationibus, & conſeſſibus, in Choreis, & Bachanalibus, in quibus nobiles, non ſolùm, ſed & ignobiles, Aulici, Magnates, ac ruſtici geſtientes, detractiones, dolos, impudentiam, & alias nequitiæ ideas, blandas exiſtimant hyemalis otij tractationes, & ſolatia; neſcientes miſeri lethales eſſe animarum lapſus, ex deficienti virtutum pabulo in æternam præcipitaturos gehennam, ad quam plures ver trudit, & hyems, quàm æſtas, & autumnus: horum ſiquidem amęnitas, & vtilitas mortales ſępe reuocat ab otio ad labores, ab vrbium deſidijs ad oppidorum delicias, ad prędia, ad agros, à quibus è contra criminoſa cogit hyems antiperiſtaſi ad vrbanas ædes remigrare, vbi quò numerus auctior incolarum, plebs inſolentior otio, & peccati fomes vberior. Aſſumptum ſacri comprobent euentus.

Quo, quęſo, tempore naſci voluit Saluator mundi? hyemali ſanè, & nocturno, quo ſcilicet de more viuentes altiori tenentur otio, vt nocte exterminata lucem agnoſcerent veritatis.

Qua, quęro tempeſtate, murmur cępit contra Redemptorem, & Hębraica rabies in ipſum exardeſcere acriùs, niſi cum ciuibus, & exteris repleta Hieruſalem, maxima inſani populi multitudo longiori feriabatur otio?

Annuens Ieſus Diſcipulis ſubuerſionem Hieruſalem, & ſiſcitantibus illis de tempore euentus, cur? reſpondens, & tempora pęnitentiæ præſignans per fugam, conſuluit, ne fuga fieret hyeme, niſi quatenùs cęteras inter anni ætates otioſam ipſam omnino vidit?

Cum

Cum arduum valde fit otiari, & non vitiari, vitiari hyeme, & reſipiſcere per pęnitentiam, quòd gelida hyems poſtrema pars anni ſenium deſignet, antiquatos habitus, qui ſi praui ſint, ægrè poſſunt à ſenectute diuelli, ob proximum vitæ terminum tempus condebitè ferè ſemper impar pęnitentiæ.

Cur non alijs, quàm vernis diebus ſuperiores Iudæ ventres, & loculi in auaritiam calidiſſimi ſceleſtiſſimam tractarunt proditionem? niſi vt Magiſtri pretium vernali impenderet otio?

Petrus quando (peto) neſcire iurauit, & reſpuit, ac negauit Saluatorem, niſi hyeme, & per deſidiam? cum ſtante Ieſu in tormentis otioſus nimis ſedebat cum Miniſtris, & calefaciebat ſe, præ torpore oſcitantem, quem niſi conuerſus Dominus excitaſſet, non vtique compunctus, ad ſalutares lacrymas fuiſſet & ipſe conuerſus?

Pro quibus,& quando, niſi verno tempore,pendens de Cruce Saluator Patrem rogauit, vt ignoſceret? niſi pro illis, quorum ſuperiores ventres otio incaluerant ad delirium, neſcientes quid facerent?

Cur per veris initia, Chriſtus in agone Solem obtenebrari iuſſit, nec antea reddere voluit ſpiritum, quàm ſtatim dies in noctem verteretur, niſi vt per noctem, otij ſymbolum, mortales agnoſcerent, parem ortus atque exitus voluiſſe tempeſtatem, otij ſcilicet cauſa nocte media in meridiem conuerſa, natum, & meridie in noctem mutato mortuum, vt redemptionem, quam hyeme,& nocte inchoauerat, inter bruta naſcens in pręſepio, vere & per noctem pariter inter latrones abſolueret moriens in patibulo?

Meditare peccator, an hyeme, & vere cerebri ventres otio potuerint incaleſcere turpiori, & calidiores mentes in ſcelus altiùs conflagrare, cum ad Deicidium vſque conſcenderit oſcitantium flamma; diſce quid poſſit hyems, quid otium per longiſſimos ſomnos ab Hipp. deſignatum; quid igitur hìc? ſcilicet in hoc mundo, ſtatis tota die otioſi viuentes, clamat Saluator; ite inquit in vineam meam, in Eccleſiam nempe meam, & veſtræ mentis ventres natura calidiſſimos in flagitia fouete, reficite, & ex adipe frumenti electi, Sacramentorum ſcilicet pabulo ſatiate, & eò vberiùs alite, quò temporis opportunitas ad peccandum vos preſſiùs incenderit; ite, repetit, & increpat Saluator in Eccleſiam meam, & quod iuſtum

fuerit

fuerit dabo vobis, paſcam vos oues meas in verbo meo, in voce mea: ſi vere, & hyeme æſtuabunt magis animæ proniores in vitia, hyeme, & vere vberiores parabo vobis epulas; per hyemis initia in Aduentus mei memoriã ſacros mittam Oratores, qui Natalitia vos parabunt ad ſolemnia; hyeme deſinente, & aduentante vere inter anniuerſariæ macerationis ieiunia Diuinos ſtatuam quoque Oratores, qui vos ad Paſchalia diſponent conuiuia; vocis itaque pabulo planè mellifluo, ſi corpus otio diffluum fouebitur, ſi mens criminoſis ſuccenſa vaporibus temperabitur, praui corrigentur affectus, componentur mores, & ſuborta per hyemalem libertatem deliria diſcutientur omnia. Hæc ſpondet Saluator. Et quid iuſtum dare poteſt, & ęquum magis, quàm ſanctificationis Miniſtros, & pręſidia ad ſalutem. Contrahamus rem noſtram. Mentis ventres hyeme, & vere præ deſidia, & otio in vitia calidiſſimos plurimo ſciatis in-digere ſacro alimento; *Argumento ſint ætates, & Athletæ*, concludit Hipp. nam ſicut inter ætates puerili plus datur pabuli, quia plus datur & calidi, & proportio ad ſomnos intenſior fouens calorem, ſic animæ cum plus flagrant in vitia, & procliuiores ad ſomnum, ideſt otium, ſacris plus alendæ ſunt exercitijs; Athletæ verò pluribus ideo refarciendi ſunt epulis, quod plurimùm luctaturi, viribus egeant perquàm validis, vt in diſco ſupplantent colluctantem, nec vltrà in arenam deſcendunt, niſi priùs per quietem cibis fuerint ſaturi; ſic anima idcirco pluribus hyeme, & vere virtutibus roboranda, quadrageſimali pręcipuè ieiunio, quòd plurimùm & ipſa teneatur tunc temporis triplicem aduerſus hoſtem acriùs colluctari, & colluctatura ſit deinceps toto vitæ curſu, & acerrimè tandem tremendo in agonis conflictu; ſtudeat igitur mortalium quiſque, Athletarum more, in agonis arenam non deſcendere, quin per anteactæ vitæ ſpatium, nulla ſecluſa temporis ætate, omni priùs ſe virtutum, & gratiæ cibo ſaginauerit, vt viribus, quibus tunc opus validiſſimis, conſtare poſſit, & ad victoriam, & hoſtis ſupplantationem ſufficere.

DISTICHON APHORISTICVM.

Ver, & hyems hæc ſunt aptiſſima tempora culpis:
Tunc mens Diuinis plus ſaturanda cibis.

APHO-

APHORISMVS XVI. PRIMÆ SECT.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, pueris maximè, & alijs, qui tali victu vti conſueuerunt.

EXPOSITIO MEDICA.

CVm de victus quantitate, & tempore ſtatuerit hactenus Hipp. de congrua ſanis, & ægris eiuſdem qualitate decreturus ab humida exorditur in pręſenti, ea ſcilicet, qua ſolet ocyùs refici noſtri corporis ſubſtantia, & febrilis ſiccitas penitius obtundi, humidum victum febricitantibus omnibus in primis conferre pronuncians, mox pueris, poſtremò conſuetis: febricitantibus vniuerſis primò victum decernit humidum, ſubticens frigidum, ne fortè Medicis, vel Tironibus imponeret non ignorantibus, quatenus febris eſſentia in calore fixa eſt, eſſe frigidis oppugnandam, & humidæ idcirco comitem eſſe oportere frigidam, ita vt *victus* frigidus, & *humidus febricitantibus omnibus* vtilis ſubintelligendus, niſi fortaſſe actiuam duxerit Hipp. reticere qualitatem, & humidam ſolam paſſiuam proferre, vt oſtenderet in febre plus agendum eſſe humidis, quàm frigidis: humidis ſcilicet ſubſtantificis, & alterantibus, quòd febrilis calor, dum ſummè furit, humidum abſumens radicale, natiui calidi pariter abripit pabulum, quo exhauſto, vitæ terminus: vnde *victus humidus febricitantibus omnibus* miniſtrandus plus, minùſue pro febris idea magis, vel minùs æſtuoſa, ſimplici, vel alijs complicata morbis, diſſonis, vel conſonis cum illius eſſentia cauſis, vel ſede; victus autem humectans ſit non modò in eſculentis, & potulentis, vt iuſculis ex halituoſa carne paratis, ſed in ſex etiam rebus non naturalibus aere, ſomno, motu, ex quibus tota perficitur victus ratio.

Pueris ſecundo loco victum humidum conferre ſubdit Hippoc. quoniam, qui creſcunt pueri, cum plurimo abundent calido innato, & humido primigenio, plurimo, & humido petit vtrumque conſeruari, vt corporis moles ad metam vſque valeat augeri, quam

non niſi improſperè attingeret, ſi ſiccior daretur cibus.

Humidum tandem victum aſſuetis conferre concludit Hipp. ne naturæ genius, & habitus gaudens humidis ſubuertatur: vnde mutandus non eſt, niſi morboſa aliqua ſuaſerit diſpoſitio, aliter ſubtrahendus non eſt conſuetus cibus; natura namque longo vſu auidiùs tractis, & ocyùs digeſtis cibis non patitur orbari.

EXPOSITIO MORALIS.

Animæ victus humidus qui.

V*Ictus humidus febricitantibus omnibus confert* ait Hippocr. nullam dirimens febris ſpeciem, omnibus conferre pronunciat, vt animæ febres non excluderet, quas non rarò ſuccendere ſolet æſtus nimius in crimina. Quòd anima febriat, cum vitio aliquo labefactatur, præter innumeras veteris, & noui teſtamenti figuras, ſat pandit ipſa febris definitio, cuius partes omnes implet anima febricitans. Febris penes Medicos calor eſt pręter naturam in corde accenſus, & medio ſpiritu corpus vniuerſum inuadens, actiones ſenſibiliter lędens; & febris animæ peccato concepta, quid aliud, quàm calor pariter præter naturam in corde accenſus, & è cordę medijs ſpiritibus in corpus vniuerſum diffuſus, actiones ſenſibiliter lędens?

Quod peccatum, quo febrit anima calor fit prẹter naturam in corde accenſus, ſat Dauid poſt delictum confeſſus eſt pſal. 72. inquietus inquiens *Inflammatum eſt cor meum, renes mei commutati ſunt, & ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Idem rurſus Iſraeliticæ gentis poſt vituli aurei cultum referens, & increpans peccatum, inquit pſal. 105. *Exarſit ignis*, ideſt peccatum, vertunt Interpretes *in Synagoga, & flamma combuſsit peccatores.* Calor prẹter naturam, peccantis animæ febris perbellè deſcribitur à D. Th. ſecunda ſecundæ quæſt. 133. art. primo, vbi peccatum non aliter definit, niſi per id omne, quod eſt contra naturalem inclinationem, quod ſcilicet contrariatur legi naturæ, & appoſitè; nam quemadmodum natiui caloris ſcopus eſt ſpeciei, & indiuidui conſeruatio, & finis è contra caloris febrilis eiuſdem ad extinctionem vſque deſtructio, ſic termino non

impa-

impari febrilis animæ criminoſæ calor agit in natiui, (qui Charitas eſt ex D. Paulo ad Cor.) reſolutionem, & continenter adeo, vt ſpeciei, & indiuidui corrupta integritate Charitatis, æternum tandem peccatores ruere faciat in incendium.

Quòd vlteriùs in corde ſit accenſus calor hic animę pręter naturam ſacra paſſim comprobat ſcriptura, teſtantur & febricitantes peccatores: Pſalmiſta idcirco rogabat Dominum, vt cor in eo mundum denuò crearet, eò quòd ingenitum polluerat, & luxuria, ac homicidio ſuccenſerat ad Vriæ vſque cineres. De corde, inquit Euangeliſta, prauæ exeunt cogitationes, furta, & delicta vniuerſa; & niſi cor æſtuans crimini conſentiat, & ponatur in calefacto eſſe peccati (vt medicis vtar verbis) nullatenus poterit febris animæ cenſeri. Expedit ergo vt febris ſit, quòd flamma peccati excitetur in corde; & vlteriùs è corde in corpus vniuerſum mediante ſpiritu diffundatur, & influat, actiones ſenſibiliter lędens; è corde ſcilicet medio ſpiritu nequitiæ, & deprauatæ mentis genio influat in corpus vniuerſum, ideſt prorumpat in actum, cuius conſumatio corpus dicitur delicti, ex cogitatione, locutione, vel opere conſtans; niſi corpus vniuerſum, in quod influit animæ calor, totum complectatur generis humani corpus febri obnoxium ſpirituali, & non raro ab ipſa corruptum: at quod aptiùs arridet ſignificatum, corpus vniuerſum, in quod diffunditur de corde peccantium febris æſtus, reuera Deus eſt Dominus noſter, ad hunc directè febrilis delinquentium calor aſcendit, hunc acrimonia ferit, hunc accendit ad iram; hunc denique inflammat ad flagella.

Quas, & quantas demum apta lędere nata ſit actiones febris animæ, ſat ſexto diſcuſſum commento; attamen pręter lęſas, & ſubuerſas, vt diximus, à peccato potentias, actiones ſcilicet animæ ſuperiores, quæ lęſio crimine febrientibus communis cenſetur ex Pſalmiſta dicente: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*; vniuerſas ex peccato immiſſas in mundum, & iterum eruere poſſe ærumnas, & lęſiones, nemo eſt, qui non nouerit, vel noſcat, ſi fortè culpa febrit, aut febrierit. Febricitat igitur ſpiritu quicunque delinquit Deo, nec vnica tantùm febris ſpecie, ſed ſingulis poteſt corripi, non aliter, quàm corpus. Hoc triplici obnoxium ſummo febrium generi tradunt Medici; Ephemeræ, Humorali, & Hęcticæ;

 ſic

ſic anima triplici pariter opportuna ; Ephemeræ, cum recens accenſa flamma peccati incaleſcit tantùm ſpiritus,ſed ſtatim extinguitur per pęnitentiam ; Humorali, cum criminoſus calor altiùs ſerpit in mentem , corrumpitque penitiùs rationem, ne ſtatim reſipiſcat, ſed tamen poſt varios acceſſus, & excandeſcentias ſalutari tandem pęnitentiæ criſi ſoluitur ad ſalutem : Hęcticæ tandem, cum in ſolidioribus animæ partibus infixus ſceleris calor, in difficilimæ, ne dicam impoſſibilis ſolutionis habitualem tranſit. Hiſce febribus , & febricitantibus omnibus victum humidum conferre ſtatuit Hipp. at quis quęſo, humidus animæ victus ? niſi pęnitentium lacrymæ , & dolentis fletus, ingenuè contrito, & humili corde profuſi ; hic verè victus humidus animæ, hoc ſubſtantificum febrientis animæ pabulum , quo vires ſeruantur validæ adeo, vt peccatores in priſtinum tandem reſtituat gratiæ robur, & innocentiæ incolumitatem.

Hoc humido victu lacrymis parato roboratus Petrus Ephemeram Dominicæ negationis euaſit, cum cępit flere.

Hoc eodem victu animá Dauid fouens, febrem putridam ; ex fœtenti luxuria, & Vriæ homicidio conceptam , ſalutari criſi ſolutam vidit, cum fuerunt ei lacrymæ panes die, ac nocte , & potum nouit cum fletu miſcere.

Habituali iam laſciuię febre concepta,Magdalena victu humido, ac verè ſubſtantifico animam tunc alere nouit, & impendens declinare diſcrimen, cum lacrymis cępit rigare pedes Saluatoris : nec vllus eſt in tota pęnitentium claſſe, qui abſque hoc humido, & ſalutari victu febres eiecerit animæ delinquentis.

Et pueris maximè confert victus humidus , ſubdit Hipp. confert nimirum, & ſanis, & febricitantibus pueris luctus : ſanis quidem ad educationem, febricitantibus ad pęnitentiam , quandiù parua pueris emicat ratio , & ad peccandum inepti , ſani non ſunt coram Deo, & tunc victus humidus lacrymis ſtillatus confert , vt faciliùs ad primam flecti valeant educationem , in qua funiculorum obtutu exterrendi, minis obiurgandi , & ad lacrymas vſque plectendi ; at cum ſuborta fuerit plenior ratio, ſi curuari videbuntur ad vitia, tunc humido victu vberiùs alendi ſunt , acriori videlicet diſciplina , rudioribus minis, nec fortioribus parcendum virgis , quouſque profuſiores,& frequentiores eliciantur ad morum pabulum lacrymæ; nec

ſat

ſat erit lacrymis violenter extractis mores componere ſeculares, ſed ſi culpis & animam deturpari contigerit, tunc ſpontaneo, & dolenti fletu refouere tenetur ſpiritum, frequenti pœnitentiæ laua- cro ſordes omnes abluendo; hic itaque victus humidus pueris om- nibus vtilis cenſendus.

Proficuus tandem,& cõferens victus humidus ijs, *qui tali victu vti conſueuerunt*, concludit Hipp. ne violetur lex conſuetudinis, quæ natura dicitur adſcititia. Humido victui aſſuetos dixerim, qui vix ſuccenſo crimine vel leuiori, ſalutaribus ſtatim lacrymis mentes refouent, nec iteratis illam grauari ſinunt culpis, ſed mox à delicto, quale quale ſit, ad Pœnitentiæ Sacramentum confugientes, humido verè ſubſtantifico victu, Sanguine nempe Euchariſtico, cum lacry- mis mixto, febrientes nutriunt animas ad ſalutem; ſi fortè tamen à conſueto more deflexerint areſcente ſenſim in corde ipſo lacryma- rum fonte, & culpis additis culpæ, refrigeſcet Charitas, & nullo ampliùs victus humidi rore reparata animæ ſubſtantia, tabeſcet ad gratiam. Aſſuetos præterea victui humido Clauſtrales etiam dixe- rim, & vitæ deditos ſpirituali, qui de more, vel regulæ inſtituto ſtatis diebus carnem diſciplina domantes, extracto funiculis, & verberibus ſanguine, victu velut humido, animam cœleſti ſaginant alimento; his equidem confert victus humidi non intermiſſa con- ſuetudo, quam ſi quando corruperint, aut violauerint, tàm ſalutare declinantes exercitium, non arato, vt mos erat, animæ campo, qui caro eſt, & corpus, germinabunt vitiorum tribuli; Religioſæ ſcili- cet obſeruantiæ laxamenta, & omni tandem ſterileſcet in virtute, non ſecus, ac ſuam Dauid animam poſt delictum ſterilem pronun- ciabat pſal. 142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Crimine cum febries, ſatis humida conferet eſca,
Si lacrymis animam corde dolente foues.

APHO-

Quos etiam ſemel, aut bis, & plus, minùſue, & minutatim, ac particulatim alere conueniat ſpectandum: dandum verò aliquid conſuetudini, tempori, regioni, & ætati.

EXPOSITIO MEDICA.

NE quid in ſtatuendis diætæ legibus deeſſet Hippoc. incomparabili ſolertiæ, cibandi methodo penes quantitatem, qualitatem, morborum tempora, & ætatum ſtatus decreta, reliquum erat, vt de vtendi modo ſuam proferret ſententiam, quam paucis complectitur, multo tamen examine, & iudicio abſoluendam, dum ſpectandum inquit, & accuratè diſcernendum; *quos ſemel, aut bis, plus, minùſue, minutatim, aut particulatim alere conueniat*, quo perſpecto, *conſuetudini, tempori, regioni, & ætati aliquid vlteriùs ſuadet condonandum*, ita vt ſentiat ea eſſe priùs inſcipienda, à quibus potior decernitur cibandi ratio, mox ea ſpectanda, quæ rationi modum imponunt. Primam, ac præcipuam cibandi indicationem à virium, & morbi ſtatu eliciendam ſat fusè Gal. in commento declarat: reliqua verò nullam exhibent eſſentialem indicationem, niſi moroſam quandam victus licentiam *conſuetudini, regioni, tempori, & ætati* laxandam: cæterum principalis nutriendi lex, & indicatio à morbi, & virium robore deſumitur. Morbi igitur in primis ſpectanda conditio; vel etenim magnus eſt, vel mitis, ſi magnus, in vires agit, vel debiles, vel fortes, ſi morbus magnus eſt, & vires validę, rurſus coniectandum, ſi validæ ſint cum humorum copia, vel inopia, ſi cum humorum vbertate videndum vlteriùs, an cum corruptela, an cum eorundem integritate; etenim ſi morbus magnus eſt, vires vegetiores, cum Plethora pura perexiguum, aut nullum competit pro tempore alimentum, eò quòd ſuppetat intùs abundè; ſi vires valentes ſint cum morbo magno colluctaturæ, ac cum corruptela humorum, elicita

vtrinque

vtrinque indicatione cibo multo boni ſucci, & iterato alendæ, vt alimenti copia, & benignitate demulceatur, & contemperetur humorum impuritas. At ſi morbus magnus fuerit, vires imbecillæ, & cum humorum defectu, tunc cibatione alendum epicratica, non ſecus, ac vtimur epicraſi, quoties magnus vrget morbus, & vires effetæ cum ingenti apparatu humorum: hos enim non multa, nec confeſtim facta per purgationem, aut Phlebotomiam vacuatione demolimur, cum vires ferendo non ſint, ſed partita, & paulatina, ſic viribus non oppreſſione, ſed reuera in ſua ſubſtantia infirmis, alimentis boni ſucci, parum, & ſæpe, ne plenioribus obruantur ſuccurrimus, vt ad morbi vſque victoriam queant ſufficere: ex his coniectari quiſque poteſt, quibus ſemel, aut bis in die, quibus eximij ſucci cibus, quibus minùs nutritius, quibus minutim, & quibus abundè ſit miniſtrandus, lege continuò ſumpta ab ipſa morbi natura, ab ægrotantis viribus, à plenitudine, vel defectu humorum, à corruptela, vel puritate eorundem, omnibus iſtis æqua lance ponderatis de cibandi methodo pro re nata tutò quiſque poterit pronunciare; & *conſuetudini, tempori, regioni, & ætati*, quæ tribuenda ſunt facilè intelligere, & exequi.

EXPOSITIO MORALIS.

Methodus corrigendi Proximum.

PRoximo, & decimoquarto in commento ſcrutari docuit Hipp. quomodo puerorum, & eorum, qui creſcunt alendi ſint ſpiritus ad ſalutem, qua ſcilicet ratione educandi, & mores ad pietatem correctione flectendi, nunc à pueris methodo translata ad vniuerſos in præſenti aphoriſmo fraternæ correctionis exprimit ideam, inſinuans quomodo corrigendus frater ſit cum deliquerit, an ſimplici, an iterata mouendus increpatione, an blando ducendus zelo, an acri vrgendus animo, an rurſus diſſitis, vel breuioribus quærendus interuallis ſpectandum, inquiens Hipp. *quibus ſemel, aut bis, plus, minùſue, paulatim, ac minutatim* offerendus cibus ſit, in cuius miniſtratione ſubdit eſſe quidquam *conſuetudini, regioni, ætati, & tempori condonandum*; ne igitur conſono

fraudetur

fraudetur commento aphor. de proximi adumbrata correctione ſcribendum, & ſpectandum in primis, ſi quæ lex extat, quæ nos ad delinquentium correctionem compellat, qua methodo increpanda ſint fratris vitia, & quibus gradibus in tam diſcriminoſo, & ancipiti munere ſit progrediendum.

An teneamur arguere proximum de culpis, an ſcilicet Princeps populorum, vaſſallus ſubditorum, ſeruorum Dominus, Parentes liberorum, Affines Affinium, Amici Amicorum, & ſingulorum ſinguli teneamur iure aliquo promiſcuè corrigere delicta, nullus eſt, qui vel modicè ſacris initiatus in paginis non agnoſcat, cum neminem lateat, poſt integram, & partibus omnibus integratam Dei Dilectionem, primum, ac principale Dei Omnipotentis præceptum, ſubſequi è veſtigio ſecundum, ſummumque Legis mandatum, quod proximum, veluti nos metipſos, diligere præcipit: in his duobus tota lex pendet, & Prophetæ protulit Saluator, vnde conſtat, quod Deus in proximo, & proximus in Deo ſit diligendus; qua mente, quo corde, quibus viribus amandus Deus ſit, noſcunt omnes, licet non omnes exequantur; qua verò ratione diligendus proximus ſit, norunt pauci, ne dicam neſciunt vniuerſi, cũ corrigendi praxis, in qua verà firmatur dilectio, iam ferè noſtris exoluerit temporibus, vnde ſæculum tot vitijs plenum; ſi cui tamen ineſt fraternæ correctionis zelus, methodum, qualis ſit, ex Hipp. diſcat, & commento.

Proximum diligere, & corrigere opus vnum ſunt per ſe conuertibile, qui fratrem corripit, diligit, & qui diligit, corripiet: vnde mutua ſe fouent opera ad ſalutem correctio, & dilectio. Proximi dilectio geminos habet & ipſa, quibus adnitatur cardines, vt notum ſingulis, eà nimirum proximo reddere, quæ tibi facta velles, vel optata, & è contra; nec ea meditari, nec in fratrem operari, quæ tibi facta nolles, vel deſiderata: hi ſunt gemini fraternæ dilectionis genuini characteres, quos implet in Legis complementum fraterna correctio; qua lance probanda dilectio, docet Auguſtinus inquiens, *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*. Operibus igitur vniuerſis in claſſem reuocatis, quæ poſſunt in fraternæ dilectionis teſtimonium proferri, & exerceri, nullum ſanè Deo acceptius, nullum ſanctius, nullum fraterna correctione mundo vtilius poteſt pro-

produci; enimuerò ecquid Deo gratius offerri poteſt ſacrificium, quàm præſtantiſſimum inter opera manuum ſuarum, tot dotibus inſignitum, & proprio redemptum ſanguine, ſui ſimulacrum: animam ſcilicet ab hoſtili rabie corrigendo vindicare? quid mundo? quid homini vtilius? quàm deficiēte correctionis præſidio tabeſcentem animam, & amicas eſurientem voces alere: zelantique præcauere conſilio? Correctionis eſca non minùs animę delinquenti neceſſaria ad vitam æternam, quàm ſit ad temporalem corpori eſurienti materiale alimentum: tantæ præſtantiæ, tantæque neceſſitatis corruptis mortalium moribus reparandis correctionis remedium, vt iam dudum per Prophetas miniſtrandum præceperit Omnipotens, per Apoſtolos mundo vniuerſo diſtribuendum mandauerit Chriſtus, & per ſacros Oratores, ac Confeſſarios diſpenſandum continuò ſancta curet Eccleſia. Vt autem pateat latiùs, & de proximi correctione lex quædam conſtet, & obligatio, audiat quilibet ex Ioann. cap. 21. quàm ſtudiosè ter rogatus Petrus à Domino, an ipſum reuera diligeret, quomodo? reſpondenti Petro, *Scis Domine, quia amo te*, ſubdidit ei Dominus ter iterata commendatione, vel mauis præcepto ter indicto: *Paſce oues meas*, quaſi dixerit, vt effatum credo, ſit iſte, ò Petre, character amoris erga me tui, nec alterum quæro, ſi me diligis, vt annuis, niſi vt paſcas oues meas, paſcas ſcilicet non modò Fide, & Sacramentis foueas, & commiſſum tibi gregem omni legis alimento mihi vegetum conſerues, ſed errantes potiſſimùm oues eſca correctionis nutrias, & ad ouile meum omni ſolertia reducas, tanti enim pendo proximi correctionem, quanti totam tui erga me dilectionem. Senſus hic Dominico reſponſo conſonus fuiſſe videtur, nec aliud ſtrictius Petro Chriſtum commendaſſe putandum, dum ter præcepit vt agnos paſceret ſuos, niſi ſedulam errantis proximi correctionem. Vnde liquet, ſi non poſitiuum, poſitiuo ſaltem præcepto finitimum eſſe correctionis munus.

Proximus igitur, & frater cum deliquerit corripiendus, qui enim corrigere negliget, cum valuerit, neque Deum, neque fratrem, nec ſeipſum diligit: ſeipſum inquam non diligit, quòd fratris delicta non correcta tranſeant in propria, vt ait Seneca in Prou. *Amici vitia ſi non corrigis, facis tua.*

Ne igitur præter tuam, de proximi etiam neglecta correctione reddenda ſit ratio, te ipſum corrige primùm, ne redarguaris à correcto, mox pro viribus proximum, pro viribus dico, cùm non omnibus animus, & robur ad tam piam ſuppetat functionem, vel quòd frigeat zelus, vel deficiat auctoritas ad corrigendum. Quamobrem in proximi correctione, ne diſtorti ſuccedant euentus, & corrigentis, & corrigendi ſpectanda conditio, & ordine ſeruato par inuehet in parem, ſuperior arguet inferiorem, nec audebit inferior os ponere in Cęlum, & corrigere ſuperiorem.

Largiturus correctionis alimentum tali præpares, & concinnes ſuauitate ſermonis, vt corrigendi fratris aures non faſtidiant, attrahantur placidè, & maturo digeſta iudicio correctio proficiat: proderit autem, ſi delinquentis genio potitus corrector eam animi partem aggredieris, per quam facilis magis putabitur correctionis acceſſus ad mentem: proderit etiam, ſi damna, quæ ex criminis exceſſu ſuperſtant, aut acciderint, aperiantur ſingula, vt imminens non ſuccedat, & iam lapſum non repetat. diſcrimen; corriges autem non palam, ſed inter te, & ipſum delinquentem ſolum, ſi enim te audierit, & benè ad oblata correctionis alimenta ſe habuerit, bonum, inquit Hipp. in aphor. 33. ſect. 2. de cibis loquens, & pharmacis ab ægrotante ſine faſtidio ſumptis; bonum, confirmat Deus, per Matth. 18. de correctionis eſca, & pharmacis à proximo ſine tædio aſſumptis, bonum equidem, repetit Euangeliſta, lucratus enim eris fratrem tuum; ſi autem te non audierit, ſpectandum monet Hipp. *an bis, plus, minùſue, minutatim, aut particulatim* offerendus ſit correctionis cibus, coniectari videlicet debet priùs omnis corrector, quid ex prima emanauerit correctionis forma; etenim ſi perexigua, vel nulla ſpes affulſerit emendationis, bis, & ter aggredi proximum expediet, & prout refractarius fratris genius plus, minùſue ſpondere videbitur emolumenti, plus etiam, & minùs correctione increpandus, cum non omnis Peccatorum conuerſio ex vnica prodierit acriter etiam, & affatim facta correctione, ſed alios legimus ſemel ex prima, & blanda, alios ex vehementi, nonnullos pluribus, alios repentinis hortationibus commotos ceſſiſſe tandem corripienti: vnde conſtat plurima eum, qui corrigendi munus ſuſcipit, conſtare dexteritate oportere, quod annuere videtur Hipp.

dum

dum concludit *conſuetudini, regioni, tempori, & ætati aliquid condonandum*.

Conſuetudini quidquam tribuendum conſulit Hipp. dixerim ego plurimum, ne dicam totum in correctione, cum laborioſa ſit valde antiquati vitij correctio, & tunc definat eſſe correctioni locus; ait Seneca, vbi quæ fuerunt vitia mores fiunt, qui cum natura inuiſcerati, ſi debent in contrariam flecti, non ſemel, ſed bis, ter, & pluries multùm, & breuioribus interualis exibendus correctionis cibus: hi ſunt, de quibus ait Paulus *Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*, quouſque vires animæ in ſua eſſentia debiles correctionis frequentia reſtituantur: condonandum inſuper, ſi nempè ſe ſubitò non committant, & correctori non pareant delinquentes: tribuendum denique quidquam conſuetudini, cum vitia quædam ſint, quæ minùs reprehenſibilia, aut ſaltem minùs criminoſa reddit conſuetudo; vt bacchanales licentiæ, & culpabiles aliæ quamplures.

Regioni quidquam condonandum ſubdit Hipp. & conſultò, cum *regioni* cuilibet delicta quædam vernacula ſint, quæ correctionem ferè exigunt, vt in Gallica, & Pedemontana, vbi crimini non adſcribitur, ſi mulieres, & matronę pectore, mammillis, & ſcapulis veſtiuntur, & verſantur ferè denudatis, quod in alijs Italiæ locis, & Vrbibus eſſet corrigendum, ne dicam plectendum: corrigitur è contra in noſtra regione libera nimis ebrietas, quæ tamen in Germania, & Belgio diſcumbentium ſocoſitati tribuitur, & ſtrenuitati. Prolixior eſſem nimis, ſi quod cuique regioni condonandum in claſſem reuocare vellem, ſat ſcire ſit, quòd ſicuti victus non omnibus idem regionibus, ſed ſubſtantia, vel præparatione cuique analogus, & diuerſus, ſic neque idem correctionis cibus culpis omnibus in omni debetur regione.

Tempori aliquid vlteriùs condonandum hortari ſequitur Hipp. nec immeritò: temporis etenim opportunitas in nutriendo ea eſt, quam accuratè adeò commendauit hactenus Hipp. vt ferè totam alimenti vtilitatem tribuere videatur opportunitati. Solertia non minori opus eſt in miniſtrando correctionis cibo. Tempus verò (vt iam prętactum) correctionis accommodum erit, cum non furit paſſio, ſed pacata criminis ſæuitie, tunc corripiendus proximus eſt,

ſi cotrectionis fructus deſideratur, res aliter verget in deterius: ſic Abigail virum ſuum Nabal in conuiuio non arguit, ſed poſt.1. Reg. cap.25.

Ætati tandem *quidquam condonandum*, concludit Hipp. cum aliæ alijs ſint vegetiores plus, & minùs alimenti ferentes; ſenibus exiguus ineſt calor, pauca digerunt, multus iuuenibus, qui multum perferunt: ſic correctionis cibus ſenibus ſemel, vel bis placidè datus ſufficiet, multus, & pluries iuuenibus acerrimè miniſtratus, quorum tamen efferueſcentię aliquid condonandum, vt Iuriſtas in foro condonare, vel moderari pęnas videmus iunioribus: vnde mites ſenibus, prudentibus potiſſimùm, ſi quando fluxiles, & lubrici, conueniunt correctiones, iuuenibus verò rudiores, cum non reclament vires, in pueris verò non omnes corrigendæ ſunt ineptiæ. Quod ſi adhibito zelo, ſtudio, Charitate, & indulgentia, regioni, conſuetudini, tempori, & ætati laxata, rebellis nihilominus, & incorrectus perſtiterit frater tuus, correctionem, vel te digniori commenda, vel Cęleſti committe omnium Correctori. Hic fortaſſe non verbis clam nutriet ad emendationem, ſed palam ſaturans opprobrijs corripiet ad exemplum, quam correctionem metuens Pſalmiſta ſupplex Dominum rogabat, his verbis, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Si ſemel admonitus non linquit crimina frater,
Officium repetas, ſicque lucratus eris.

APHO-

APHORISMVS XVIII. PRIMÆ SECT.

Cibos æſtate, & autumno difficillimè ferunt, hyeme facillimè, vere minùs.

EXPOSITIO MEDICA.

IN miniſtranda ſanis, & ægris victus materia, anni temporis habendam eſſe rationem paſſim declarauit Hipp. & nuper in antecedenti aphoriſmo quidquam tempori ſtatuit condonandum, at quia conciſa nimis fuerat ſententia, in præſenti rationem referens antecedentis, ſingulas recenſet anni tempeſtates, in quibus plus, minùſque victu grauari ſolent ægrotantes, *cibos* aſſerens *æſtate*, *& autumno difficillimè ferri*, *hyeme facillimè, vere minùs*. *Hyeme*, *& vere* natiui calidi vbertas faciliorem facit ciborum tolerantiam: *æſtate* autem, *& autumno* minùs facilem tum caloris imbecillitas, tum motus inæqualitas; etenim ſi contingat ægros æſtate nutrire poſt acuti morbi ſæuitiem, cum præ ambientis æſtu, & prægreſſa victus tenuitate calor innatus viſcerum, & totius effœtus fuerit, tunc egerrimè mutationem feret ventriculus: vnde vel mediocri onerabitur cibo, hicque vel in cruditates, vel in prauos migrabit humores, ſi potiſſimùm morbidi fermenti quidquam fuerat conceptum: autumno verò minùs ægrè ferent, magis tamen obruentur, quàm æſtate, propter tempeſtatis anomaliam, & variam ſpiritus, caloris, & humorum, non modò ſub ea tempeſtate, verum etiam eodem die factam, vel intus, vel extrà commotionem, ex qua ſequitur minùs perfecta ciborum elaboratio, & perturbata primæ, & ſecundæ regionis œconomia.

EXPO-

Exponuntur tempora ad ieiunium aptiora.

Corporalis ieiunij viribus, ieiunandi methodo, & menſura pluribus in aphoriſmis expoſita, decernendum ſupereſt inter anni tempora quodnam ſit ſacræ inędiæ magis conſentaneum, vt hoc neminem Deo ſacrare tædeat. Temporum alia alijs virtutibus aptiora, non omnia æquè ſingulis, omni licet tempore exercenda virtus ſit. Inter virtutes emicat ieiunium, quod faciliùs hac, quàm illa fertur tempeſtate, licet etiam ſub ſingulis congruum, quod annuere videtur Hipp. in præſenti aphoriſmo, dum *Cibos* inquit, *ætate*, & *autumno difficillimè ferunt*, *hyeme facillimè*, *vere minùs*; ex quo liquet ieiunium eo præſertim tempore magis commodum, quo faciliùs feruntur alimenta, hæc autem hyeme, & vere facillimè ferri pronunciat ex infallibili praxi Hipp. Ergo per hyemem, & ver ineunda faciliùs ieiunia, cum vêtres hiſce temporibus calidiores plus attrahant, meliùs concoquant, & ocyſſimè diſtribuant alimenta: hinc nonnulli temerè conſultum fuiſſe cenſent, cum Quadrageſimale ieiunium inter vtramque tempeſtatem, hiemem ſcilicet, & ver ineundum Sancta decreuit Eccleſia, ea freti ratione, (licet futili) quòd hyeme, & vere cum natura plus appetat, & digerat, cumpluribus fouenda ſit cibis: ex aduerſo contra naturam, & Deum decretum ſit indicto ieiunio, minùs dando, & ſubtrahendo, quod Deus ipſe conſeruandi creati amantiſſimus, in naturæ, & vitæ fulcimentum conſultiſſimè decreuit, ventres conſtituens ab origine mundi hyeme, & vere calidiores, vt ſub ea tempeſtate vberioribus fouerentur alimentis, vt hæc, & reliqua in operis manuum ſuarum præſtantiſſimi conſeruationem collimarent omnia. Pręceps hæc, & inconſulta ſententia, cum ſapiat hæreſim damnanda, & viribus refellenda totis, arguendique palam ſunt, qui temerè nimis audent os ponere in Cęlum, & Summos Pontifices perperam arguere, qui anniuerſariæ macerationis quadrageſimalia ſolemnia ver inter, & hyemem celebranda ſtatuerunt; enim verò, quæ ſanè temporis anni pars, tam ſalutari poterat animæ delinquentis remedio aptior accommodari, quàm ea tempeſtas ad crimina paratiſſima,

ver ſcilicet, & hyems ? in quibus (vt 15. oſtendimus commento) caro turpiùs luxurians, mundus doloſiùs alliciens, & Cacodęmon arctiùs obuallans, fortiori vix poſſunt telo confodi, & eneruari, quàm ſcuto, & armatura ieiunij; neque metuendum ex imperata abſtinentia naturæ excidium, cum pia Mater Eccleſia ieiunium decernat ſingulorum viribus reſpondens, neque cum tanto (vt falsò prædicant) obliget incommodo, quin immò corporis, & animæ conſulens ſalubritati, ieiunia bacchánales ſubſequi ſtatuit repletiones, crapulas, & conuiuia, vt quod vitioſa adiectione in Deum, & naturam fuerat delictum, virtuoſa detractione corrigeretur per, ſubſequens ieiunium; eſto quod calidum innatum tunc temporis vegetius ſit, & plurimo egeat alimento ob ventres hyeme, & vere calidiores, ergo ne deſtituentur pabulis? neutiquam. Reſpondes tamen non erunt gratæ, ſed rudiores æpulæ; fateor rudiores, pro paſtu tamen ſumentur ad ſatietatem: ęgrè, vel non digerentur ſubdis; mentiris, reſpondet Galen. in arte parua ſigna referens calidioris ventriculi, inter præcipua ſtatuens calidiores ventriculos rudiores, & duriores cibos faciliùs concoquere, & ſubigere, quàm coctu faciles; vnde ſi ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, cum plus reſiſtant facillimè quadrageſimalia ferent alimenta; hæc enim ſi fortè matutino obruent paſtu corriget veſpertini tenuitas, & ſequenti die mens ſacras expeditior ad operas, ciborum minùs obtenebrata vaporibus, promptiùs in Cœlos euolans meditatio, Deo fixiùs hærens, mundo minùs intenta ieiunij emolumenta perſentiet. Præterea ſi nulla interiecta inædię quiete, conſueta per hyemem viuendi libido, & vbertas opipara ad æſtatem vſque produceretur, refertiſſimo facto humorum cumulo fatiſcerent tandem ſub onere ambientis æſtu eneruatæ vires, ac febribus alijſque erumpentibus morbis exagitata correueret natura, quæ paucis contenta minùs foret tot morbis obnoxia, minùs conflictata nouis, & implicatis, ſi minùs implicatis tanta luxuria alimentis obruerentur mortales, quorum natura, cum ſummè langueat æſtate, & varijs motibus impellatur autumno, cibos idcircò difficillimè ferre pronunciat Hipp. quòd calor natiuus, & ſponte diffluens, & commotus minùs ſit ferendo: vnde tempus ieiunijs anniuerſarijs minùs aptabile æſtiuum ſtatuit Eccleſia, & autumnale; hinc à mandato

ieiunio ſolutos cenſuit omnes, quibus ex natura, vel caloris inopia, vt ſenibus, & valetudinarijs, vel quibus ars pluri-mum abſumit, vt in foſſoribus, meſſoribus, baiulis, & reliqua ope-rariorum turba, qui reuera in ſudore vultus viuunt, in his enim in-dulgens Eccleſia naturam debitis non ſinit ieiunio fomitibus defrau-dari; indulget pueris, & his, qui creſcunt, vt ad debitam augeri poſſint dimenſionem; indulget vtero gerentibus Eccleſia, vt his ſuppetat, & fetibus alimentum; indulget denique vniuerſis legitimè impeditis dulcis, atque humaniſſima Mater Fideles ſuos nu-triens, & ſuaui regens indulgentia. Quid ergo mordicus inuehis, quiſquis ſis? quid blaſphemus profers contra Deum, & naturam conſultum fuiſſe, quando vernos inter, & hybernos dies fuit inſti-tutum Quadrageſimale ieiunium? Sile Nequam, & da Deo gloriam, repende grates, quod Sancto afflante Spiritu, per Summos Pontifi-ces nos Deus imitari præceperit, quod ipſe in mundo conuerſatus exercere voluit ad exemplum. *Exemplum enim dedi vobis, vt quem-admodum ego feci: ita, & vos faciatis*, ait diſcipulis ſuis cœna facta Re-demptor: Sanctum ſectari docuit Apoſtolos ieiunij exemplum, do-cuit & ſuos Pontifices, edocti ſumus, & vrgemur nos per ipſos, ſanctum percurrentes ad Chriſti imitationem ieiunium. Hoc igitur hilari ſeruemus animo, corpora noſtra ſancta domantes maceratio-ne, nec caro, mundus, & infernus nos corrumpant. Vlteriùs ieiunij methodum ex Pſalmiſta Regio eruamus, qui ne caro corrumperet iterum infirmare didicit ieiunio ad genuum vſque imbecillitatem, vt confeſſus eſt pſal.108. inquiens, *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio*; ne ſæculi gloria inflaret impoſterum, mentis elationem, ſi quæ ſub-orta, humiliaſſe fatetur ieiunio pſ.34. his verbis *Humiliabam in ieiu-nio animam meam*: & ne Dæmon tandem deinceps aggrederetur, & inuaderet ſpiritum obuallaſſe, & animâ cooperuiſſe abſtinentia pro-nunciauit pſal.68. *Operui in ieiunio animam meam*. Regis ad exemplum nemo renuat, ſtudeant omnes, quibus robur ineſt, languentes ani-mas refouere ieiunio, nec helluo morbum ſimulet, vt abſtinen-tiam fugiat, etenim ſi Medicum decipiet, decipietur & ipſe, nec Dominum decipiet, qui ſecundùm opera retribuet; neque Medici tam liberè indulgeant in quantitate, qualitate, & tempore, leuiſſima de cauſa alimenta laxando, vt rogantium genijs arrideant, ne ſe ip-

ſos

ſos culpis onerant, & illos, ſed quiſque pro viribus, & conſcientia ſibi conſulat;& reliquis, & qui formidat ieiunium tanquam naturę, & ætatis edaciſſimum monſtrum innumera percurrat pœnitentium exempla, qui ſolo radicum ſilueſtrium comparato obſonio nutriti, toto vitæ ſpatio iugi ſe macerantes ieiunio, ad longæuam vixerunt ſenectam; & diſcat naturam paucis, conſuetis, & analogis alimentis contentam recreari magis abſtinentia, quàm conſueto, & vitioſo noſtri ſæculi menſarum luxu.

DISTICHON APHORISTICVM.

Exercenda licet quouis ſit tempore virtus;
Aptius hoc illo ſingula tempus habet.



Quibus per ſtatos circuitus acceſſiones fiunt, nihil dare, nec cogere, ſed adimere oportet adiectioni ante iudicationem.

EXPOSITIO MEDICA.

QVamuis aphor. hic vndecimi ſenſum reſonare videatur, diuerſo tamen gaudet. Fuit ille particularibus febrium intermittentium acceſſionibus ferè totus addictus, hic autem continuarum vniuerſalibus. Vnde in proximis vniuerſalibus, qui per circuitus fiunt vniuerſales, vt per quaternarios, aut ſeptenarios, aut iudicatorios alios, iuxta cuiuſlibet ideam vniuerſalem breuiorem, aut diuturniorem, nihil ante iudicationem dandum, ſed cibus prope ipſam ſubtrahendus, inſtante ſcilicet tempore motus, & naturæ, & materiæ, qui ſolet in periodos cadere vniuerſales, in quibus minùs dandum, ne pluries recenſita ſuccedant incommoda in corruptione cibi propter naturalis, & vitalis œconomiæ turbationem, tum etiam ne colluctans natura cum morbo à pepaſmo reuocetur ad pepſim. Cum itaque conflictata magis natura premitur à morbo, nec appetentibus quidquam dabitur ante criſim, ſi fortè fuerit imminens, nec cogere tunc temporis expediet cibum auerſantes, ſed rem pro tempore naturæ committere expeditiori.

EXPOSITIO MORALIS.

Quomodo Iudices, & litigantes ſe gerere debeant coram Deo, & hominibus.

MEdicis correctis erroribus in antecedenti proxima expoſitione tranſeat in preſenti correctio ad eos, qui contingere poſſunt apud Iuriſtas. Plurimam cum Iuriſtis Medicum affinitatem habere teſtatur & Galen. 3. de criſibus cap. 2. & euidentia ſat apertè declarat. Vtraque facultas ſignificatiuos ſibi

mutuò

mutuò terminos accommodat, & explicandi modos: mutuatis à Medicina terminis ſuas inſtituit Iuriſta purgationes in iuramentis, purificationes in conditionibus, reſciſſiones in contractibus, pulſationes in citationibus, ordinationes in cauſis, compoſitiones in animis, indicationes ad torturam, ligaturas habet, & machinas, & plura alia tormenta ex Medico deprompta dictionario. Suos & Iuriſtæ Medicinæ mutuantur dicendi terminos, forum ſcilicet in corpore, diſſenſiones, & lites in morbis, comparitiones in ſymptomatis, productiones in cauſis, dies decretales in acutis, Iudices in naturis, iudicia in prognoſticis, iudicationes in criſibus, vt preſens annuere videtur aphor. & teſtarentur quamplures, ſi foret inſtitutum recenſere ſingulos, qui facultatis vtriuſque mutuas exprimunt ſignificationes, quibus ommiſſis, ne recedamus ab aſſumpto, ſat ſit, vt Iuriſtæ, & Iudices potiſſimùm, quibus totus hic aphor. dicatus eſt, dimiſſo tantiſper foro veniant in Medicinæ campum ipſimet moralem cum medica concordantes expoſitionem; inquit enim Hippocr. *Quibus acceſsiones fiunt per circuitus nihil dare, nec cogere, ſed adiectioni ſubtrahendum ante iudicationem*. Aurea ſanè Hipp. ſententia, ſed non aureus ex hac Iuriſtis prouentus: diluamus aphor. particulas, & ſpectemus in primis, qui ſint, *quibus acceſsiones fiunt per circuitus* mox quid *nihil dare* ſonet *nec cogere*, *ſed adimere ante iudicationem*.

Quibus acceſsiones fiunt per circuitus omnibus in claſſem reuocatis, nullis aptiùs, quàm Iudicibus conferre iudico; hi ſiquidem ſunt, ad quos frequentes fiunt altercantium, ac litigantium *per circuitum acceſsiones*, per dies ſcilicet certos iudiciales comparendo, & per decreta tempora periodicè recurrendo, prout ſtatuunt Iuris regulæ, quibus temporibus cum matura putatur cauſa, vel aliquid expetit decernendum, Iudices ad iudicandum mouentur, non ſecus ac per circuitus ſuos, & decretorios dies, vbi concocta morbi cauſa mouetur ad iudicationes natura. Ad Iudices igitur, velint, nolint, periodicè accedere, & comparere coguntur litigio decertantes. Audiamus nunc ex Hipp. quomodo Iudices, & quicunque acceſſerint ad eos in regenda, & roganda iuſtitia ſe gerere debeant coram Deo, & hominibus, vt plauſibiles vtriſque promant actiones. Methodum breuibus exponit Hipp. litigantium turbæ primò, mox Iu-

dicum claſſibus. Iurgantes primò conſulit Auctor nihil dare Iudicibus, nec ipſos cogere ad accipiendum, ſed ſi quis quidquam obtulerit preter conſuetum ante iudicationem, omne quod adijcietur ſit ſubtrahendum, & increpandus oblator, quòd muneribus auferit tentare Iudicis integritatem. Nihil igitur Iudici dare, nec cogere vt accipiat ante iudicationem methodus eſt, & Deo, & hominibus acceptabilior, & iucundior: *Nihil*, ideſt nec munera, nec aliam quamlibet commodi ſpem preter facultati debitam Iudici dandam monet Magnus Senex, ratus fortaſſe, quod munera, vt inquit Ambroſ. in ep. ad. p. Corinth. *Excæcant oculos Iudicum, & vim authoritatis inclinant*. Ne igitur, & Iudices, & iurgantes ex datis, & acceptis donis mutuo corrumpantur delicto, munera ſciant ſinguli ſub triplici ſpecie preſentari, vt Iſidor. lib. pri. de ſummo bono protulit, ſic effatus: *Tres ſunt munerum acceptiones; quibus contra Iuſtitiam humana militat vanitas, & malitia; nempe fauor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris*. Species renuere ſingulas Iudex tenetur, & litigans, nullas iurgans ſtudeat offerre Iudici, nullas geſtiat Iudex oblatas accipere, ne redarguat Regius Propheta pſal. 25. Iudices damnans: *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus*, atra ſcilicet iniquitatis, qua repleta primò manus dantis, qui ideo largitur, quia ſpe nutritur animus, muneris linimento frangédam Iudicis integritatem, de cuius corruptela, ſi fortè ſequetur; conſcius oblator muneris eademmet à Deo plectetur pena, quam deprauatus Iudex ſubibit, ea ſcilicet ſupplicia, quæ Iob ipſe ſpondet his verbis. *Tranſibunt iniquitates in pœnam, & munera in dolorem, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Nec deſunt auctoritates, & exempla, quibus ſcatet ſcriptura, in filijs Heli Iſraelis Iudicibus: in Gieſi, & alijs munere corruptis, qui varias penas ſuſtinuere, quos omnes nimis moleſtum foret recenſere: ſat ſit in preſenti Hipp. exequi conſilium, *nihil* Iudicibus *dare*, *nec* ipſos, ſi fortè dona renuerint, *cogere* vt accipiant *ante iudicationem*; licet poſtremam hanc reticere potuiſſet Hipp. animaduerſionem: dierum enim noſtrorum integritatem lędit, qui perſpicaciſſima Iudicum ingenia, non minùs amica ęquitatis, quàm inimica donorum calumniari audet; ſed quia fieri poteſt, vt quidam ex ipſis, vel inito pacto, vel tacitis ſignis ad munęra compellant accedentes,

dentes, quò fit, vt proprij muneris obliti, oblato, vel exacto muneri, pluſquam iuris recognitioni incumbentes diſcrimina ſubeunt non diſſimilia ab his, quibus obnoxia natura eſt, cum magno, & ancipiti morbo conflictata, tota in materiæ digeſtione incumbens, intempeſtiuo alimento diſtrahitur, & ad cibi coctionem conuerſa, morbum finit, vel acriùs proteruire, vel longiùs diſcurrere, vel quod ſępe fit, lethali terminò finiri. Non impari diſcrimine periclitatur Iudex in ancipitis cauſæ digeſtionem incumbens, ſi intempeſtiuo munere aletur, vocabitur à digeſtis iuris ad digeſtionem muneris, & ſic vel lites ſinet acriùs exardeſcere, vel longiùs produci, vel tandem, quod fit non raro, malè proferens rem ſinet iniquo fine terminari. *Nihil* igitur, repetam Iudici dandum *ante iudicationem*, nec cogendus eſt ad munera, ſed *adiectioni* ſubtrahere oportet, inquit Hipp. ſubtrahenda nimirum ſunt munera; non modò de manu largitoris, ſed de Iudicis dextera, & expectatione, vt dictum. Quin immò à Dynaſtis, & Magnatibus ſubtrahendus donandi mos eſſet, & omni niſu, ſi quibus genius erit, & conſuetudo capiendi, vt quidquam (pręter emolumenta aliqua de more offerenda) accipiant ante prolatam ſententiam, ne muneris vinculo vinciatur Iudicis auctoritas, vincatur integritas, & tandem vincat iniquitas; ſic benè priuato conſultum foret, & publico bono, nec oblatio muneris tinea eſſet regiminis, vt inquit Caſſiod. in epiſt.

Audio tamen Iudices pleroſque de ſententia Hipp. quęrulos, & malè ſentientes, quòd nimis ante latam ditandi viam pręcludat; inquiunt, ſi *nihil ante iudicationem* mos ingruit eſſe dandum, de duobus fontibus vno exſiccato minùs etiam dabitur lucrandi commodum, & ita non ditabimur. Fateor equidem, minus eritis in hoc ſęculo diuites, at opulentiores Deo ſpondet Luc. 12. his verbis. *Qui ſibi theſaurizat, non eſt in Deum diues.* Quid proderit opibus ditari terrenis ò Iudices, & ſanctis inopes operibus, manibus vacuis ante Supremum Iudicem pręſentari? Date fidem, ſi libet, nec tędeat Hipp. conſilium experiri, nihil accipite, nec cogite, ne vos perdat habendi libido, ſed ſubtrahite vos à muneribus *ante iudicationem*, & ſi quis dona vobis obtulerit, indignantes reſpondete, quod Alexander Macedo Legatis ab vrbe quadam ad eum miſſis, maxima parte agrorum, & rerum omnium dimidium eorum offerentibus, vt pa-

ccm

cem ſuis in finibus non turbaret, reſpondit, vt refert Plutarcus: hoc animo veni in Aſiam, vt non acciperem, quod dediſſetis, ſed vt vos haberetis, quod vobis dediſſem: ſimili expange reſponſo; Iudex, muneris oblatorem, & dic: eo animo in hanc veni dignitatem, & auctoramentum, vt quod offerres non acciperem, ſed vt haberes, quod poſt iudicationem darem, iuſtum nempe iudicium, æquam prolatam ſententiam: Hac enim methodo neque te, neque vniuerſos ad Iuſtitiam accedentes in æternæ damnationis diſcrimina conijcies, ſed omnes iuſti Iudicis partes implebis, iudicando, non vi muneris accepti, neque ſpe futuri, non amore, aut odio, non ira, aut dolore, vel lętitia, non timore, aut aliqua mentis motione; ſed in veritate, aut pręſcripta Iudicis formula, aut iuris norma, aut legibus innixus, & eruditus, diues ante Deum perenni locupletaberis gloria, hilaris cum Pſalm. 118. dicens. *Feci iudicium, & iuſtitiam.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Munera ſi capiet Iudex, in tartara iniquus
Qui dat, qui recipit, captus vterque cadet.



APHO-

APHORISMVS XX. PRIMÆ SECT.

Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque aliud quidquam nouare, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, ſed ſinere oportet.

EXPOSITIO MEDICA.

ADiectio, & detractio eſt Medicinæ definitio ex Hippocr. Adiectionis hucuſque legibus omni ſtudio in victus ratione decretis, methodum aggrediens detractionis, cum hęc vel ſponte natura duce fiat, vel arte conſulta, de ſpotanea detractione verba faciens Author in prę́ſenti, de ea potiſſimùm, quæ in morbis perfecta completur criſi, nihil in hac moliendum conſulit, dum partes omnes integræ iudicationis exęquat, & abſoluit inquiens: *Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, ſed ſinere*, & ſpectare primò dum iudicatur morbus, ſi ex antecedentibus, & concomitantibus ſignis ſpes erit futuram integram criſim; ſi nempe morbus quiſque peculari ſoluatur iudicatione, ſi fuerit indicata, in diem incidat decretorium, & cum leuamine naturæ, ſi inquam ſigna vniuerſa adeo vniuoca collimant ad fidam, & perfectam criſim, vt nihil ad abſolutam eius integritatem deſideretur ex parte morbi, ita vt euictus integrè fuerit, nec quidquam de recrudeſcentia metuendũ, & ex parte naturæ, ſi ſubleuata adeo fuerit, vt nullis ampliùs ſe lęſam cauſis proferat, & ſymptomatis, actionibus omnibus naturalibus, vitalibus, ac animalibus ab omni labe vindicatis, vel in priſtinum ſaltem, vt ante morbum, reſtitutis, tunc nihil prorſus mouendum, neque nouandum aliquid, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, ne ſalutarem naturæ motum prępediamus, vel plus iuſto ſollicitemus irritamentis, ſed tota in opere ſuo abſoluendo intenta natura ſinenda eſt, quouſque compleuerit, & completo nullis tentanda prę́ſidijs, ſed reſumptiua dięta recolligendæ ſunt vires, vt quantocyùs æger conualeſcat.

EXPO-

De Diuinis Iudicijs.

Aliqua diximus in antecedenti commento de Iudice humano, nunc declinato humano foro aſcendere liceat ad Diuinum, cuius ab æquiſſimo, ac imperſcrutabili Iudicio, quæ iudicantur, ac iudicata ſunt; vniuerſa quomodolibet iudicentur, integrè ſemper iudicata, immota permanent in æternum. Iudicant humani Iudices, ſed terrena, & quaſi per caliginem, vt Iob, ait cap. 22. & ſecundùm faciem vt Ioan. cap. 8. vnde veritatem per denſam humanæ ſapientiæ (quæ inſcita eſt apud Deum) caliginem perſcrutantes, quid mirum ſi tot mutationibus obnoxia mortalium iudicia ſunt! in his etiam, quæ penes iuſta Iudicum tribunalia integrè iudicata putantur, in quibus vel per noua ſępe conſilia motos è prima ſententia Iudices, vel innouata ad vberiores notitias iudicia, vel Iudices ipſos propria aliqua paſſione, ira, fauore, amore, vel odio dementatos, vel munerum irritamentis corruptos ſępe ſępiùs vertumnali in iudicijs varietate mutari vt Quintilian. declam. 19. Iudices alloquebatur, his verbis, *Multùm me, vel vos fallit opinio, Iudices, ſi vllam cauſam ita euidenter in forum ferri poſſe putatis, cui nulla mendacij velamenta contingant.* At ſupremi Iudicis iudicia vera iuſtificata in ſemetipſa nullas ſubeunt nec mendacij, neque mutationis notas: *Quoniam ego ſum Deus*, inquit, *Omnipotens*, per Malach. 3. *& non mutor*; neque per caliginem, & ſecundùm faciem iudicat, ſed lux vera per Ioan. & ſcrutator cordium Deus intima peruadit. *Penetrabilior omni gladio ancipiti*, vt inquit Paulus ad Hebr. 4. *Et pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem aperta, & nuda ſunt oculis eius.* Hęc Paulus. Deus igitur Legiſlator, & Iudex ſolus integrè iudicans, & mortales, & mortalium quemlibet. Vnde quæ ab ipſo iudicantur, & iudicata ſunt, integro ſemper iudicio decreta putanda, & credenda ſunt, non modò in mundi, & viuentium omnium regimine, verum etiam in extremo viuorum, & mortuorum Iudicio, quando, vt inquit Aug. de Ciuit. Dei, *Manife-*

ſtus veniet inter iuſtos iuſtè iudicaturus, qui occultus venerat ab iniuſtis iniuſtè iudicandus. Tunc enim quæ iudicabuntur,integrè eruntperpetuò iudicata, & ex Hippoc. conſilio neque mouere, neque nouare, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, ſed ſinere, velint,nolint, oportebit: & quemadmodum Medicus, dum natura ritè molitur criſim, & integrè iudicauit morbum, nihil mouere, ſed ſpectator ſolus eſſe debet ipſius benè operantis, ſic Diuina natura integrè iudicans in illo die mortalium morbos, & vitia, nihil dabit iudicandis reis poſſe mouere, ſed contremiſcentes ſpectatores totum iudicationis opus ſinent à Iudice abſolui; vt & totum Medicus naturæ ritè iudicanti committit curationis negotium: in illo die nihil mouere poſſe Mariæ, & Sanctorum patrocinio ſperandum, nihil nouare proderit excuſationum argumentis, neque penitentiæ medicamentis, neque munerum illecebris, cum *Non ſuſcipiet Dominus pro redemptione dona plurima* vt Prouerb. 6. *& argentum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini*, vt Ezechlis 7. ſed ſinere oportebit; quia nulla dabitur propitiatio, niſi quam ſpondet Eccleſiaſt. 18. his notis: *Ante iudicium para tibi iuſtitiam, & inuenies in conſpectu Dei propitiationem*; preter hanc, alteram non inuenies, quòd tum via precludetur tota clementiæ, vt Aug. lib. 3. de ſymbolo ſic effatur: *Ille Iudex nec gratia præuenitur, nec miſericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec ſatisfactione, nec pœnitentia mitigatur.* Hoc cum corpus habet,anima agat penitentiam, quandiù locus eſt miſericordiæ, quia ibi locus erit iuſtitiæ, quæ numeris omnibus integra fiet ex parte Iudicis, qui iuſtus eſt, & rectum facit iudicium: pſal. 118. & ex parte iudicandi, qui iudicabitur integrè, cunctis ſcilicet exactis, & ad Anatomen diſcuſſis operibus, ſcrutabitur Dominus Ieruſalem in lucernis.

Quid igitur facietis, inquit Eſai. cap. 10. *in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis; ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram? Ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis.* Quid faciendum docet Aug. in lib. de vtil. ag. pen. hac aurea, & verè Angelica ſententia. *In tribunal mentis tuæ aſcende coram te, & reum te conſtituito ante te; noli ponere te poſt te, ne Deus ponat te ante te,* ne geſta ſcilicet, & patrata omnia ante te Iudex exponat integrè iudicaturus plectendo, plectere diſce tu, dum viuis penitendo, &

vitæ correctione, ac probitate propitium ſtude parare tibi Iudicem, vt cum Deum cognoueris iudicia facientem, & integrè fueris iudicatus, ſis cum benedictis electus, & tàm grandi liber diſcrimine totus hilaris cum Pſalmiſta 118. concinas Deo. *Amputaſti opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iucunda.*

Memor igitur perpetuò finalis eſto iudicij, ſi iucundum peroptas extremum, recogita, quòd ſemel in illa die iudicatus, in perpetuas æternitates eris integrè iudicatus, nec dabitur in iudicio quidquam poſſe ſperare, & mouere ſuffragijs; quoniam, *quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare oportet*, inquit Hipp. irrita ſignificans, & deſperanda quęque ſubſidia; hoc recordationis aculeo torpeſcentem excitabis animam, & tota demum Deo dicata cum Pſalmiſta tandem gaudebit pſallens, *Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum*. Hæc raptim de finali iudicio.

De Diuinis autem iudicijs penes Vniuerſi regimina, & creati totius directionem, quo minùs anxiè quis iudicauerit, minùs erit ſtrictè iudicatus. *Iudicia Dei abyſſus multa*, inquit pſal. 35. ne igitur abſorbearis non accedas, *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legislatoribus; quis poterit ſcrutari vias eius, aut quis audet ei dicere: operatus es iniquitatem?* Iob 36. Nullus equidem; nam quæ per ipſum iudicantur, & iudicata ſunt, integrè cogites vniuerſa iudicari: quamobrem neque mouere labia contra Prouidentiam, neque nouare contra decreta Dei; neque humanis ſuffragijs Diuina infringere ſtatuta, neque alijs terrenæ ſolertiæ irritamentis, quidquid à Cœlo iudicatum eſt, perturbare, ſed ſinere, quomodolibet contingant omnia, vt Diuina abſoluat Prouidentia, quod humana non potuit imbecillitas. An neſcit ipſe Deus, quid pro bono cuiuſlibet expediat experiri? Res fortaſſe malè non cedet, ſi genio non arriſerit, ſic in cęlis iudicatur æquum, quod temerè in terris putatur iniuſtum: Natos rapuit mors, ſors mala fortunæ bona, ſilium vocauit Religio, aduerſa contingunt omnia: ne te torqueas; hæc etenim vniuerſa iudicantur, & iudicata ſunt integrè ab eo, qui imperſcrutabili iudicio hunc humiliat, & hunc exaltat, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius, & inueſtigare ſemitas eius. Ne turberis igitur, quò plus enim irruunt aduerſa, tantò magis proſpera, & in domum tuam intraturam ſalutem ſperabis; ad hanc equidē

omnia

omnia collimant Redemptoris tui iudicia; ſiſte igitur te totum Deo & eius decretis, iudicia non ſcrutare dum viuis , deceſſurus futura recogita, & iudicia Dei viuus ita paueas , vt mortuus ab auditione mala non timeas .

DISTICHON APHORISTICVM.

Ne cures decreta Dei perquirere quæ ſint:
Sed quæ iam ſtatuit, iuſtificata putes.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia ducere conuenit.

EXPOSITIO MEDICA.

INtegrè per naturam iudicando, & iudicato morbo medicas adhibere manus prohibuit Hippocr. in antecedenti aphor. in prȩſenti verò ſi quando contigerit, vel non, vel tardè, vel languidè mouenti naturæ prȩſtare ſubſidium, & in complementum deficientis, vel non pro ratione prodeuntis euacuationis quidquam moliri, ſpectandam conſulit Hipp. naturæ inclinationem, quo ſcilicet vergere videbitur, & *per loca conferentia* mouere, & eò humores indicat eſſe ducendos. Congrua autem loca ex Anatome potiſſimùm diſces; & innoteſcent, ſi partium communicationes, productiones, & conſenſus callueris, & quos prȩſertim publicæ, & priuatæ corporis regiones peculiares habeant vacuationis modos, & vias, per quas altera in alteram ſequitur: hiſce perſpectis, cum vacuationem tentare conuenier, ducendi ſemper humores per loca lege naturæ magis conferentia, & quò potiſſimùm naturam ritè operantem ducere animaduertimus; & quamuis natura quandoque proſperè vias affectare viſa ſit inconſpicuas, & rationi minùs conſentaneas, vt pleuritidem indicans per aluum, tentanda ob id via non eſt, ſed peculiari, & conſueta vacuatione per loca conferentia educenda materia eſt per Anacatharſim, & per tracheam arteriam, regionem naturæ lege magis conferentem. Etenim ſi naturȩ inclinatio à debita deſciſcat via quid quid erit molitura, vel imperfecto ſuccedet opere, vel tardo, & minori cum ȩgri tolerantia: vnde à regione minùs commoda in aptiorem reclinandus erit naturæ motus, ſi conferentia non cenſeantur inſtitutæ vacuationis loca, minùſque conferens euacuatio.

EXPO-

De Angelorum cuſtodia.

QVidquid in ampliſſima hac mundi fabrica materiale condidit Omnipotens, id omne naturæ tradidit gubernio dirigendum, vt commiſſum ſibi corporeum, & corruptibile ſubiectum ad ſtatutam vſque metam integrum ſeruaret, & pro viribus tueretur incorruptum. Conditori ſuo obtemperans natura quanta ſolertia ſeruare nitatur, quibus neruis regere contendat ſuppoſitum, mirabiles indicant eiuſdem molitiones, & indefeſſi, ac regulati motus animantibus in vniuerſis, ſed præclariſſimè in homine creatura Dei prẹſtantiſſima, ſub cuius pedibus omnia ſubiecit Creator; in homine enim naturam ſpectamus, cum morbo prẹſertim turbatur eiuſdem œconomia, vires omnes intendentem, vt corpore ab omni diſcrimine vindicato proprio nupta compoſito diutiùs hẹreat, & nunquam deſerat niſi violento caſu abreptum, vel facto per ſenium diuortio dimiſſum.

Si de corporeo, ac corruptibili conſeruando tanta fuit Conditoris cura, vt vigilem cuique creato naturam dederit ad directionem, & cuſtodiam, quam quẹſo debuerat de incorruptibili, ac prẹſtantiſſimo creato conſeruando, de anima ſcilicet rationali curam gerere, cuius illa fuerat committenda regimini? non alteri profecto niſi naturæ, ſed tanto prẹſtantiori, quantò corpore prẹſtantior eſt anima; Hanc igitur incorruptibilem, & incorpoream incorporeæ pariter, & incorruptibili naturæ tradidit Archetipus Deus Angelis cuſtodiendam, vt pſal. 90. habetur *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Nobiliori, neque tutiori vix poterat Omnipotens animam munire cuſtodia, quàm Angelica peculiariter cuique commiſſa; dignitas equidem, cui nulla par: vt Hieron. ſupra Matth. 13. ſic effatur. *Magna dignitas fidelium animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodia ſui Angelum deputatum*. Quanta ſolertia, qua ſedulitate commiſſum munus expleant addictiſſimi Cuſtodes, qua fide nobis præſentes, ſat ſalutares indicant eorum vocationes, & conſilia; ſanctæ ſignant inſpirationes; & dictamina, ſecreta docent ſubſidia, quibus nos ab omni labe liberos ad interitum

vſque ſeruare nituntur, & ab omnibus aduerſis prætueri conten-dunt: fide adeo ſtabili addicti, vt nos nunquam viatores deſerant, ne comprehenſores amittant: ſi violenta Dęmonis nequitia de eorũ manibus extorquere tentat,pro nobis acriter pugnãt,ne rapiamur;& ſi rapi volumus, omne ſtudiũ impendunt, vt à peccatorum vinculis liberemur. *Simus igitur deuoti*,ait Bern. ſerm.12.in pſ.95:*Simus grati tãtis Cuſtodibus, redamemus eos quantùm poſſumus, quantùm debemus affectuo-sè ideo Angelos eius tanquam futuros aliquando cohæredes, eos verò inte-rim Actores, & Tutores, à Patre poſitos, & præpoſitos nobis; adhuc enim par-uuli quandiù viuimus, ſub tutoribus, & actoribus ſumus*. Grati igitur ſi-mus vocem eorum audientes, nec cõrda obdurantes; vt tanto di-gni patrocinio efficiamur. Audiamus Hipp. conſilium, & explea-mus intentum: inquit ipſe. *Quæ ducere oportet, quo maximè naturâ vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit*; quæ ducere oporteat, quò, & per quæ ducere conueniat, diſquirendum. Quæ ducere oportet hominem,dum viuit,geſta ſanè ſunt, ſermones, mentis om-nes conceptus, vitæ denique totius acta; Hæc viuentem ducere oportet; opera ſcilicet, & libera agendi, dicendi, & cogitandi po-tentia ducenda ſunt, quò potiſſimùm ſancta vergunt Angeli conſi-lia, & quò piæ vergit inſpirationis natura, nec aliò diuertenda ſunt inſpirata Cuſtodis incliti iudicia; ſed quidquid pius indidit eiuſdem genius *per loca conferentia* ducere conuenit, mediis ſcilicet, & locis vtendum eò rectà ferentibus: in inſpirati videlicet boni poſſeſſio-nem vijs omnibus per ſemitas iuſtitiæ in Cœlum tendentibus: per vias enim rectas iuſtum deduxit Dominus, & oſtendit illi Regnum Dei, iucundam itineris metam; ab hac igitur via ne prohibeas pe-des tuos, neque greſſus declines: indeclinabilis enim declinanti ſu-perſtat maledictio, quã ſpondet Dauid pſ. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Ne igitur tam grauem ſubeas iacturam,diſce quiſquis Fidelis es ſalutis amator pia audire fidelis Cuſtodis conſilia, indita ducere,quò tendunt, & inſpirata per loca exequi conferentia,audi, nec temne voces eius, repete, & recole, quantam tibi debeat hæc Angeli cuſtodia inferre reuerentiam pro pręſentia, afferre pro be-neuolentia deuotionem, & pro cuſtodia fiduciam; in quouis igitur diuerſorio, in quouis angulo, inquit Bern. in ſerm. 50. *Reuerentiam exhibe tuo Angelo, non audeas illo præſente, quod me vidente non auderes,*

adſunt

adſunt tibi non modò præſentes tecum; ſed etiam pro te adſunt, vt protegant, adſunt vt proſint. Protegent autem, & proderunt, ſi in his exercearis, quibus eos noſcis oblectari; hæc autem placent eis, quæ nos inuenire delectant; perpendas attentè, quas in hoc ſęculo vias percurras, latas ne, an anguſtas; lata via eſt, quæ ducit ad tartara, latam aperuit mundus in gloria, latiorem referat caro in luxuria, latiſſimam Satan pandit in omnibus. Vide tamen quò natura vergat, & quò tot oblectamenta colliment, ſi per loca ducant conferentia ad ſalutem; mundus allicit, vt decipiat. Arcta è contra via eſt, quæ ducit ad Cœlos, dilatat tamen eam Angelus, viam aperit & ipſe ad gloriam, ſed interminabilem, iter indicat ad delicias, ſed imperturbabiles, ſemitas edocet ad diuitias, ſed immarceſcibiles: Angelus ducit vt proficiat, conſulit vt perficiat, dirigit vt in æternum reficiat.

Poſitus in biuio latas inter, & arctas haſce vias, vide Mortalis per quas vitam ducere conueniet, quæ *loca* ſint ad ſalutem magis *conferentia* perpende, ſelige, & eò ſemitas inclina, quò natura vergit: ſcias tamen, quòd cum ea prona ſit ad malum, ſi temporalem viam pertriueris, & ſi quæ gaudia dum curris obuia delectabunt, conſumato curſu, ſempiternos in cruciatus ſingula tandem deſperato termino eſſe deſitura. Arctiorem, crede, ſelige ſalutis viam, & ſi quæ interobuiantis pœnitentiæ ſpinæ, & tribuli aſperum reddunt callem, viæ terminum ſcrutare, & amęniſſimos in Diuinitatis hortos deſiturum proſpicies, vbi Sanctorum Chorus in perpetuas floret æternitates. Age omni niſu, vt illuc te ducas. Delirum adeo te non puto vt miſera voluptuoſæ mundi viæ meta non proſpecta, in pręſentibus tantùm hæreas, & gaudeas ſęculi voluptatibus. Arctiorem, repeto, ingredere, ſi deuius es, ſalutis viam; inſpice frequenter in lætam viuentium patriam, illuc deduc, quæ ducere oportet: mentem ſcilicet, ſermonem, & opera dirigens, quò vergit, & inclinat Angeli adſtantis conſilium *per loca conferentia*, & ora perpetuò cum Pſalmiſta quod pſal. 5. 34. & alibi rogabat aſſiduè his notis. *Dirige in conſpectu tuo viam meam. Dirige me in ſemitam rectam. Dirige me in veritate tua.* Sic aſſiduè, & deuoto corde Cuſtodem tuum, Directorem tuum rogabis, cuius ſubſidio, veritate, & luce cęlitus

tus emiſſa in æterno pronunciabis cantico, Deo dicens. Ipſa Angeli conſilia me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quò bene fert genius, quò ducit & Aliger adſtans,
Corda, manus, mentem dirige iuſſa ſequens.



APHO-

APHORISMVS XXII. PRIMÆ SECT.

Concocta medicari, atque mouere non cruda, nec per initia morborum, niſi materia turgeat: plurima verò non turgent.

EXPOSITIO MEDICA.

QVando, quò, & quamobrem mouendum, cum vel nihil, vel ſegniter mouet natura, docuit Hipp. in proximo aphor. in præſenti verò ſumpta mouendi per purgationem potiſſimum indicatione, à motu, & quiete materiæ, & tempore morbi *concocta* pronunciat eſſe mouenda *non cruda, neque per morborum initia, niſi materia turgeat*, quod rarò fieri concludit. Aphoriſmus hic totus ad praxim pertinet, cuius ſenſus, vt latiùs pateat, cum quis purgandum decernit, in morbis ſpectare debet, qualis ideæ ſit tractandus, curanduſne morbus præceps ſit, vel patiens; cauſa eius, vel effera turgeat, & inſtabilis ſit, vel mitior, & ordinato feratur motu, ſi demum det inducias morbus, vel nullam patiatur moram; ſi morbus immanis adeo non eſt, nullo moueatur orgaſmo materia, & liberos ſinat medicos dies ad agendum integrè proſequi oportet Hipp. conſilium, & *concocta medicari*; cum ſcilicet materia mitificata, & fluxiliori, laxioribuſque factis vijs præparatio adeò patens erit ex parte vacuabilis humoris, & partium, per quas ferri debet noxius humor, vt nihil deſideretur; tunc humores non purgandi ante perfectam, manifeſtam, vel apparentem coctionem, eam ſcilicet, quam quilibet pro ſui natura ſubire poteſt humor, neque *cruda* mouenda ſunt, ſubdit Hipp. *neque per initia morborum*, in quibus pariter cruda ſunt omnia; quòd humores crudi rebelles tunc temporis ſint, & nondum à natura ſubacti, neque à purioribus ſecreti exagitandi non ſint; ne magis incandeſcant, & minùs ſequaces trahenti non cedant pharmaco, ac naturæ vires in ſubigendo importunè dato pharmaco eneruétur, quas conſeruare, vel ſaltem minùs atterere ſemper eſt animus, vt ad coctionem ſuccedant, quę cri-

ſim valeant ſufficere. Si tamen vehemens fuerit morbus, turgenſq; materia metuatur partem aliquam ex præcipuis inuaſura, tempuſq; non ſuppetat ad coctionem differenda purgatio non erit, ſed ſtatim medicari oportebit, etiamſi materia cruda ſit, vt qui violento motu errabnndi fluctuant huc, & illuc humores valida purgatione, quiqui ſint, deriuentur in aluum; licet hæc praxis raró vſu veniat.

EXPOSITIO MORALIS.

De præparatione ad Sacramentalem Confeſsionem.

CORporis purgationem, ſi dat morbus inducias, accurata præire debet, & humorum, & viarum præparatio; non diſſimilem exigit anima ſacramentali Confeſſione purganda, ſi dabitur mora. De neceſſaria igitur ad Confeſſionem præparatione dicamus, & quamuis de hac aliquid in ſecundo dictum ſit commento, vbi de Confeſſione egimus; cum tamen explanata non fuerint illic omnia, nonnulla nunc percurremus, quæ ſuggerit aphoriſmus hic additamenta, quibus abſolui poſſit ad vires præparationis ſermo. Quiſquis animam Confeſſione purgare decreuit antequam munus expleat Confeſſionis, exacta debet, ſi datur, ſe ipſum præparatione probare, vt inquit Paulus. *Probet autem ſe ipſum homo*. Præparatio autem, vt corporis, duplex etiam animæ exiſtit, humorum vna, & viarum altera: noxij humores Confeſſione purgandi, delicta ſunt, quæcunque patraueris; hæc enim ita debent præparari, vt ſingulis circumſtantijs memoriæ mandentur, & fluida excidant ſingula, vt nihil ex commiſſis omittatur, ne faciant recidiuam, nec aliter præparari debent, quàm natura ipſa humores præparans; hæc enim cum criſim molitura eſt per excretionem, humores impuros à puris ſecernit, mox vacuat noxios; ita quidem dum confiteri, & purgari decernis Pœnitentiæ pharmaco, ſecernes, & tu culpas omnes, & vitia à virtutibus ſeparata, mox Confeſſione vacuabis ſingula. Secernendi autem methodum ex ſecundo diſces commento, vbi reductiuos quoſdam memoriæ locos ad Confeſſionem ritè obeundam perutiles ex Hipp. mente deprompſimus. Si tamen præparationis vtilitas ex ſacris elicienda eſt, memorare

decem

decem virgines Euangelicas, & à quinque prudentibus diſce præparationis præſtantiam: ornauerunt illæ lampades ſuas, & quæ paratæ erant intrauerunt ad nuptias; ita tu cum ſacramentali Confeſſione cęleſtes affectas nuptias, & ſacrum Coniuium, ante Confeſſionem orna lampades tuas, (potentias ſcilicet tuas, vertit Hugo de clauſtro animæ,) quarum luce percurras, & ante actæ vitæ ſtatum perluſtres: tunc culpis omnibus in vnum collectis oſtende te Sacerdoti, & reuela Domino opera tua, & diriget cogitationes tuas, vt Prou. 13. hæc humorum, culparum nempe præparatio cenſenda. Neque ſat eſt crimina numerare, & parare ſingula, ſed vlteriùs ad ſecundam progredi conuenit præparationem, quam diximus eſſe viarum, præparatio autem viarum diſpoſitiones ſunt eſſentiales, quæ tanquam viæ rectæ, & tritæ ad perfectam ducunt Confeſſionem, ſine quibus hæc vel nulla, vel deficiens: & geminæ ſunt, dolor ſcilicet, & propoſitum, quæ ſemitas à cordis, & mentis organo directas habent ad ſalutis metam. Paratum igitur cor ſit, vt Dauidicum pſalm. 107. vbi; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, bonus Pſalmiſta ſpondebat geminata prece: dolenti igitur cordis pulſatione, & pectoris percuſſione Deum læſiſſe pœniteat, inde mens lachrymoſa criminum recordatione ſuggerat patrata, & ex ſingulis expoſitis ſtabili ſtatuat propoſito, nullis impoſterum daturam culpis conſenſum. Sic renouatus ſpiritu mentis, vt ſcripſit Paul. ad Hæbr. 4. congrua præmiſſa præparatione congeſta delicta, contritionis, vel atritionis lachrymis digeſta, ac macerata, tutò poteris ſecundùm mentem Hipp. concocta medicari non cruda; cum aliqua ſcilicet ex dictis deficiet præparatio, ſi dolor nempe nullus criminum, nullum emendationis propoſitum, & nulla ſcelerum Confeſſionem præceſſerit diſcuſſio; tunc cum crudus, ne dicam crudelis; exiſtat adhuc morboſus criminum apparatus, purgationi per Cōfeſſionem, minimè aptus, quòd ea potiſſimùm careat præparatione, quam perfecta poſtulat Confeſſio: vnde Medicus ſpiritualis, Confeſſarius ſcilicet non audire debet, neque Pœnitentię pharmaco flagitia purgare, niſi dolenti fletu fluidam parauerit delictorum ſarcinam. Hanc etiam ſubdit Hipp. non eſſe circa principia mouendam, quòd *cruda* pariter *per initia* fiūt adhuc omnia, cum videlicet inchoante, vel pruriente molli aliqua confitendi velleitate ſtatim

quis nulla præmiſſa præparatione Confeſſario ſe committit purgandum, vt fęminis euenit nó rarò, quæ domeſticis ſæpe iurgijs per horas excalefactæ, mox in Eccleſiam ſe conferentes, vix ſalutato Domino, ad ſacros accedunt Miniſtros, & cruda, quæque ſint ad manus crimina, nulla cogitata præparatione Confeſſario tribuunt purganda, neſcientes miſeræ, quanti momenti ſit tanta functio.

Concocta igitur medicari, atque mouere non cruda, neque per morborum initia, dicit Hipp. *niſi materia turgeat*, cum ſcilicet præ turgentia, & vrgentia peccati, vel occaſione confitendi plus, vel minùs moram patienti cogitur Confeſſarius eo meliori modo, quo poteſt audire peccata, vel interrogatione mouere, licet Confeſſioni maturè concocta non ſint, purgante tamen præcipiti eradicare delicta, quòd periculum ſit in mora, & hæc vix momenti patiatur, vt beato contigit Latroni in cruce pendenti cum Chriſto, ille præ temporis anguſtia breuiter facta, & raptim expoſita confeſſione, integrata tamen dolore, æternam rapere meruit indulgentiam, licet delicta recitata non fuerint ſeriatim: ita quidem dum quis violentæ, vel naturali morti iam proximus, ſi tempus non ſuppetat ad præparationem, ſat eſt, vt dolens exprimat quidquid habet in promptu criminoſum. Quod ſi loquela impeditus neſciet crimina ſacro explicare Miniſtro, ſufficiet, vt geſtis annuat, & animi dolorem ſignis proferat: valida enim in tantis anguſtijs quouis modo tentata criminum purgatio, & hæc eſt ea turgentia, in qua ſtatim per initia purgandum conſulit Hipp. quam etiam rarò contingere concludit, cum rarò caſus accidant violenti, vel non præuiſi, in quibus tam præceps, & repentina inuoluenda ſit Confeſſio. Conſtans igitur ſit Hipp. ſententia, cum dantur induciæ, nunquam ineundam per Confeſſionem, criminum purgationem, niſi concocta, ac digeſta Confeſſionis materia; debita ſcilicet præmiſſa præparatione culparum, & diſpoſitionis intrinſecę cordis, & mentis in dolorem, & emendationis propoſitum tendentis, & deſinentis, vt partes omnes integrę Confeſſionis iuxta carmen D. Thomę 4. ſent. diſtinct. 17. quęſt. 3. art. 4. quod ſic habet.

Quis, Quid, Vbi, Per quos, Quoties, Cur, Quomodo, Quando.

Quis Confeſſione purgandus? certè Peccator, cum Deus venerit non vocare iuſtos ſed peccatores. Luc 5.

Quid

Quid purgandum? Humor certè peccans, crimina ſcilicet ipſa, non futiles cantilenę, non aliena delicta.

Vbi purgandum. Vbique, inquit Apoſt. 17. Deus annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant per Confeſſionem.

Per quos? Crimina ſanè per Confeſſarios, & per Sacros Paſtores, vt per Medicos purgari debent ęgrotantes. Matth. 8. *Oſtende te Sacerdoti*.

Quoties? Toties quoties peccaueris, non ſemel, nec ſepties, ſed ſeptuagies ſepties ex Dei mandato, & reſponſo ad Petrum.

Cur? Ne ſalutem amittas animę ex criminum conſortio, vt pſal. 155. *longè à peccatoribus ſalus*, quam Confeſſione ſtudebis redimere, non ſecus, ac ęgrotantes corporis ſalutem ex purgatione materiali conſequuntur.

Quomodo? Cum debita, & accurata ad tantam purgationem pręparatione, quę conditio ad noſtrum ſpectat inſtitutum.

Quando denique Confeſſione purgandum? Statim inquit Matth. 4. loquens de ſequela Andreę, & Petri ad Dominum: *Statim relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Sic ſtatim relictis peccatis per Confeſſionem, Deum, cum diſcipulis, perenni ſequela non dimittes. Hac itaque pręparatione paratum cor tuum ſperare in Domino integrè poterit facta per Confeſſionem purgatione mundari.

DISTICHON APHORISTICVM.

Crimina non purges, niſi corde parata dolenti,
Cruda nec exagites, ni necis hora premat.

APHO-

Deiectiones non multitudine ſunt aſtimandæ, ſed ſi talia deÿciantur, qualia euacuari conuenit, & æger facilè tolerare poſſit; atque vbi ad animi vſque deliquium ducere conuenit, faciendum, ſi æger tolerare poſſit.

EXPOSITIO MEDICA.

QVuidquid vel ſpontè fluit è corpore, vel educitur arte, non quantùm fluat æſtimandum, ſed quale, quo prouentu, & qua fluxerit tolerantia ſpectandum: vacuationis, qualiſcunque ſit, vtilitatem non ex copia metimur, licet hæc exigentiæ debeat etiam pro ratione reſpondere, ſed magis ex qualitate vacuati, ſi nempe materia, quæ eſt in vitio vacuetur, & ægri facilè tolerent: aliter non confert euacuatio; quid enim proderit, ſi diuerſus à vitiato prodierit humor etiam vacuatus abundè? nihil certè, cum plus conducturum ſit peccantis humoris modicum cum perferentia vacuatum, quàm plurimum non vitioſi; tanti enim facit Hipp. noxij humoris euacuationem, vt hunc etiam ad animi vſque defectionem (ſi vires ſint ferendo) ſuadeat educendum. Bilis igitur peccans Cholagogis educenda, ne dato Phlegmagogo magis effera inſoleſcat, & ſtagnante Phlegmate bilem ducentia non danda, ne cruda recrudeſcat magis materia, ſed naturam ritè operantem ſpectare, & ſectari ſtudendum, quam ſemper (niſi prępediatur) noxios è corpore humores eliminare conſpicimus.

EXPOSITIO MORALIS.

De Eleemoſynæ præſtantia.

PLures ab ægrotante corpore per ſuperiora, vel inferiora, vtiles, & damnoſæ quandoque prodeunt euacuationes; plures pariter ex anima ſalutares, vel lethales ſupra, vel infra moueri con-

ſpici-

ſpicimus. Lethalibus ommiſſis, quæ ſupra ſalutares feruntur vacuationes, ore ſcilicet emiſſæ veraci, ſunt orationes, pia conſilia, ſancta colloquia, ſacra panegyris, cęleſtium meditatio, & diſcurſus, & cęteræ huiuſmodi ſalutares deiectiones. Quæ verò per inferiora fiunt, & conferunt deiectiones, ſunt inter cęteras rerum humanarum contemptus, cum quis potiſſimùm poſthabitis rebus quibuſlibet terrenis, & inferioribus, ſuperflui, vel quandoque neceſſarij boni deiectionem molitur eleemoſynis in pauperes erogatis. Deiectiones iſtæ verè ſalutares ſunt, & tales ſpondet Tobias in hiſce notis: *Eleemoſyna à morte liberat; & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* Eleemoſynarum deiectiones à morte liberabunt, & conferent ad ſalutem, ſi partibus omnibus polleant, quibus conſtare debent laudabiles corporis deiectiones, ſi videlicet in Quantitate, in Qualitate, exercendi Modo, Tempore, Loco, & Ordine error nullus contingat; in Quantitate primam tradit Hipp. cautionem, admonens *deiectiones non eſſe multitudine æſtimandas*, ſed ſi qualia excerni conueniat excernantur, & ægri facilè ferant.

Quantitatis igitur error in deiectionibus, ſi ſupra vires, & facultates ad vitæ naceſſaria comparatas tantæ profundantur eleemoſynæ, vt cum ſenſibili iactura ſuos tandem ſubijciat egeſtati: hic exceſſus licet virtus appareat, indiſcreta tamen eſt, niſi, vt alibi dictum de ſęculo quis migraturus ad clauſtra, integra bonorum omnium deiectione pauperi erogata mendicato ſe victui ſponte commiſerit. Cęterum tantus declinandus eſt vacuationis exceſſus, qui tamen, ſi forrè quoad ſe contingat (quod valde rarum) nec laudandus, nec arguendus; *Caue tamen*: inquit Auguſt. in epiſt. preuidens diſcretioni eleemoſyna, *ita vt vtriuſque, dantis ſcilicet, & accipiētis ſit ſolatium*. Vitium, quod in quantitate deiectionis euenit frequentiùs, eſt, cum quis nullo Charitatis ardore, nullo miſerationis ſtimulo motus, ſed captandæ laudis humanæ, & inanis gloriæ libidine inflatus libera manu diſperdens vacuat, datque pauperibus; hic equidem Euangelici Phariſęi eleemoſynas imitatus, & iactantiam, ſequetur gloriabundus euentum.

Qualitatis vitium in eleemoſynarum vacuationibus eſt, *Si talia non deÿciantur*, inquit Hippoc. *qualia euacuari conuenit*, ſi nempe non

des,

des, quod inopi donas, ea Humilitate, & Charitate, quibus integrati ſolet eleemoſynæ deiectio; non etenim datum ſpectat Deus, ſed dantis animum; Deficit etiam in quantitate data eleemoſyna, ſi ea dones, quæ tua non ſunt, ſi vno denudato alterum veſtias.

Qualitatis error rurſus eſt in eroganda eleemoſyna, ſi non æqua in omnes Charitas effulgeat, vnde Chriſoſt. in Matth. ſerm. 9. ait: *Si indifferenter omnibus dederimus, ſemper miſerebimur, ſi autem diſcutere cœperimus, nunquam miſericordiam præſtabimus*: vnde improbis etiam danda eleemoſyna in ſumma neceſſitate, ne penuria ſuadente agant, quod indecorum eſt coram Deo, & hominibus odioſum. Placeat Gentilis exemplum, cum nefario cuidam homini eleemoſynam dediſſet, & ob id obiurgaretur à quodam, non mores, inquit, ſed hominem commiſeratus ſum.

In excernendi Modo vitiantur deiectiones, ſi cum dolore prodeant eleemoſynæ, ſi nempe quis, vt inopum importunas declinet preces, & auerſetur tedia, turbato, vel iracundo dat animo ſubſidiũ, hocque minimè commiſerando donans inopem abijcit obiurgatum, his inquit Aug. ſuper pſal. 103. *Si potes dare, da; ſi non potes, affabilem te fac; coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo, Charitas enim de ſacculo non erogatur. Ne dimittas igitur, ſi potes, inopem vacuum, ne te diuitem Deus dimittat inanem.*

In Tempore contingunt in deiectionibus vitia, ſi tempeſtiuè non dentur ſubſidia, quorum excretiones ſi laudabiles eſſe debent, criticas à natura rectè motas imitentur oportet, laudabiles iſtæ ſunt, ſi die contingant critico, ritè priùs preparata materia, & cum leuamine ægrotantis; ita quidem excretiones per eleemoſynam laudabiles erunt, ſi die contigerint critico, eo ſcilicet tempore, quo plus vrgent, & ſequa ſunt egeſtatis ſymptomata, ſi de facultatibus conſtent iuſtè preparatis, & ſint cum leuamine egentis, ſitque deiectio prompta: quò enim Charitas expeditior, iucundior Deo, & inopi vacuatio; qui enim citò dat, bis dat: vnde differenda non ſunt, ſi que preſtari poſſunt egentibus auxilia, & ſi benemereri de aliquo voles, citiſſimè dandum; mora enim ingratum reddit, & parum amabile quidquid dederis.

Loci vitia ſunt in deiectionibus, ſi per loca conferentia non fiant eleemo-

eleemoſynæ. Loca conferentia ſunt Carceres, Hoſpitalia, Infirmorum tuguria, & quandoque mendicare erubeſcentium familiæ, & vniuerſim manus pauperum omnium, qui verè pauperes ſunt, & non abutuntur eleemoſynis, ſed grati pro retributione humiles effundunt Deo preces, vt benefactoribus retribuat: vnde videant omnes eleemoſynis erogandis aſſueti, quibus illas elargiantur, & de quibus bonis hauriantur. Si fortè eleemoſynas quis dabit de bonis malè partis, ſciant ſuis illa Dominis eſſe reddenda, alioquin pauperibus aliena erogare bona, non eleemoſyna, ſed furti genus eſt, quo reſtitutionis onus non ſemper tollitur, immo ſecus magis quandoque aggrauatur; manus enim pauperum idonea ſemper loca non ſunt, quibus bona malè parta committenda ſint; congrua, & conferentia loca tali deiectioni ſunt ipſę manus, vnde quis bona tulit, & extorſit, in illas (ſi conſtare poterit de legitimis Dominis) ferri debent huiuſmodi deiectiones, & ad animi vſque deliquium ducenda vacuatio, quouſque vitiosè acquiſita deiecta fuerint omnia: niſi enim funditus infecta opulentia educta fuerit tota, vix de ſalute ſperandum. Attamen ſi confuſa fuerit adeo malè partæ facultatis materia, vt de legitimis Dominis non conſtiterit, ſatius erit de mammona iniquitatis amicos ſibi ponere in cęlis, quàm inopinato deceſſu ſine ſpe futuræ ſalutis linquere ſingula in terris, vt inquit Chriſoſt. in Matth. 6. ſic. *Quæ ſtultitia eſt illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quò iturus es? Illic ergo ſubſtantiam tuam colloca, vbi patriam habes.* Hæc ille.

In Ordine vacuationes eleemoſynarum deficiunt, ſi de proximo egenti non erogentur. Ordinem docet Aug. in Enchijrid. ſic. *Qui vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſe ipſo debet incipere, & eam ſibi primò dare.* Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſimèque dictum eſt, miſerere animæ tuæ placens Deo; tibi miſertus, alijs poteris iuſtiùs commiſereri, & varijs eleemoſynarum generibus proximo pro exigentia ſubuenire, pane ſcilicet, pecunia, conſilio, correctione, conſolatione, ædificatione, exemplaritate, & venia, quia nulla maior eleemoſyna, vt inquit D. Aug. quàm cum ex corde dimittimus peccata.

Loca vlteriùs conferentia eleemoſynæ manus ſunt indigentium; hi ſiquidem & priuatis, & publicis ſubueniendi ſunt in locis. Pu-

blicè non eſt ingrata Deo eleemoſyna, inquit Chriſoſt. quæ viſa fuerit ab hominibus, ea ſcilicet, quæ ideo facta eſt, vt viſa ſit, vt nempe videant opera veſtra bona, & glorificent non vos, ſed Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt. Conferet & priuatim facta eleemoſynæ deiectio, quam largimur illis, qui mendicare erubeſcunt, quibus gemina miniſtratur Charitas, re ipſa corpori ſubuenientes, & conſolatoria viſitatione animam ſubleuantes.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quæ bona das inopi, Cœlum non quanta metitur,
Sed ſpectat quali, qualia corde data.

APHORISMVS XXIV. PRIMÆ SECT.

In acutis paſſionibus rarò, & per initia medicamentis purgantibus vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendum.

EXPOSITIO MEDICA.

ACutorum morborum minera ſemper acri feruens materia, vlteriori purgantium æſtu exaſperanda non eſt, cum calida ſint omnia, & ea potiſſimùm, quibus vtebatur Hippoc. qui conſultò purgandùm perquam rarò ſuadet *in acutis*; & ſi quid in his purgatione mouendum, id circa initia, ſummo tamen cum iudicio, ac præmeditatione moliendum, ratiocinando ſcilicet ſuper exigentiam purgationis, & diſtinguendo morbi acuti ideas, & cauſas; an videlicet eſſentia acutiei in febre ſita ſit eſſentiali ſolitaria, nec alijs comitata affectibus, an ex partis alicuius inflammatorio pendeat affectu; ſi ſolitariæ febris indoles facit acutiem, videndum vltrò, an materialis eiuſdem cauſa orgaſmo mota, vel metuenda mobilis ſit adeo, vt abſceſſura minetur partis alicuius excidium, an quieſcens, & regulariter mota putredinali ſolo moleſta ſit ardore: preterea ex ægri conſtitutione, & pregreſſis cauſis ſcrutari oportet, an aliqua ſubſit viſcerum impuritas fluxilis, vel tenax, quæ morbum foueat, vel augeat acutiem, aut nulla luxuriante cacochimia acuti morbi minera in vaſis concluſa efferueſcat; ſola etenim ſi morbi materia, vel orgaſmo concitetur, vel impura ſubſit ſarcina morbum augens, eaque facilè ductilis, medicamento vacuante purganda, & circa acuti morbi initium deturbanda, cum reliquum temporis naturæ dandum ſit, vt relictæ mineræ pepaſmo incumbat ad criſim, per quam de more acuti deſinunt, & iudicantur morbi. Quòd ſi morbus ex interna pendeat inflammatione, vel ſummo viſcerum æſtu, nec ingens ſit cacochimus viſcerum apparatus, & ſi qui conceptus rebellis ſit, & refractarius, tunc medicamento prorſus abſtinendum, ſed phlebotomia,& alterantibus agendum, contrarias qualitates, & motus contrarios opponendo his,

qui præter naturam inualeſcere animaduertuntur, vt inquit Galen. donec repreſſo Phlogoſis caumate, motu peruerſo declinato, digeſtaque materia, vel purgationem moliatur natura, vel ſollicitet ars, arrepta purgandi anſa quidquid eſt in vitio deturbans.

EXPOSITIO MORALIS.

In ſummo paſsionis æſtu rarò aliquid eſſe moliendum.

ET *in acutis animæ paſsionibus rarò pariter, & circa initia medicamentis purgantibus vtendum, & hoc etiam cum præmeditatione faciendum* conſulit Hipp. Acutas inter animi paſſiones, quæ celeriter, & vehementer ſua percurrunt tempora, iram diximus, & luxuriam primas obtinere vices: in horum excandeſcentia ab omni correctionis cibo ſæpius abſtinendum ſtatuit Hipp. in aphor. 12. In pręſenti verò vniuerſaliori tradito pręcepto, non in acceſſionibus modò, ſed *in acutis* omnibus animæ paſſionibus monet & cibis abſtinendum, & perquam rarò, quòd rarò proficiat, purgandum; & ſi quando fortaſſe congrua videbitur purgatio, *hanc circa initia* ſummo pariter cum iudicio moliendum. Cum igitur acuta quis paſſione torquetur, & acuties verè eſſentialis eſt, cauendum à purgantibus, à correctione ſcilicet, mandato, conſilio, & minaci qualibet alia molitione ſępe abſtinendum. Nam cum ſint hęc omnia Charitatis officia, purgantia ſcilicet calida, rarò poterunt de calidiſſima hac furenti prędominantis paſſionis minera aliquid detrahere, ſed quia importuno datum eſt tempore pharmacum exaſperabitur magis ipſa paſſio: vnde ſi quid purgandum, aut *circa initia* antequam inualeſcat paſſio faciendum, aut cunctari oportebit, & pacato paſſionis furore moliendum, & rarò in ipſa altiori acutie. Vnde conſultò monet Hipp. circa principia *in acutis* purgandum, ſi purgandum videbitur, idque pariter animaduerſione ſingulari tentandum, ſummo ſcilicet conſilio ponderata correctionis medicinæ; animaduerſio autem, & Hippo. pręmeditatio in explorandis purgandi indicationibus per acutorum initia conſiſtit, & quemadmodum potiſſima purgandi indicatio in acutorum principio tota ex pręcipiti motu, & turgentia materiæ, vel ex fouente mor-

morbum fluxili aliqua viſcerum impuritate deſumitur; ſic in acutis animæ paſſionibus purgandi, & corrigendi indicatio elicitur, vel ex præcipiti paſſionis motu; vel ex ductili aliqua paſſionem fouente illuuie. Initio purgandum *in acutis*, ſi paſſio turgeat, vt antecedenti docuit Hipp. in aphor. ſi nempe acuta fuerit adeo, & rabiosè concitata, vt in proximum proximi excidium citò ſit deſitura, tunc purganti, etiam vehementi per rudem correctionem, per auctorata pręcepta, per indictam pęnam deturbanda protinus erit paſſio, vt cum quis ira dementatus inuehitur, & irruit in alterum, imminens vitæ diſcrimen vel ſubiturus, vel aduerſarium in hoc ſubiecturus, tunc forti auctoritatis, vel roboris pharmaco, quod vim habeat retrahendi, reuellenda paſſio eſt; ne in partem feratur principem; & repentinum alter alteri inferat exitium, & hęc purgatio *cum præmeditatione* miniſtranda ex Hipp. conſilio, ea ſcilicet pręparatione interobuiare oportet, ſi dabitur, vt medentis conſulere poſſit ſecuritati, cum frequens doceat euentus nonnullos iræ, odij, inuidiæ, emulationis,luxuriæ *paſsionibus acutis*,veluti gladijs, ad cruoris vſque effuſionem clam, & palam decertantes; cum quis interobuius correctionis pharmaco effręni ſtuduit obſiſtere paſſionis termino, non rarò præ tędio ob impeditam, vel vlciſcendi rabiem, vel machinandi materiam concordi irruentes animo contra corrigentis perſonam conſpiraſſe, & ſpectatum ſit non rarò pro diuertendo rixantium excidio accurentem, & intermedium corruiſſe diuerſorem; hinc eſt quod correctionis medicamento *in acutis animi paſsionibus rarò, & cum præmeditatione faciendum*.

In acutis paſsionibus ſecunda purgandi indicatio *per initia* acutorum eruitur ex pręexiſtenti impuro aliquo morbum fouente apparatu, eoque fluxili, & facilè vacuabili; ſic animæ paſſio, cum cauſam habeat facilè mobilem, etiam ſi acuta ſit, quia tamen fouet acutiem,*per initia* ſtatim,ſi fluxilis,eradicanda,vt paſſio diffluat tota, ſi exempli gratia iræ, vel odij cauſa litis apparatus eſt, furtum, vel detractio famæ, & ſimilia; ſi litis apparatus amica vacuabitur compoſitione extinguetur procul dubio paſſionis flamma, ſi malè partum purgabitur reſtitutione ceſſabit paſſionis æſtus, ſi conſentanea, ac decora ſatisfactione deijcietur famæ inducta nigrities omnis eradicabitur paſſionis apparatus. Et hæc etiam purgatio *cum*

præme-

præmeditatione facienda, medijs omnibus in proſperum ſucceſſum tendentibus, temporis potiſſimùm quęſita opportunitate. Vnde Iracundus ſępe non eſt corripiendus, cum furore flagrat animus; Auarus, cum lucroſus eſt pręſens contractus, rarò corripiendus; Laſciuiens, cum proximo geſtit obiecto; Heluo, cum gaudet inter conuiuia, & ſic de ſingulis animæ paſſionibus, quarum exceſſus non ſunt, niſi opportuno tempore, increpandi.

DISTICHON APHORISTICVM.

Ne turbes animum, quem paſſio torquet acuta:
Si ruit in præceps, corripe, plecte, doce.



APHO-

Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facilè ferunt, ſin minùs contrà.

EXPOSITIO MEDICA.

QVę ſummi ſunt ad artem aliquam momenti, vel decoris iterato ſermone commendare vitio dandum non eſt, ſed virtuti, qua fluxili conſulitur memorię, & ſententię ſoliditas, ac pręſtantia declaratur. Vnde Hippocratis ſolertię tribuendum, ſi de ſecundo Medicinæ cardine, qui purgatio eſt, differens, practicum bis repetere tibi placuerit axioma, quo conferentem ab excretorum qualitate dignoſcere doceamur purgationem, repetens in pręſenti, quod ſecundo, & vigeſimotertio protulit in aphoriſmo, ingeminans *ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, ſin minùs contra*. Reiterare decreuit ſententiam, vt oſtendat quanti faciat & quàm neceſſarium ducat ad Therapeuticum ſtatutum iam probatę legis repetitionem; ducendam ſcilicet ſemper eſſe vitioſam morbi materiam, ex cuius eductione conferentia ſequitur purgationis, & perferentia facilis ęgrotantium, *ſin minùs contra*, ſi nempe diuerſus à peccante deturbetur humor, nec conferet, nec bene tolerabitur purgatio.

EXPOSITIO MORALIS.

Noua quædam de Sacramentali Confeſſione.

SI quæ temporalem conferunt ad corporis ſalutem repetere virtus eſt, quantò virtus erit eximior, iterata commendatione ea rememorari, quę pertinent ad ęternam. Purgatio criminũ per Confeſſionem ſacras inter actiones, quibus ſumus alligati ſingularis eſt, & ſtrictiſſimum ad animę ſalutem pręceptum, quo neglecto, & omiſſo ſpes ferè tota cęleſtis patrię irrita, & ſuperuacanea iuxta effatum

ſatum Iſidor. lib. I. cap. I2. hiſce intonans notis: *Confeſsio ſanat, Confeſsio iuſtificat, Confeſsio veniam dat peccatis, ſpes omnis in Confesſione conſiſtit*: hæc ille. Non pigeat igitur in re tanti ad ſalutem momenti eorum repetitio, quæ ad integram ſpectant animæ purgationem Confeſſione inſtitutam Sacramentali, & iterum Hipp. audire pronunciantem. *Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: ſin minùs contrà*: ſi nempe *talia purgentur* in Confeſſione delicta, vt alibi dictum, *qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*, confert & neceſſitati, confert & effectui; neceſſitati quidem, cum facta qualis fieri debet criminum Confeſſio, cum dolore ſcilicet, & propoſito iuſtificet peccatorem, vt aſſerit Ambroſ. lib. de Parad. vbi hæc ſunt. *Non poteſt quiſquam à peccato iuſtificari, niſi peccatum fuerit antè confeſſus, & eſt Confeſsio neceſſaria peccatori*, vt Bern. in epiſt. cap. 12. Confert vlteriùs effectui, quòd amiſſam redimens Dei gratiã Confeſſio æternam conferat ſalutem, vt inquit Caſſiod. ſuper pſal. 13. hiſce notis. *Mira compenſatio, ſtupenda viciſsitudo, Domino ſuo propria mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere*. Leuiter ferunt, ſubdit Hipp. nam per Confeſſionem depoſita culparum ſarcina, qua premebantur peccatores, ad ſacras quaſuis functiones currunt expeditiores, & mandata Dei iucundiùs ferentes Domino ſemper adhærere peroptant, & quidquid aduerſum contigerit facilè ferentes, ſiue bona, ſiue mala eueniant, ſingula Deo ferunt accepta. Studeat igitur vnuſquiſque ſacramentali Confeſſione talia purgare delicta, qualia fuere patrata: nitatur exactè Medicus, & ægrotans; Sacerdos ſcilicet, & pœnitens in purgatione talia educere delicta, qualia commiſſa noſcuntur. Diſcretio primùm valdè neceſſaria Confeſſario, inquit Aug. lib. de pœnit. *Conſideret*, ait ille, *qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in veritate perſonæ, cuius fuerit ætatis, cuius ſapientiæ, & ordinis, & quali hoc fecerit tentatione, & in multiplici ipſius executione*. Studeat etiam pœnitens peccator, ſi talia duci deſiderat in Confeſſione, qualia oportet, Confeſſarium conſulere ſcientem, vt Aug. lib. de pœnit. hortatur his verbis. *Qui vult confiteri peccata ſua, vt inueniat gratiam, Sacerdotem quærat ſcientem ligare, & ſoluere, ne, cum negligens circa ſe extiterit negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit*. Sacro ſelecto Miniſtro, præparatam criminum ſeriem

dolenti

dolenti aperies animo, nec quidquam teges ex crimine, ſed nuda aperies ſingula, vt Diuina operiaris Miſericordia: Deus enim vbi homo detegit, ipſe tegit, cum homo celat, ipſe nudat, cum homo agnoſcit, Deus ignoſcit, vt inquit etiam Auguſt. Vnde ſingula ſingulis cum appendicibus recitari debent delicta; & facto, completoque emendationis propoſito, talia te per dolentem Confeſſionem purgaſſe ſpondeo, qualia purgari oportebat, *ſin minùs contrà*; ſi nempe purgatio notis aliquibus bonæ Confeſſionis caruerit, neque conferet, neque facilè poterit ferri, vt ſecundo diffusè ſatis dictum in commento.

DISTICHON APHORISTICVM.

Crimina cum ſtatues animo purgare dolenti;
Cuncta Sacerdoti, talia, quanta refer.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS.

SECTIO SECVNDA.

APHORISMVS I.

Vbi ſomnus laborem facit, lethale; ſi verò iuuat, non mortale.

EXPOSITIO MEDICA.

SI quid conſeruandæ, & recreandæ naturæ gratia res inter non naturales naturaliter confert: ſanè *ſomnus* eſt naturalis: hic enim ſecundùm naturæ leges indole, ſpatio, decubitu, & tempore definitas initiatus, nec vllis præternaturalibus interturbatus cauſis, in perpetuum ſemper cedit naturæ commodum, ſpiritus refouens animales, naturalem firmans œconomiam, & robur in toto corpore reſarciens, præ vigilia, laboribus, & laſſitudine eneruatum. Si quis tamen in morbis ſomnus ingruat conſueta non inferens leuamina, ſed è contrà ex ſomno morbus ingraueſcat, vel ſymptomata magis effera prodeant, laboremque faciat moleſtè toleratus; acuto nimirùm capitis dolore, iactatione, ſiti, delirio, vel vlteriùs in ſoporoſum tranſeat affectum, aut quemuis alium faciat laborem, in malis habendus, & pro lethali ab Hipp. pronunciandus; ſi praua præſertim creſcant, aut comitentur indicia. Malè enim moratum morbum, rebellem materiam, & infirmam deſignat naturæ potentiam moderandis humoribus, &

coctionibus obeundis imparem, ſuperioremque morbum de natura triumphaturum.

EXPOSITIO MORALIS.

Vbi mortis recordatio tædio eſt peccatori, lethale.

INuiolabile cęli decretum eſt,& indeclinabile, vel nolentibus ſtatutum omnibus hominibus ſemel moriendum. Irrecuſabilis Legis huius neceſſitatem incerto tempore definitam mortalium animis altè adeo infixam petit Omnipotens,vt quā ſemel exequi mandauit,ſæpius recogitandam deſideret; & integrè prouidus Deus,ne tam ſalutari meditationi præſens deeſſet obiectum,ſpeculum nobis tribuit inſpiciendum, viuam mortis imaginem referens, & exemplar in ſomnō; nec aptiori poterat icone mortis ſpectrum mortalium obtutibus præſentari, quàm per ſomnum; cum ſomnus breuis mors, & mors longus ſomnus ſoleat pronunciari. Somnus igitur vtilē nobis aperiens mortis imaginē piam ſuggerat eius memoriā; mortis .n. recordatio non minùs efficax ad animæ ſalutē, quàm ſit ſomnus naturalis ad corporis incolumitatem. Sicut enim ad vitæ conſeruationem neceſſarius ſomnus eſt;&nulla ferè dies præterit ſine ſomno; ſic ad conſeruandam, vel recuperandam Dei gratiam proficua valde mortis memoria; neque dies debet præterire ſine eiuſdem meditatione. Mors ſecundùm naturam rei medullitus reuoluta,in animæ commodum perpetuò ſolet terminari. Quos edat effectus ſalutaris hæc per ſomnum mortis inſpectio diſcat quiſque ex Hieron. lib.12. moral. vbi ſic effatur. *Qui conſiderat qualis erit in morte,pauidus ſemper erit in opere,atque inde in oculis ſui Saluatoris viuet, nil,quod tranſeat,appetet, cunctis vitæ præſentis deſiderijs contradicet; & penè mortuum ſe conſiderabit, qui moriturum ſe minimè ignorat. Perfecta .n. vita mortis eſt meditatio, quam dum ſollicitè per agunt,culparum laqueos euadunt*: hæc Hieron. Quanti verò ſit emolumenti, & vtilitatis in mortis ſpeculum fixos mentis oculos ſæpius intendere,profert idem Hieron. in Epiſt. ad Heliod. his verbis. *Nihil æquè proficiet ad rerum omnium temperantiam, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti, quidquid facies reſpice mortem.* Iugiter enim, & ſedulò recogitata

mortis

mortis neceſſitas; & eiuſdem tempus incertum prauos procul dubio ſanctificabit mores,& animam cæleſtes diſponet ad ſemitas. E con-tra, *ſi ſomnus laborem faciat, lethale* pronunciat Hipp. & mortiferum ſignum ſpondet Ambroſ. ſi nempe mortalium mentes tenebroſa peccati caligine obtenebratas clara mortis neceſſitas non irradiat, & peccatorem ſui finis memorem finalem non vrgeat ad peniten-tiam, ſalus in anguſto poſita; quin immo ſi tam triſti recordatione vitia non modò non corrigantur, ſed ſæuior in dies ſcelerum pra-uitas ingraueſcat, deplorata ferè,& ſignis omnibus exitialibus con-clamata ſalus pauló minus habenda eſt, niſique deſperatæ ægritu-dinis ad morem, ſanitas animæ ex alto deſcendat, vix credibile eum, qui nouiſſima ſua, mortis potiſſimùm infallibilem, ignotumq; diem corde recogitat,& ſe non emendat, ſponte ſua, ſine extraordi-nario dexteræ Excelſi ſubſidio, in ſemitam ſalutis ampliùs redu-cendum. Etenim quemadmodum ſomnus in naturalibus laborem faciens, ideo lethalis, quòd malè moratum morbum, rebellem ma-teriam, & imparem regendis humoribus, & coctionibus elaboran-dis deſignat potentiam; ſic mortis ſimulacrum, & memoria labo-rem faciens, intento ſcilicet animo, nullo tamen prouentu, ac le-uamine mors à peccatoribus excogitata, ſed hoſte veluti infenſo de mente propulſata, ideo lethalis, & æternum minatur excidium, quòd malè moratam deſignet peccatoris indolem, varijs etiam pro ſalute ſacris oblatis remedijs rellu ctantem, culparum mate-riam notet per antiquatos habitus rebellem, & difficilè mobilem, ſubuerſam denique tartareis ab inſidijs potentiam, quò minùs di-gerendis, debellandiſue paſſionibus ratio queat ſufficere: vnde peccatorum mors peſſima; peſſima quidem, quòd laborem fe-cerit in viuis mortis recordatio. Quiſquis igitur interminabilem affectat vitam, mori diſcat, dum viuit, nec horreat, pigeat, & tæ-deat in ſomnum, temporalis mortis ſpeculum, crebra inſpectio-ne meditari, ne perpetuæ horridiſſimis ſemper in ſpectris accidat verſari: inſpectæ mortis tædia non reuocent ab hoc ſpeculo ob-tutum, neque mundanas retorqueant ad delicias, ſed aſſueſce mortem meditari; Deus enim vt homo mortis aſſueſceret recor-dationi, nec horrore perterritus ſui finis obliuiſceretur & Cœli, ſomnum mortalibus indidit veram mortis imaginem, vt per hanc

viuen-

viuentes mori docerentur. At proh dolor! Neſcit viuentium mens aſſueta iucundis, in triſtibus delectari; inhiant omnes ad vitam, & quandiù ſtat eius integritas, ſtat ſanitas, ſtat ſors, nulla mortis memoria, vnde zelo zelatus pro Domino Deo exercituum Regius Pſalmiſta vniuerſos videns minimùm de morte ſollicitos, in ſola temporalis vitæ meditatione anxios verſari, querulus ſic Dominum alloquebatur pſal. 6. *Non eſt, in morte qui memor ſit tui.* In mortis ſcilicet memoria nemo Iudiciorum Domini recordatur. Hinc lethalem pronunciat Hipp. obliuionem in morbis. Mortiferam concludunt, & ſacri omnes ſcriptores, poſt ſeriam mortis recordationem integram Dei obliuionem. Recordare Mortalis, quod Dominus memor fuit noſtri: ne ſis igitur immemor eius, amiſſam cuius gratiam potes mortis memoria redimere. Si te tam triſtis terret recordatio, memor eſto ſaltem mortis Domini, & procul dubio in indeclinabilis tui finis recordatione iucundè exercitatus delectaberis impoſterum, Deoque concines cum Pſalmiſta pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Prauiſa morti ſequitur ſi peſſima vita,
Peſſima mors pœnas igne perenne dabit.

APHO-

APHORISMVS II. SECVNDÆ SECT.

Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum.

EXPOSITIO MEDICA.

SOmnum, qui laborem faciat, lethalem, nullo labore moleſtum, non exitialem ſtatuit Hipp. in antecedenti aphor. Aſſumptum probat exemplo in præſenti per delirium principis ſymptoma facultatis grauiſſimum; vt hoc poſito pro idea vniuerſali particularis in reliquis affectibus præſagiendi modus eliciatur: inquit enim. *Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum,* ſi nempe ſomnus, non modò delirium, ſed & reliquos ſedauerit affectus, & ſymptomata demulceat, bonum. Delirium ſomno ſedari, bonum dixit Hipp. tanquam quid rarum; cum ferè ſemper per ſomnum deliria adaugeri viſa ſint, quæ potiſſimùm ad cerebri inflammatorios affectus ſunt conſectaria. Hæc etenim tantum abeſt, vt ſomno poſſint ſedari, cum potius per caloris ad intrò receſſum acriùs intendi. Si tamen ſomnus hic, vnde metus eſt, & qui debebat obeſſe, prodeſſe videatur, bonum inquit Hipp. Non tamen in hoc ſolo leuamine fidendum, cum pleroſque Praxis oſtenderit ſedato delirio, nihilominus alterius morbi impliciti vi fuiſſe ſublatos. Bonum ſanè, ſi bona cætera concurrant ſigna; at ſi praua poſt pacatum delirium ſigna perſiſtant, aut ſuperueniant, etiamſi placido ſomno fuerint remiſſa deliria, metuendum ſemper erit. Vnde, cum quis in morbis delirat, diſtinguendæ protinus ſunt delirij cauſæ; ſi namque cerebri phlogoſis faciat delirium, ſomnus non vtique proficuus & ideo bonum ab Hipp. ſignum tradi putandum, quia de more ſolet obeſſe. At ſi delirium ex ſola calida intemperie, & acriori vapore cerebrum opplente, turbanteque phantaſiam fiat, ſomnus vtilis habendus eſt, vt ſignum, & vt cauſa: vt cauſa, quia coacto calore vaporem diſcutit, & vaporoſam digerit mineram, vt in ebrijs; vt ſignum quia reſolutam indicat materiam, & naturam morbo ſuperiorem: vnde in maniacis, & torridis melancholicis ſomnus conciliandus; quòd furor melancolici delirij ſomno ſoleat demulceri: in his enim, & quamplurimis alijs morbis, vbi metus

abeſt

abeſt inflammationis, nec graues alij complicantur affectus, ſomnus vbi delirium ſedauerit, bonum: at vbi viget inflammatio; etiam ſi ſedetur ſomno delirium, malus eſſe poteſt ſomnus, vt in hectica, & ſuppurata cerebri phlogoſi, & abſceſſu, in quo ſedatur pro tempore delirium, & tamen æger properat ad interitum.

EXPOSITIO MORALIS.

Vbi mortis memoria peccata coercet, bonum.

PEccatoribus vniuerſis, quibus mortis memoria laborem facit, & tædium, quò minùs ad ſalutis negotium conſilium dirigant, lethalem prædixit Hipp. animæ euentum in antecedenti aphor. non verò mortalem, ſi mortis memoria laborem nullum fecerit, nec odioſa fuerit eiuſdem recordatio. In præſenti ſuperiorem ſententiam comprobat exemplo: inquit enim *vbi ſomnus delirium ſedat, bonum*. Quid ſomni, quid delirij nomen ſonet in moralibus, ſat ſacris in paginis expoſitum; conſtat ſanè per ſomnum mortis ſpeciem, per delirium peccati imaginem perquàm apto ſymbolo deſignari; *vbi* igitur *ſomnus delirium ſedat, bonum*; vbi ſcilicet mortis imago, & meditatio peccata coercet, quæ deliria ſunt hominum, vt ſatis illud effatum de peccatore ſic habens: Delirat, nec vera videt, nec iudicat æqua.

Vbi, inquam, mortis meditatio peccati odium infert, & corrigit errantium deliria, *bonum*; quòd, quam per peccatum amiſerat, mortis memoria, Dei, ſuique ipſius redimat cognitionem. Vt autem mortis meditatio delicta valeat corrigere, ſomni naturalis, (per quem mortis ſignificatio) ſtatutis legibus conſtare debet; tempore ſcilicet, ſpatio, & decubitu circumſcriptis.

Tempus memorandi finem ſuum proponit his verbis Auguſt. *Neſcis qua hora venturus ſit; ſemper vigila, & quòd neſcis quando venerit, paratum te inueniat, quum venerit; & ad hoc fortè neſcis quando veniet, vt ſemper paratus ſis*. Semper igitur, & quocunque tempore mortis incumbendum recordationi, quo potiſſimùm peccandi obijcitur occaſio. Meditandæ mortis tempora temporibus ſomni deberent proportionari; at quia graue nimis foret (quamuis vtile) tot horas

dare

dare mortis memoriæ; quot ſomno, ſat erit, ſi ſemel ſingulis in noctibus ineundi ſomni cura eſt? & ſollicitudo, vt ſingulis etiam ſaltem ſemel in diebus meditandæ mortis aliqua ſtatuantur tempora, & conſueta fiat praxis, qua quiſque recogitet, quod Gregor. ſuper Matth. primo his intonat. *Horam vltimam idcirco Dominus noſter nobis voluit eſſe incognitam, vt ſemper poſsit eſſe ſuſpecta; vt dum illam prænidere non poſſumus, ad illam quocunque tempore ſine intermiſsione præparemur, & properemus*. Hac itaque methodo ſomnus in tempore, mortis ſcilicet memoria delirium, ſi quod præſens in peccato, ſedabitur, & præcauebitur imminens.

Secunda in ſomno ſeruanda lex eſt in debito ſpatio: hoc autem ſecundum peculiarem cuiuſque naturam, iuxta facilem, vel difficilem ciborum coctionem longius, aut breuius ſolet definiri. Ita quidem in feria mortis meditatione debitum requiritur ſpatium, non breuis ſcilicet, ſemel, rarò, raptimque concepta, & præteriens mortis cogitatio, ſed longa; per totam nempe vitam, frequens repetita, & profundior vltimi finis recordatio. Somnus longior ex methodo conciliandus iis qui ægrè digerunt; ſic mortis meditatio longior ijs ineunda, qui reuera rebelles, & refractarij peccatores, mente minùs fixa, peſſimæ mortis non digerunt euentum: in his enim per altiorem ſomnum totus cogendus ad interiora ſpiritus eſt, vt clauſis ad terrena quæque pupillis, horridas vſque adeo repetant malæ mortis ſpecies; donec ſedato ſcelerum delirio reſipiſcant, & diſcrimina declinent, quæ ſuperſtant ijs, qui de morte nihil ſollicitì, temporalibus tantùm viuere geſtiunt delicijs. Curent igitur quicunque ſui finis memores in mortis quandoque deſcendunt meditationem, hanc non ſuperficialem, non raram, neque breuem ſuſcipere, ſed profundam, frequentem, & productam.

Cur nequiſſimi Deicidæ ſub cruce Diuinam lingua, labijſque laniantes, quam lacerauerant ſupplicijs Maieſtatem, tot inter prodigia ſpirantem non agnouerunt Chriſtum? niſi quia prætereuntes mouebant capita ſua, quod ſcilicet non ſtantes, neque debito temporis ſpatio, ſigna, tormenta, & mortem Domini medullitus meditantes, ſuperficiali ſolùm, & fugaci Chriſtum intuebantur obtutu; ſi enim fixo, & ſtabili pede, immoto capite, & intenta mente, ac meditatione in patientis Chriſti faciem reſpexiſſent; non

vtique blaſphemantes receſſiſſent, ſed delirium in patrato ſcelere nouiſſent, ſedaſſent, ac roborato per pœnitentiam capite percutientes reuera pectora ſua in ſe reuerſi ad gratiam reuixiſſent.

Tertia denique ſeruanda lex in ſomno naturali decubitus eſt, qui conuenit erectior, vt caput ſublimiùs poſitum excrementa faciliùs excutiat, & ad vtrumque latus dexterum, vel ſiniſtrum reuoluendus; Sic mortis meditatio altiorem petit decubitum, & caput exigit in ſublimia poſitum, mentem ſcilicet ad Altiſſimum iugiter erectam, vt faciliùs terrenas excutiat voluptates, ad vtrumque latus etiam dexterum, vel ſiniſtrum reuoluendus meditabundæ mentis decubitus. Pauidus, & anxius reuoluat in mortis memoria vnuſquiſque repetens anteactæ vitæ geſta, iudicet, an ad dexterá cum benedictis paratura ſint gloriam, an ad ſiniſtram cum maledictis gehennam. Vtrumque mens declinet in decubitum, ſortem perpendat electorum in dextra, damnatorum infortunia horreat in ſiniſtra, & diſcat ex mortis memoria, quàm bonum ſit, ſedatis criminum deliramentis, ſibi ſortem cum ſanctis parare in cœlis ad dexteram; noſcat, quàm bonum ſit adhærere Deo, quàm bonum ſperare in Domino, quàm bonum ponere in Domino ſpem ſuam, vt bonus Propheta pluribus in pſalmis, cũ mortis memoria ſuum omnino ſedaſſet deliriũ, protulit. Vbi igitur mortis memoria delirium ſedauerit, bonum. Placet Hipp. non bonum, ſed optimum pronunciare ſignum, cum ſalutaris hæc mortis cogitatio ad Deum Optimum, Maximum, & Immortalem erigat, & dirigat mortales.

DISTICHON APHORISTICVM.

Horror vbi mortis ſedat deliria mentis;
Signum crede bonum, crede ſalutis iter.

APHO-

APHORISMVS III. SECVNDÆ SECT.

Somnus, & vigilia, vtraque ſi modum exceſſerint, malum.

EXPOSITIO MEDICA.

NAturæ genius extrema non tolerat, medijs ſemper gaudet analogis in ſex rebus potiſſimùm non naturalibus temperatis, inter quas *ſomnus*, & *vigilia* ſuam exigunt moderationem. Somnus igitur moderatè ineundus, nimius, aut minimus ſuas vterque profert in ſanitatis, & morbi latitudine noxas. In ſanis morboſos otio nimio cumulans apparatus, per crudiorem plenitudinem in omni regione conceptam, & priuatim in capite per congeſtam pituitam firmato. Etenim cum torpeat ex nimio ſomno calor, & minùs difflati ſuffocentur ſpiritus regendæ copiæ inepti, neceſſe eſt, vt infirmato moderatricis facultatis robore, morbidi in actum erumpant apparatus, & diù tandem concepti proferantur morbi, quibus in conſpectum datis ſomni exceſſus, etiam prçter exitiale, quod perhibet ſignum in metu ſymptomaticę alicuius tranſlationis ad caput nimio fortaſſe iam obrutum, vel narcotico refrigeratum humore. Malus etiam cenſendus, quòd adaucta vaporum, & cruditatum minera, putridum, quò minùs diffluat coarctetur effluuium, cuius vi ſuffocato calore, ſenſus, mentiſque vires hebetantur, deliria, ſi quæ ſunt, ingraueſcunt, & ſoporoſo tandem affectu ægri concidunt ſepulti.

Vigiliæ pariter, ſi prçter modum vrgeant, in ſanis, & ægris calamitoſæ; in ſanis quidem, quòd nimiùm ſiccent habitus potiſſimùm graciliores, cruditates etiam exhauſto calore coacetuant, ſpiritus incendunt, acuunt humores, cerebri temperiem mutant, ſenſuum, mentiſque functiones peruertunt. In morbis verò non minùs ſenſibiliter, quàm per ſenſibiles vacuationes vires atterunt; ſi cum febre potiſſimùm ſęuiant, cerebri robur diſſoluunt, bile ad caput tracta, vel euolante, inflammationes, dolores, & deliria, exaſperato vigilijs calore prçternaturali bonam corporis habitudinem exhauriunt,

riunt, & atrophia ſiccatum, & reſolutum perimunt ægrotantem. Moderatus igitur ſit ſomnus, neque modum excedat vigilia, & vtraque naturali cuiuſque temperaturæ, & conſuetudini reſpondeat, legibus omnibus ſeruatis, quas in ſpatio, tempore, & decubitu decreuimus in antecedenti ſeruandas.

EXPOSITIO MORALIS.

De ſollicitudinis exceſſu in humanis, & de otio nimio in Diuinis declinando.

Diuinis ſegnities in negotijs, ſollicitudo in humanis, hæc vigiliæ, illa ſomni referens imaginem, vtraque ſi modum exceſſerint, malum. Quidquid enim de modo, vel quoad eſſentiam, excepta iuſtitia, vel quoad obiectum (dempta prudentia) virtutis deſciſcit, id omne vitioſum. Somnus igitur nimius, immoderata ſcilicet tarditas, & incuria in Diuinis, non ſecus in malis habenda, ac naturalis ſomni exceſſus, vt octauo iam prętactum in commento; immodicus enim ſomnus, ſi naturæ robur diſſoluit, & retentis effluuijs corpus graue reddit, & ponderoſum, morbiſque quàmplurimis opportunum; ita quidem in ſeruanda lege Domini ſegnities, & negligentia animæ robur eneruat, calorem, & ſpiritum Charitatis imminuit, criminoſis ſpecierum effluuijs retentis rationem coercet, quò minùs ad altiora queat permeare, intelligentiam ſuffocat, ne cœleſtia ſapiat; infirmat memoriam, ne nouiſſima recogitet; voluntatem hębetat, ne cœleſtibus ardeat; mentem denique totam ſęcularibus grauitantem deſiderijs, ac culparum ſarcina oneratam, in lapſus pręcipitem trahit; hac inſuper in ſeruanda lege deſidia malè ſibi conſulens tardus, & iners peccator pericula non pręuidet terrena, dona negligit cœleſtia, quo fit, vt, leui tentatione pulſatus animus, & mala committat, & bona omittat, nimioque conſepultus otio, ac ſomno, ſomnum tandem dormiat ſempiternum; vt ſpondet Hierem. 51.

Neque minùs calamitoſa eſt immodica vigilia, cura ſcilicet, & intemperata ſollicitudo in humanis; in his nempe, qui vigiles, ſol-

liciti

liciti ſunt, & ad terrena quæque nimis æſtuantes : in his enim grauis, & mala ſemper eſt exuberans omnis ſollicitudo, quòd omni exhauſto ſanctæ inſpirationis rore, anima nullo irrigatá cœli deſiderio, ſuccenditur amore terreſtrium, cumque inuoluta tota ſe curis applicat mundanis ; *Tunc ipſam vanitas excipit*, vt inquit Bern. *curioſitas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, torquet inuidia, cruciat triſtitia, turbat iracundia, ſicque miſer deſidioſus vitijs patet, & caſibus paratus*. Enim verò quas vigilias, quos caſus non patitur vitioſus, vt ſuas expleat ideas ? quas non ſubit curas luxurioſus, vt obſcęnas attingat metas ? quas non tolerant fures, vt rem rapiant intentam ? quas auari, vt inexplebile ſatient marſupium ? quas non ferunt ſollicitudines, & vigilias homicidæ, vt emulos diſperdant ? quas denique viuentes quamplurimi curas non ſuſtinent, & labores, vt rebus quibuſlibet pro genio cumulatis, mundo conſpicui viuant, & glorioſi ? Hæc vigilia, cura iſta, cum modum excedat, terrenis pręoccupatum negotijs animum ab omni penè ſancta delectatione prohibeat neceſſe eſt, nec enim miſcibilia ſunt apparentibus vera, æterna caducis, ſpiritualia temporalibus, ſumma imis, vt mundo addicti ſimul ſapiant, quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram. Ne ſimus ergo nimiùm vigiles, nec ſummè ſomniculoſi, cura noſtra, anxietas noſtra, ſollicitudo noſtra ſit in Cœlis ; ſit & moderatè in terris: ſingulis enim ſua ſunt tempora curis, carere prorſus mundanis humana non patitur neceſſitas, in cœleſtibus pro terrena ſollicitudine torpeſcere æterna prohibet ſalus. Proſpiciamus vtrique, & caueamus, ne modum ſomnus excedat, nec ſit ſupra vires vigilia.

Excitent, & ſacra nos erudiant ſomni profundioris exempla. Caueamus à ſomno Noe, qui nudus dormiens in tabernaculo ſuo, ideo ab ingrato filio deriſus, quòd inuerecundus, & incompoſitus fuerit ſomnus, ex quo quiſque animæ ſuæ ſomnum perpendat, cum liberè, & inuerecundè Deum lędit, & Proximum.

Somnum Loth declinemus, qui dormiens inceſtum cum vtraque filia imprudens admiſit, & ſomnus hic impudicos retrahat, & excitet Domino, vigiles in continentia reſtituens.

Sampſonis ſomnum non imitemur, qui in ſinu Dalidæ dormiens, captus à Philiſtęis exoculatur, huncque diſcutiant ſoporem quicunque fortiores in legis obſeruantia ſe pręſumunt, & torporem

pręca-

pręcaueant, ſi quis irrepſerit, ne gratiæ robur amittant, & excęcati in foueam cadant delictorum.

Syſaræ ſomnus non corripiat, qui pugnaturus dormiens, in capite clauo confoſſus à fœmina interijt. Hinc quiſque contra Nequiſſimum dimicaturus, diſcat ſomnum fugere deſidiæ, ne clauo ignorantiæ, cuius fœmina ſymbolum, in capite confoſſus, mens mundanis adeo fixa ſtet operibus, vt cęleſtes erigi nequeat, cum voluerit, ad curas.

Vitetur Ionæ ſomnus, qui furente mari dormiens, inde in fluctus proiectus deglutitur à Cete; & proſpiciamus attentè, ne dum turbidum mundi oceanum peruagamur, dum ſcilicet fluctuant vndique culparum procellæ, & occaſiones deſpecto Dei mandato proijciamur in illas, & à peccati cete abſorbeamur.

En obiter quid immodicus pręſtet ſomnus in Diuinis, quid nimia poſſit vigilia in humanis. Temperemus igitur ſomnum, & vigilemus cum Chriſto, cum moderatione, vt Apoſt. 2. Cor. cap. 6. hortatur exercitari *per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris* ſine nimietate vigiliæ, vel ſomni: ne à noſtris aduerſarijs proſternamur, cum diſcretione vigilemus, vt inquit Bern. in ſerm. ne quis ſcilicet Ieiunia, Orationes, & Vigilias ſic agat, vt deficiente ſpiritu, langueſcente corpore ſpiritualia impediantur opera. Et reuera, qui immodica ſe torquet vigilia, corpus fraudat boni operis fructu, ſpiritus affectum minuit, proximo exemplum, & Deo honorem ſubtrahit, ac obſequium.

Qui verè vigilare dicuntur ſecundùm Euangelicum pręceptum, ſunt, qui obrepentem peccati ſoporem excutiunt in Dei cultu, in animæ cura, ſtudioque virtutum verſantur, accuratè adeò, vt nihil eos impediat, cum venerit Dominus, & pulſauerit; quin eos vigilantes inueniat, & paratos. Vigilare dicuntur & illi, qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos aperiunt, qui rectè credunt, & piè viuunt, & ſeruant operando, quod credunt vigilando; qui denique mandatis Dei excuſſo negligentiæ ſomno continenter inhęrent. At obijcientes audio, duobus non poſſe Dominis ſeruiri, & impoſſibile, Diuinis, & humanis poſſe animum curis implicari, Deo data, & mundo addicta ſeruitute. Obiectioni reſpondeo, veriſſimum, & æternæ veritatis prolatum, Deo, & mundo non poſſe vnico contextu

ſerui-

ſeruitutem impendi. Si mundo totaliter ſeruitis, quatenus immũdus polluit, decipit, & inficit animas; at ſi quis mundanis caput adigat curis, quatenus ad cœlum puro corde ſunt directæ, & ſecundùm leges vocationis ſuſceptæ ſunt ſollicitudines, poſſunt quidem in vtraque mentes ſeruitute occupari; inquit enim Paulus manendum eſſe in vocatione, in qua vocati ſumus; ſit Princeps, ſit ſubditus, ſit ſeruus, ſit miniſter, ſapiens, & idiota, clauſtralis, vel ſęcularis, ſit ars mechanica, ſit liberalis, in quacunque vocatione Deo poteſt, & mundo ſeruitus miniſtrari; modò doloſi nihil, vt dixi, ſeruitus ſapiat: quin immo in ſuſcepto cuiuſque miniſterio, & facultate ſeruitus æqua Deo reddi poteſt, & arti, ſi fraus nulla facultatem corruperit, & artem. Aptabilis vtrique, Deo ſcilicet, & mundo ſeruitutis figuram promit mirabilis Iacob viſionis myſterium Gen. 18. Bonus Patriarcha fatigatus ex itinere, dormiens capite ſaxis adaӗto, vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum, Angelos quoque Domini aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Hæc dormientis viſio, quid ſignat? niſi quod mens tua, dum dormit; dum ſcilicet tegitur corpore, veluti ſcala Iacob ſtet ſuper terram, & tangat cacumen Cęli; cogitationes nempe tuæ, ſollicitudines tuæ, curæ tuæ, Angelorum more, modò conſcendant in cœlos, modò deſcendant in terram, ſed curæ cuiuſque cacumen, ideſt finis ſemper cœlum tangat, & Deum mentis ſcalæ ſemper habeat innixum. Sollicitus ergo ſis cum Angelis per perfectioris vitæ gradus in cœlos frequenter aſcendere; mox cum ipſis in terræ negotia puro corde deſcendere, ſic mentis tuæ ſcalæ ſemper innixus erit Deus, & Cuſtos erit tui quocunque perrexeris, in omni nimirum vocatione, & miniſterio. Suas ergo quiſque pro debito curas extollat in Deum, & duobus poterit promiſcuè Dominis ſeruire. At ſi quis ab impoſito deſuper munere deflexerit (quiſquis ſit) ſi à debita aberrauerit opera, cura, ſollicitudine, & vigilantia, quidquid erit moliturus facultatem non implens, & legis integritatem non ſeruans, cura hęc cum mundana ſit, Deo neutiquam addicta, & modum excedens, mala. Alto igitur non dormiamus ſomno in Diuinis, ſed cum prudentibus Virginibus dormitemus vigilantes; nam profundè conſopitè non intrauerunt ad nuptias. Qui profundè dormiunt in mandatis Dei,

forraſſe

fortaſſe non reſurgent, vt pſal. 40. *Nunquid, qui dormit, non adijciet, vt reſurgat*. Hoc obiter de morali ſomno. Naturalis etiam immoderantia non leuis eſt momenti, vt Prou. 20. hiſce monet notis: *Noli diligere ſomnum, ne egeſtate opprimaris*. Exemplum prębeat Saulis ſomnus, qui dormiens, haſta fuit, & Scypho ſpoliatus cum imminenti vitæ diſcrimine; ſi Dauid, quàm dederat, abripere voluiſſet. Diſce prolixiorem declinare ſomnum, ne fortunæ bonis ſpolieris & tu, ſed magis ſcuto Fidei, & ſcypho cœleſtis refrigerij orbatus, cum vitæ, non modò temporalis, ſed & æternæ diſcrimine corruas in perpetuum damnationis ſoporem, quem diſcutiat Omnipotens.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quò plus aucta viget, plus emicat integra virtus;
Vtque magis duret, ſit moderata decet.

Non ſatietas, non fames, nec aliud quidquam, quod naturæ modum excedat, bonum.

EXPOSITIO MEDICA.

QVidquid Hippocr. de ſomni, & vigiliæ immoderationis euentu protulit in antecedenti, idipſummet de reliquis rebus non naturalibus, circa quas quatuor primi huius ſectionis verſantur aphoriſmi, ſenſiſſe putandum: mos enim, vt diximus, & vernacula conſuetudo Hipp. eſt, aliquo poſito particulari axiomate, eſſe ſecundùm idem vniuerſale eliciendum. Vni tamen non acquieſcens exemplo, in ſomno, & vigilia nuper tradito, noxios omnes exceſſus in alijs ſex rebus non naturalibus probante, ſecunda vtitur demonſtratione per adauctam, vel diminutam nimis alimentorum copiam, proferens, extremam inediam, & ſummam ſatietatem, & quidquid vniuerſim à naturę modo deflexerit, malum, non ſolùm in quantitate, vt ſonare videtur aphor. ſed quocunque modo exceſſerint, & alimenta, & ſex ſimul reliquæ res non naturales, in quantitate, qualitate, ſubſtantia, ordine, ſpatio, figura, mutatione, continuitate, conſenſu, connexione, quæ moderata petit omnia naturæ genius, & inclinatio, quæ cum tota ſit, ſi Gal. credimus, in temperamento, & hoc modificatis conſtet qualitatibus elementarijs meritò temperatis gaudet ipſa conſeruari.

EXPOSITIO MORALIS.

De Temperantia.

IN ſex rebus nõ naturalibus moderatis ſeruatur corporis ſanitas, in Temperantiæ virtute regitur animæ valetudo; exceſſus omnes, & immoderantias damnat Hipp. in pręſenti, & exemplo particulari poſito in fame, & ſatietate, mox vniuerſale tradit pręcęptum, inquiens, *Neque quid aliud, quod naturæ modum excedat, bonum.*

Vnde moderationem, & temperantiam in omnibus quęrendam, atque non in phyſico modò corporis, ſed in morali animæ regimine ſtatuendam concludere videtur. Mala igitur rebus in vniuerſis immoderatio, commendabilis è contra Temperantia. Satietatem, & famem vtráque malam profert Hipp. cum modum exceſſerit. Vitioſa in primis, & mala nimia humanarum rerum ſatietas in his, qui plus iuſto ſaturantur diuitijs, ex quibus ſollicitudines, anxietates, vt diximus, timores, & ea omnia, quæ nimia proſperitatum ſaturitas germinare ſolet incommoda; de quorum diſcrimine tertio licet in primæ ſectionis commento aliqua fuerint expoſita, quędam tamen placuit pro re nata ſubdere in pręſenti. Inſuper igitur ſciat quicunque terrenis ſatur, & humanis turgidus eſt bonis, ex nimia cuiuſlibet optatæ felicitatis ſatietate peſſimos pullulare, & increſcere affectus, acriùs ſcilicet incendi cordis paſſiones, altiùs efferri mentis elationem, promptiùs extingui deuotionis affectum, internæ pacis ocyùs ſubuerti tranquillitatem, laxiùs ſuperbire carnis corruptionem, & Dei, Proximi, mortis, & ſui tandem faciliùs in proſperante pręter modum quolibet aboleri memoriam.

Nimia rerum ſecundarum affluentia inflammat acriùs cordis affectum: vnde quò plus replentur bonis opulenti, plus vltrò habendi torquentur deſiderio: hinc *Venter impiorum inſatiabilis*: Prouer. 13. Terrenis ſaturo bonis mentis elatio inflatior, vt Oſeæ 13. *Saturati ſubleuauerunt cor ſuum, & tunc obliti ſunt mei*: Vnde deuotionis amiſſa dulcedo; terrenis enim ſaporibus aſſueti cœleſtium renuunt ſuauitatem, vt Prouerb. 27. *Anima ſaturata calcabit fauum*. Subuertitur in felicitate ſatiatis internæ pacis tranquillitas, cum non ſecus curis angantur, & metu, ac torminibus, nauſea, & vomitu crapula ſatiatus venter.

In ſatietate nimia ſuperbit laxior carnis corruptio, vt Hierem. 5. *Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabant*. Dei denique, Proximi, mortis, & ſui tandem immemores, in mundanis delicijs ſaginati, & conſepulti, quicunque bonis nimiùm affluunt humanis. Viri diuitiarum, cum tota referta rerum copia, inanes, & vacui nihil inuenient in manibus ſuis. Hęc damna ſunt, & nimiæ ſatietatis emolumenta. Neque minora ſpondet Hipp. in famis exceſſu, in paupertatis ſcilicet, & inopiæ immoderantia, quam ſua

pariter,

pariter, & multò magis moleſta comitantur incommoda; ſua ta-men non caret moderatione miſeria; quamuis enim paupertatis moderatio tota ſit Diuinæ prouidentiæ opera, neque ſit in hominis poteſtate ad arbitrium ditari, & temperare miſeriam, ſuum quoque humilis, & diſcretus inops habere poteſt, & debet in miſeria ſua moderationis modum, ſi non re ipſa, mente ſaltem compoſita, Di-uino ſe ſiſtente beneplacito, qui miſeriam ſuam hilari ſuſtinens animo, neque *Deum*, vt inquit Caſſiod. in pſalm. *cauſat iniquum, quòd non rectè diuidat, nec Proximum criminatur malignum, quòd non planè ſubueniat, qui in miſeria ſua non indignatur, non murmurat, non im-precatur; ſed ideò paupertatem ſuam tolerat, & diligit, quia à quo amatur, oſtendit*. Hæc vera paupertatis temperies; hęc vera moderatio miſeriæ. Noxius deſcriptus ab Hipp. famis exceſſus his aptiùs com-petit, quorum mens inexplebilis mundanis ſemper inhiat lucris. Hi ſiquidem pro voluntatis nutu poſſunt, cum velint, vt iam dixi-mus, moderari ſatietatem, & regulato magis appetitu duci. Famis exceſſus vlteriùs noxius illis, qui reuera ieiunijs, vigilijs, & aſperis alijs caſtigationibus vltra modum vires conterunt, & corpora inor-dinato feruore conſumunt: tales quidem, dum membra indiſcreto macerant ſupplicio, irruente protinùs infirmitatum procella, non reſiſtente debili natura ſuccumbunt: vnde Theologi famis, & ſa-tietatis noxas perpendentes, in ieiunijs ſtatuunt ſic eſſe adhiben-dam temperantiam, vt corpus noſtrum nec ſatietas excitet nec inę-dia ſumma debilitet. Temperies igitur, & moderatio in ſatietate, & fame bona ex Hipp. & vniuerſim rebus in omnibus commenda-bilis temperantia, vt ſentit ipſe, dum intonat *Neque aliud quidquam, quod naturæ modum excedat, bonum*. Modos ergo imponere, tempe-rare, ac moderari diſcat mortalis: potentiam primùm, ſi qua vi-get, ne ſuperbiat; lętitiam, ne deficiat; iuſtitiam, ne ſęuiat; ſcien-tiam, ne decipiat.

In ſcientia, inquam, ne nimis inquiramus, in Diuinis potiſſimùm perſcrutandis; cum non deceat, vt Apoſt. ad Rom. 12. *Plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*.

In iuſtitia, nimis acriter ne puniamus, nec more Tirannico ple-ctamus, & perſequamur, vt Paulus de ſe confeſſus, dum dixit, *Su-pra modum perſequebar Eccleſiam Dei*.

Ponendus etiam modus eſt in lętitia, ne extrema gaudij luctus occupet. Modus ſtatuendus in potentia, vt quiſque ſcilicet in poteſtate ſua, & proſperitate ſe temperet, & componat, & vitis ad morem, quæ ſuperfluunt abſcindat. Vitis enim quolibet putatur anno, & ſibi de palmiteo non ſupra modum relinquitur ligno, ſed iuxta rurales regulas temperatur, ne fortè ramis vberioribus excedens ſterileſcat, & demùm areſcat. Sic diues in proſperitate ramos aliquos diuitiarum ſuarum reſcindat, ac potentiæ, & opulentiæ modum ponat, ne propter exceſſum vitia pullulent, & diſcrimina, ex quibus tota tandem areſcat proſperitas. Modos igitur, & medium teneamus iter, & de proſperitate ſeruemus quantùm ad honeſtiorem ſufficit cuiuſque vitam, vt Prou. cap. 25. ita conſulitur *Inueniſti mel, comede quantum ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud*. Temperantia igitur, & moderantia, repetam, in omnibus commendabilis, vtilis, & ſuauis, in amore, in ſtudio, in otio, in negotio, in doctrina, in eruditione, in omni ſacro, morali, ac politico exercitio laudabilis; nimius amor excęcat, ſtudium nimium dementat, otium nimium corrumpit, indefeſſum negotium fatigat, doctrina nimia debilitat, & inflat, longa nimis prędicatio intellectum alterat, nimiùm vrgens correctio correctum ſuſcitat, nihilque tàm prę-clarum, tàm magnificum cogita, quod moderatione non temperari deſideret: quidquid enim ſupra, vel infra modum eſt, id lubrico, & inſtabili loco eſt, pręſertim ſatietas, & fames, vt cum Hippoc. concludam, nimia ſcilicet proſperitas, & ſumma miſeria: vnde rogandus anxiè Dominus eſt, ne mendicitatem det, & diuitias, ſed victui tantùm tribuat neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciaris ad ſuperbiam, & dicas. Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus fueris, & peiures nomen Domini vt Prou. 30.

DISTICHON APHORISTICVM.

Si cor, lingua, manus nullo moderamine tractent,
Lex, timor, ira Dei, ponat vtriſque modum.

APHO-

APHORISMVS V. SECVNDÆ SECT.

Laſsitudines ſpontaneæ morbos prænunciant.

EXPOSITIO MEDICA.

Rauam morborum, & ſymptomatum diagnoſim circa ea, quæ res ſuggerunt non naturales,tradidit hactenus Hipp. modò migrans ad præternaturales à laſſitudinum progno-ſi exorditur, docens in præſenti quid *ſpontaneæ* prænotent *laſsitudines*, vt, quid pro præcauendis comminatis ab earum præſen-tia morbis, ſit moliendum diſcamus, morborum prodromas præ-nunciat laſſitudines Hipp. qui varij pro laſſitudinum varietate poſ-ſunt prædici. Tres vulgatiſſimæ laſſitudinum ſpecies, Tenſiua,Vl-ceroſa, & Phlegmonoſa. Variam vnaquæque ſortitur cauſę in-dolem; Tenſiua materiæ crudioris, vel ſanguinis copiam muſcu-los impetētem, Vlceroſa acrioris cacochimię vbertatem,Phlegmo-noſa ex vtraque cōpoſita cauſas arguit ex plethorica, & cacochima diſpoſitione commixtas. Vnde non mirum ſi ſpontanea laſſitudo morbum præſagiat, cum à cauſa pendeat præternaturali: ſi verò cauſa fiat manifeſta ab extrinſeco,ita vt cōſueta ſit,vel motū ſequa-tur vehementiorem, vt in itinerantibus, & gymnaſticis, vel à re-pentina fiat victus mutatione, vt in inſolita cibi, ſomni, vel potus dilatione, nihil mali præſagiendum; ſi citra hæc morbos procul dubio portendet longos, vel breues, acutos, vel chronicos pro va-ria morboſi apparatus laſſitudinem faciente copia, & natura, pro partium integritate, vel corruptela, & pro diuerſa virium, tempe-ramenti, habitus, ætatis, ſexus, regionis, vel conſuetudinis conſti-tutione.

EXPOSITIO MORALIS.

De ſignis cælitus immiſsis ad vitæ correctionem.

Vàm pia, prouidaque natura ſit in præmittendis futuri morbi alicuius indicijs, vt antequam fiant, præcaueamus, & quæ

ſuperſtant

ſuperſtant, ſalutis diſcrimina vitemus, quotidiana docet praxis; quàm verò pius, & miſericors ſit Dominus in præmittendis futuræ pœnæ ſignis; vt, antequam vel irruat in hoc ſæculo, vel in illam irruamus nos in futuro, declinare noſcamus; quàm prouidus inquàm ſit Deus in præmonendis per ſigna mortalibus, vt quæ ſuperſtant animæ pericula, diſcant, antequam obruantur, præſeruatiua pęnitentiæ curatione anteuertere, & veteres, & quotidiani paſſim docent euentus: nouit equidem Regius Pſalmiſta, & docuit pſal. 59. inquiens. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Quot ſigna, quot prodigia Deus aperuerit in cęlo, & ſuper terram, ex quibus præmoniti viuentes futuras declinare diſcerent ærumnas, prolixum nimis foret recenſere ſingulas, quaſdam placeat. Neronianę perſecutionis prodromus fuit Solis in meridie defectus, Ieroſolimę excidium prędixit Luna 12. noctibus aſſiduis deliquium paſſa, & Stella gladio ſimilis. Cometarum exortus quot mala mortalibus in omni ſęculo non prędixit; clades Cannenſis Romanorum præſignata fuit per bouem allocutum, per voces infantium ab vtero editas, per ſerpentum volatus, vt Aug. lib. 5. de Ciuitate. Tot ſignis, tot prodigijs erudiuit priſcos, & nos inſtruit quotidiè Deus humanę ſalutis amantiſſimus: mos enim amoris eſt, & zelus amantis à damnis eripere pro viribus amatum, & dilecto ſignare pericula, vt declinare ſciat vniuerſa; Redemptor met ipſe moriens ſigna de cęlo, & à terra voluit erumpi, vt vtriuſque Dominum occubuiſſe ſcirent mortales, & prodigijs edocti Iudęorum proteruiam deteſtari diſcerent, & aptiùs, quàm illi, periclitanti conſulere ſaluti. Sic Deus per ſigna pręmonet, vt ęternas effugiamus pęnas, ſic Deo parens natura per ſigna docet morbos pręnoſci, vt pęnas declinemus temporales. Docent ex Hipp. in preſenti aphoriſmo pręnuncię morborum laſſitudines, hę ſpontaneę futuri morbi faciunt ſignificationem, inquit Hipp. Futurę pęnę ſignificationem ſuę faciunt & laſſitudines in anima, inquit Pſalmiſta, quę non ſecus ſuas patitur, ac corpus; tribus hoc obnoxium generibus, totidem & anima laſſitudinum ſpeciebus; tenſiua, vlceroſa, & inflammatoria ſolent corpora pungi, vel contundi, & ſingulę futuri ſolent eſſe ſigna morbi, ſi ſpontaneę: grauatiua pariter, vlceroſa, & phlegmonoſa in triplici culparum modo concutitur anima, &

certa

certa ſunt futurę damnationis indicia.

Tenſiua laſſitudo penes Medicos eſt, cum ſub ſenſu grauitatis membra adeò ponderoſa ſunt, vt localem vix erigi poſſint ad motum ſine moleſtia, oſcitatione, pandiculatione, & ſegnitie, quæ crudioris humoris, aut ſanguinis copiam, pro cauſa, deſignat.

Vlceroſa, cum ſenſus punctionis in toto corpore acutus adeo eſt, vt ægri velut acubus videantur compungi: hęc in acutiori, mordentique materia ſitam habet cauſam.

Inflammatoria, quæ corpus vniuerſum, pręter grauitatem, quæ ſingulis laſſitudinum ſpeciebus comes it, & mordicationis ſenſum aliquem inęquali afficit calore, non febrili, ſed ad febrem diſpoſitiuo, quo ponderoſa, & prorſus iners, ac confracta videtur corporis moles. Hæc medica laſſitudinum deſcriptio.

Tenſiua animæ laſſitudo in moralibus fit, quæ cum ſenſu pariter grauitatis eſt, & inertia ad motum; & hanc conſtituunt prauæ cogitationes, & mente concepta delicta, quæ cor mundanis,& crudis adeo grauant ſpeciebus, vt mens vndequaque circumſepta, deſidioſa ferè nequeat in Deum moueri, & ſi quando mouetur, cum oſcitatione, & moleſtia feratur, cum fidei nempe torpore, cum venerationis tędio, & piæ intentionis ſegnitie, vt his euenit, qui vt Act. Apoſt. 24. cordis laſſitudine grauati, verbum Dei grauiter audientes, grauiter ambulant in mandatis eius, graue ſentiunt, & criminantur onus legis, & ſibi grauiores, & Proximo, grauiſſimo onerant animas incredulitatis apparatu, quorum diſcrimen, peſſimumque terminum præuidens, & prædicens Pſalmiſta declinare conſulit pſal. 4. hiſce increpans notis. *Filij hominum vſquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

Vlceroſa animæ laſſitudo illa procul dubio, quæ cum ſenſu etiam punctionis eſt, quæ nimirum propter ponderoſam criminoſæ mentis laſſitudinem, qua grauitat peccator; vltrò fertur pungendo cum mordicationis ſenſu; cum ſcilicet acri, & mordica linguæ punctione, doloſa nimirum, detractrice, mendaci,praua, periura, & inuida, gladio velut acuto Proximum pungit, & Deum, feritque ſe ipſum peccator linguam acuens, vt penitus adeat, & famam venenato ſauciet ictu, vt inquit Pſalmiſta 139. *Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentes, & venenum aſpidum ſub lingua eorum*. Ab hac enim laſſitudinis

ſpecie

ſpecie bonus Propheta Deum rogabat aſſiduè, vt ipſum ſeruaret incolumem, inquiens. *A labijs iniquis, & à lingua doloſa libera me*.

Inflammatoria, vel phlegmonoſa animæ laſſitudo eſt, quæ reliquis implicata ſpeciebus ex vtraque conſtat cauſa, cum quis ſcilicet præter mentis, & cordis laſſitudinem grauatiuam, & oris, linguæ, ac labiorum pungitiuam, inflammatorius etiam ſuſcitatur, & angit ſenſus; cum nempe tantus mentis labor eſt in extruendis nequitiæ ſpeciebus, tanta linguæ fatigatio in exponendis, vt perenni vtriuſque motu ſuſcitatus æſtus, & deſiderium complendi opere, quæ corde, & ore patrata fuerant flagitia, in omne tandem facinus nullo delectu mens ipſa prorumpat, & inſtar eorum, qui ſummè fatigati ex itinere, cum delaſſati pergere nequeant vlteriùs, æſtuantes, defeſſi, & ponderoſi ſępe ſępius concidunt eneruati: ita quidem ſub hac laſſitudinis oppreſſione tanta totius potentiæ laxitas eſt, & tanta Peccatorum in criminis æſtu iactatio, vt plus vltra vires non habeant eundi in via nequitiæ omnibus pertritis, præ ponderis, punctionis, & inflammationis ſenſu confracti, contuſi, & gratiæ viribus deſtituti repentino ſępe corruunt caſu, Hipp. prędictionem illuſtrantes; quòd ſcilicet *laſsitudines ſpontaneæ morbos prænunciant*, non materiales phyſicos, & temporales, vt prędixit ille, ſed ſpirituales, deplorandos, & ſempiternos, vt pręnunciauit Omnipotens. Caueat igitur, & pręuia pęnitentia tot morbos anteuertere ſtudeat peccator antequam fiant, nam ſemel facta ſemper facta, & incurabilia prorſus ſunt hæc mala, & nulla datur redemptio. Hæ laſſitudines animæ ſunt criminoſæ. Sunt & tres aliæ laſſitudinum ſpecies, quæ morbos, peccata ſcilicet, antequam fiant, prænunciare ſolent; Prima verè tenſiua, cum intenta adeo eſt in peccaminoſo obiecto ſenſus occupatio, vt, mentem ſtatim rapiat in ſeriam obiecti phantaſmatis contemplationem, quæ torpens, & iners in declinandis culparum ſpeciebus, ad honeſtiores ſegniter, & cum tędio reuocatur. A repetito, & diſcuſſo peccati obiecto obrepit punctionis ſenſus in delectationis titillamento, & vlceroſa fit laſſitudo, quam non raro ſequitur inflammatoria, cum ſuccenditur in delectatione poſſidendi deſiderium, & ſi æſtuans conſentit voluntas, perfecta fit criminis editio. Diſcant igitur, nec mortales tędeat declinare has primas laſſitudinum ſpecies, ne deterioribus fatigati poſt vitæ curſum

ſum concidant, vbi laſſis non datur requies, & vbi quiſquis laſſatus deſcendit perenni cogitur lamentatione ſine ſubſidio repetere illud Sapientiæ 5. effatum. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, & viam Domini ignorauimus.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Signa dat, vt caueas morbos, natura, minantes.
Tartara vt effugias, dat tibi ſigna Deus.



Quicunque dolentes parte aliqua corporis omninò dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat.

EXPOSITIO MEDICA.

IN triſti, ac moleſtâ laſſitudinis ſenſatione futuros prędicere morbos docuit Hipp. in antecedenti aphor. nunc ex abſentia triſtis eiuſdem ſenſationis, vbi ſtat, vel etiamnum vrget moleſtæ ſenſationis cauſa, inſtruit pręſentem dignoſcere mentis lęſionem, inquiens. *Quicunque parte aliqua corporis dolentes omninò dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat*; cum videlicet concurrente aliqua ex primarijs doloris cauſis, ſolutione nimirum continui, ſubita alteratione, aut diſpoſitione aliqua dolorifica, dolor tamen omninò non percipitur, ita vt ægrotantes, nec apprehendant, nec diſcernant, nec agnoſcant, vt Lęthargici, & Phreneticì in ſummo caumate, & linguæ ſcabritie non ſitientes, his omnibus procul dubio mens ægrotat; ſenſus nempe communis corruptus eſt, vel aliò conuerſus, aut omninò proſtratus, obiecti dolorifici qualitatem impreſſam, & paſſiones ſingulas in ſenſorijs factas non apprehendit, neque dijudicat: vnde doloris etiam acuti pręſentis nulla ſenſatio, vt liquet in his, qui fortiter delirant, in quibus ob corruptum iudicium dolores non ſentiuntur, in Apoplecticis, qui punctiones, & tormenta non ſentiunt doloroſiſſima, quòd eorum ſpiritus ſuffocatus ad ſenſoria non influat, in vulneratis per conflictum, qui vulnerum dolorem non ſentiunt, quia mens tota fertur in vulnerantem; in proximè tandem morituris, qui dolores ampliùs non ſentiunt, quòd planè confracta ſit, & proſtrata facultas. Mens vlteriùs ægrotat ijs, qui pręſente, vel imminente alicuius noxæ cauſa, ſuo nihilominus malunt genio indulgere cum diſcrimine, quàm curatione ſibi conſulere cum ſecuritate, & conualeſcentibus accidit non rarò, & adhuc etiamnum infirmis, qui vix ſubleuati nondum tamen à morbo liberi, ſubitam protinus, vel aeris affectant mutationem, vel pleniorem ſibi ſtatuentes victus rationem, medicis

renuunt

renuunt obtemperare mandatis . Mens preterea ægrotat his , qui morbo aliquo correpti, ſpontaneæ ſolutionis ſpe freti, vel halluci-nati, curationem differunt, & in dies, ac dies prorogant preſidia; & tunc ſolùm ſe Medicis committunt, cùm iam morbus altiores egit radices; hi ſiquidem futurum minùs ſentientes dolorem, verè delirantes, quòd ſe ipſos negligant, cenſeri poſſunt.

EXPOSITIO MORALIS.

Delirat peccator, qui peccati moleſtiam non ſentit.

DOloribus torquetur ſuis & Anima, communeſque cum corpore nanciſcitur doloris cauſas, ſubitam ſcilicet alteratio-nem, & ſolutionem continui; peſſima laborat ægritudine, ſi pręſentibus, vel etiamnum vrgentibus doloris cauſis dolorem prorſus non ſentiat. Præſens, & vrgens doloris cauſa, qua cruciari, & concuti deberet anima, peccatum ſanè, obiectum quidem vniuerſa inter dolorifica horribiliter, & immaniter afficiens, non alteratione modò, ſed & penitius ipſam feriens ſolutione continui; alteratione quidem afficitur anima, dum peccatum, non ipſam modò, ſed & immutabilem quodammodò alterat Deum; Animam primò, dum,vt inquit Paul. ad Rom. 1. Mutata gloria incorruptibilis Dei in ſimilitudinē imaginis hominis,ſignatū ſuper eam lumen vultus Domini delens, & atra culpæ caligine obtenebrans per priuationem gratiæ turpiſſimam & alterat, & mutat in Satanæ deformitatem, ideo Deus opus intuens manuum ſuarum peccati ſordibus alteratum, alteratur & ipſe, ac iraſcens deſpicit, peccatoremque gratiæ venuſtate nudum abominatur, ac ſecunda doloris cauſa, ſolutione nempe continui vexatum, à bonis omnibus ſcilicet diuiſum relinquit: quam doloris cauſam populo pertinaci minatus, ſic effatus eſt Iſaias. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum* cap. 59. propter quod repetit Paul. ad Rom. 1. *Tradidit illos in deſideria cordis eorum, & in reprobum ſenſum.* In ammiſſum ſcilicet doloris ſenſum,& ſynderefis, ac conſcientiæ remorſum, quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Peccatum igitur doloris cauſas in ſe continet omnes, quas tamen ſi peccatores minùs ſentiant, non diſcer-

nant, neque dijudicent, cum delictorum peſte ſe certè ſciant infe-ctos, ipſorum mentes peſſimo ægrotare morbo ſignificant; & effe-ris ſymptomatis, delirio nimirum, & cçcitate teneri; delirio quidem cum apprehendant criminis atrocitatem, pęnæ non pendant æternitatem; ſed taliter culpis geſtiunt inuoluti, & infixi peccatores, vt neque ſolutionem continui, & dolores, quibus per peccatum Adæ vulnerata fuit natura tot morbis obnoxia, perſentiant, neque inflictam vulnerum alterationem; qua quotidie eos afficit fortuna tot ærumnis afflua, percipiant. Mens etenim eorum aliò conuerſa, & prauis occupata obiectis rationem coercet, ne moueatur, repetat, & agnoſcat, neque ſenſum communem figit, vt obiecti moleſtiam ſenſorijs patenter impreſſam dijudicet. Vnde qui flagitia cordis non ſentiunt, neque pręſentibus doloris cauſis excitantur, illis comparantur, de quibus in Prou. dicitur *Verberauerunt me, & non dolui, vulnerauerunt me, & non ſenſi.*

Qui dolent vlteriùs, vel dolore vexari, & mœrere deberent quum delinquunt, & dolorē non ſentiunt, mentis cçcitate verè ſunt obtenebrati, quòd obuerſantem videntes non horrent mortis aſpectum, inſtantem ſcientes non metuunt Iudicis aduentum, iudicij non ignorant, & tamen non formidant certitudinem, ſed peccatum pro nihilo habentes nullo ſindęreſis percepto dolore, vel lethargico more in vitiorum profundum demerſi, ſomno conſepulti corruunt dormientes, vel phreneticorum ad inſtar vigilantes, gaudentes, in bonis dies ſuos ducentes, cygnorum more moriuntur cantantes, & ad inferos deſcendunt vlulatus, vbi ſeriò recogitant, & lapſi delirij noſcunt veritatem, qua minùs in viuis cognita, vel mauis neglecta fateri coguntur in tormentis ideo fuiſſe mente excęcatos, quòd illo mentem non inunxerint Fidei collyrio, quo cęci duo Euangelici penes Matth. 9. caligantes mentis oculos illinire curauerunt; hi ſiquidem tranſeunte Ieſu clamantes, & dicentes *Miſerere noſtri Fili Dauid*, protinus illuminati didicerunt ſtatim ex Saluatore dolorificæ cęcitatis cauſam ſolutionem fuiſſe continui, ſeparationem ſcilicet à vera Fide, & ab æterna veritate diuortium, ad quam niſi confugere conſultò decreuiſſent, cum cęcitate ſua vterque procul dubio in foueam damnationis incidiſſet. Vnde Redemptor cognito in ipſis renouandæ Fidei propoſito, intus, & extra illuminatos di-

miſit,

miſit, inquiens, ſecundùm Fidem veſtram fiat vobis: hinc Fidei linimento balſamico conſolidata cum Chriſto, ſoluta diù vnitate, Diuinæ Miſericordiæ, & pietatis Panegyriſtæ; quem dudum non nouerant Dominum confeſſi ſunt & Saluatorem. Diſce peccator & tu, cum cauſa doloris angit, alterat, & ſoluta vnitate, culpæ te ſeparant à Deo, diſce inquam à cęcis Euangelicis ſentire doloris cauſam, noſce te ipſum cum ipſis, noſce delicta, repete vitam, & diſcute delirium. Si cæcitas mentem obnubilat quò minùs iuſtitiam videas, vtere ſtatim cęcorum collyrio, cum deliquiſſe ſcies apprehende doloris cauſam, dolens & tu clama ad Dominum. *Miſerere mei Fili David*. Si te frangunt aduerſa, doloris culpam tribue peccato, & reſipiſcens iterum clama, & Deum cęcorum more ſupplex exora, non vt auertat anguſtiam, ſed vt miſereatur tui: Fideles enim cęci non clamabant, illumina Domine oculos noſtros, ſed Fili Dauid miſerere noſtri, de interna potiùs mentis cęcitate curanda ſolliciti, quàm de oculorum externa. *Quicunque* igitur *parte aliqua corporis dolentes dolorem omninò non ſentiunt, ijs mens ægrotat. Omninò dolorem non ſentiunt*, inquit Hippoc. cum impoſſibile ferè videatur, ſi quem ſentiant mortales culpæ dolorem licet leuem, & penæ præſentiant atrocitatem, in criminis rapi poſſe delirium & ſi fortè pręſens, quin repercuſſa cauſa ocyſſimè ſoluatur. Si qua igitur parte doles peccator, dolorem perpende. Si dolet oculus obſceno vulneratus obtutu, curandi methodum diſce ab Euangelio, *Erue eum, & proijce abs te*, & roga Dominum cum Pſalmiſta, vt auertat oculos tuos, ne videant vanitatem. Si manus dolet gladio grauata, vel rapinis, abſcinde eam, & cum Eccl. 4. pręcare Dominum, vt non ſit porrecta manus tua ad accipiendum. Si dolet auris criminoſo gaudens ſonitu, noſce doloris cauſam, & declinatis mundi confabulationibus, ſanctam ſtatue impoſterum audire vocem Dei, & cum Pſalmiſta dic, *Audiam quid loquatur in me Deus*. Si pes tuus ſcandalizat te, & cauſa doloris eſt, ſi nempe ad lapidem ſcandali, nihil de via Domini ſollicitus, pedem offendis, roga Dominum cum Pſalmiſta, vt ab omni via mala prohibeat pedes tuos, vt ſuos ille, & ne ad lapidem offendas pedem tuum. Vniuerſim quacunque parte corporis dolueris, quacunque ſcilicet fueris à crimine doloris cauſa vexatus, mentem aliò non conuertas, nec alieno coerceas obiecto,

ſed in diſcernenda, atque dijudicanda peccati moleſtia totam dolens impende; & ſciàs, ſi nihil peccati dolorem ſenſeris, te paulò minùs ab immundis animalibus differre, qui ſtercorum fętorem non ſentientes, ſordida delectatione volutantur in illis. Peccati fętorem, moleſtiam, dolorem, & pęnam demum æternam perpende, & ſano iudicio diſcernes quid pro tua conferet ſalute, neque delirus eorum ſequeris veſtigia, qui peccati fętorem non faſtidientes amplexati ſunt ſtercora.

DISTICHON APHORISTICVM.

Parte doles ſuperâ, ſunt culpæ obiecta doloris.
Quò minùs hunc ſentis, mens tibi læſa magis.

APHORISMVS VII. SECVNDÆ SECT.

Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lentè reficere oportet, quæ verò breui, breuiter.

EXPOSITIO MEDICA.

CVm corpus noſtrum in perpetuo fluere ſit, perenni, quoad viuit, inſtauratione ſeruandum, ea ratione, vt id, quod effluit, influentis proportionati acceſſione reparetur; proportio verò influentis ad effluxum, non ſola alimenti qualitate, & quantitate metitur, ſed & tempore, ac modo etiam definitur, vt prȩſens docet aphor. in quo methodum exponit Hipp. deperditam reſtaurandi corporis molem in extenuatis, non conualeſcentibus modò, vt omnes ſentiunt, ſed & in emaciatis vniuerſis, in quibus reficiendis, ſi conſentanea ſeruari debet proportio; cauſæ, & tempus extenuationis ſpectanda; etenim, ſi breui tempore extenuata ſunt corpora, cauſa perpendenda, ſi enim ſumma ſanguinis, aut alterius humoris vacuatio notabitur extenuationis origo, ſi repentina animi conſternatio, vt pleriſque accidiſſe compertum, dolor atrox, aut quid aliud violentum, vt venenum, cholera breui temporis ſpatio corporis exhauſerit ſubiectum, carnoſa partium mole in laxiorem, & viuido colore partium in pallidum verſis, cum ſolius influentis ſpiritus, & humorum, ſine notabili partium ſolidarum damno facta fuerit iactura, ſubitò poterit pleniori, & frequentiori pabulo deperdita refici ſubſtantia; at ſi diuturnior, aut longa, ſenſimque facta emaciatio, ſenſim pariter, & otio multo renouanda; & quò plus prouecta, cautiùs erit integranda; ſic maciei cauſas omnes diligenter diſcutiens viſcerum, & venarum ſtatus animo luſtrandus erit, cum ſȩpiſſimè extenuationis cauſæ ſtent in venis, ob ſanguinis partibus alendis inepti impuritatem, quo tempore non alimentis ſperanda refectio, ſed paulatina ſanguinis detractione, quouſque correcta fuerit eiuſdem labes per alterantia, & copiæ proſpectum phlebotomia. Si minùs hæc ſuſpecta fuerit cauſa, videndum vlteriùs, an extenuata corpora conualeſcentia ſint, & fur-

ĉta morbo, an ſana, & nulla progreſſa ægritudine contabeſcentia; ſi conualeſcentia ſint, & longo fuerint, ac diuturno extenuata morbo, morbique curatione exhauſta, cum ſummè abſumpta putetur tunc temporis partium ſolidarum ſubſtantia, alimentis liquidis, optimi ſucci, longiori, aut breuiori interuallo pro virium perferentia miniſtratis reparanda, vt paulatim reuiuiſcat calor, recreentur ſpiritus, & nutritiua facultas in trahendis, retinendis, & coquendis cibis vires, non grauata, reſumat, validioreſque perſiſtant; ſicque res cęteræ non naturales diſponentur omnes, vt nullus in illis exceſſus abſumptę molis impedire, vel remorari poſſit incrementum. Quodſi nulla pręgreſſa morbi vi extenuata ſint corpora, eadem, vel fortaſſe acuratiori tractanda ſunt methodo, vt poſt longam carcerum inędiam macerata, poſt contumacem obſidionem rabida famę tabeſcentia, poſt laborioſæ peregrinationis, aut nauigationis eſuriem areſcentia, poſt ſponte diù tolerata ieiunia, in his equidem corporibus non protinus exhauſtæ partes plenioribus refouendæ ſunt cibis: à ſolidarum etenim partium ſubſtantia in propria eſſentia infirmata, neque regi, neque aſſimilari pleniora poſſunt alimenta. Vnde paulatinis ſenſim refouenda ſuccendiculis, neex vberioribus morboſi, & lethales ſuccreſcant apparatus, & peſtilentes influxus, poſt debacchatam potiſſimùm annonam, aut longam obſidionem, vt innumera teſtantur poſt longam famem ſubortæ peſtis exempla.

EXPOSITIO MORALIS.

Infideles, & antiquatos peccatores ad pietatem ſenſim alliciendos.

INnocens anima ſano, & ſpecioſo comparatur corpori: hoc integra tandiù fruitur valetudine, & venuſtate, quandiù bona partium tẽperies, ſymmetra conformatio, & vnitas incorrupta ſeruabitur: ſi quid horum deerit, à ſalutis integritate, & decore deflectet. Non ſecus incorrupta ſeruatur animæ ſanitas, & pulchritudo, ſi bona affectuum temperies, concinna virtutum compoſitio, & indiui-
ſa Cha-

ſa Charitatis in Deum ſeruabitur vnitas, ſi quid horum deficiet, à bona valetudine, & ſpecioſitate deſciſcet. Quàm temperati ſit habitus in affectibus, quàm ſymmetræ molis in virtutũ conformatione, quàm tota in vnitate ſpiritus in Deum ſit anima Iuſti, quàm vegeta in Fide, quàm pinguis in gratia, quàm moribus formoſa paſſim teſtatur in Canticis Sponſus Cœleſtis; qui ſpecioſa innocentis animæ venuſtate captus, partiũ, & totius encomiatus decorẽ ſic effari cępit primo Canticorum. *Quàm pulchræ ſunt genæ tuæ*, præ ſancta ſcilicet verecundia; inde 4. eiuſdem. *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ*, ſancto ſcilicet inſidentes cordi, & 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui*, in quærendo nimirum Cœleſti Sponſo ſolliciti, & ſic vlteriùs pergens in encomianda ſigillatim ſancta partium omnium ſymmetria, cum ſingulas deprehenderit integra venuſtate formoſas panegyrim clauſit inquiens. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Vide mortalis, quàm Deo dilecta ſit, quàm ſuauis animæ purioris ſanitas. Hinc diſce, qui forte gaudes Iuſtorum, bonam ſeruare morum temperiem, congruam virtutum ſeriem, & totam in Deum Spiritus vnitatem, ex quibus & ſanitas, & decor omnis animæ; ſanam diſcas tueri animam tuam, vt tàm ſuaui Sponſi Cœleſtis digna ſit encomio. Caue, conſule, & ſtude exactè animam tuam à peccati morbo pręſeruare, ne infirmata tot dotes amittat, attende ne bona morum temperies criminum alteretur exceſſu, ne ſolida moles virtutum vitæ laxitate diruatur, ne Creatori denique ſacrata Spiritus vnitas diuiſa feratur in creaturas; caue denique ne conflata ex his omnibus animæ ſanitas, ſpecies, & decor, ex quo Deus capitur in amantem, culpæ turpitudine deformata, eius amorem mutet in odium, quod procul dubio ſibi comparabunt, quicunque Deo gratam non ſeruauerint animæ valetudinẽ, & inde ſymmetram amiſerint virtutum organizationem, in qua ſtat animæ pulchritudo. Caue, repetam, ne peccati morbo correptus, areſcat in te bona virtutum habitudo, contabeſcat & anima, non ſecus, ac morbis extenuatur corporis moles; & cum Pſalmiſta pſal. 21. coactus ſis fateri: *Aruit ſicut teſta virtus mea*, & pſal. 101. *Aruit cor meum*. Areſcit procul dubio, & extenuatur anima, virtutum pinguedine abſumpta, ab æſtu auaritiæ, & cupiditatis, vt Eccleſiaſt. 14. ſic habetur. *Oculus cupidi in parte iniquitatis non ſatiabitur, donec conſumat areſaciens ani-*
 mam

mam ſuam. Extenuatur & anima igne combuſta luxuriæ: vnde de Aman impudico ſororis Tamar amore ſuccenſo dicitur 2. Reg. *Quare attenuaris fili Regis per ſingulos dies*. Omni culparum æſtu tabeſcere, & extenuari poteſt anima, vt Leuit. 26. populo minatur pertinaci Deus,inquiens: *Tabeſcent in iniquitatibus ſuis*. Quicunque igitur bonam animæ valetudinem amiſerunt per peccatum, & ſubtracto cœleſtis gratiæ pabulo ſenſim, vel ſtatim extenuantur, aut omnimoda meritorum conſumpta pinguedine prorſus ſunt extenuati, & tabeſcentes, à Medico diſcant deperditam reparare gratiæ ſubſtantiam, & areſcentem animam ſacris impinguare alimentis, vt priſtina recuperetur virtutum vnio, & amiſſa recorporetur compages Charitatis. Reſtaurandi methodum ab Hipp. diſcant quicunque Medici ſpirituales animabus ſacro impinguandis pabulo incumbunt, ex aphor. breuibus eliciant expoſitam maciei reparandæ rationem; inquit enim Hippoc. *Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lentè reficere oportet, quæ verò breui, breuiter*. Methodo, qua extenuata corpora renutrire docet Hipp. eademmet extenuatas reſtaurare conſulit animas; hac vtere, ſed antequam aggrediaris, opus eſt vt ſcias, an antiquata, an recenti macie contabeſcat anima. Si tanta fuerit, & prouecta adeo eius extenuatio, vt conſtet quòd habitualis criminum æſtus non modò roridam cęleſtis ſpiritus gratiam abſumpſerit, virtutum exhauſerit carnoſam, ſed quòd altiùs peruagata nequitia ſolidas inuadens Fidei partes animas in extremam proiecerit cōntabeſcentiam, non affatim, ſed ſenſim, vt extenuata corpora, refouendæ ſunt animæ partes; ſi nempe quis in quorundam mentes inciderit Fidei pinguedine deſtitutas, & extenuatas, ſententijs, & doctrinis hęreſim redolentibus iam diù infectas, & impietatis morbo non extenuatas modò, ſed & obſeſſas, & obcęcatas, non affatim plenioribus in eas irruendum doctrinis, & ſententijs obruendæ ſunt oppoſitis, ſed ſenſim, & blandè ad Fidei alimenta alliciendi, reuocandique ſunt: Hębrei potiſſimùm, & Hæretici doctiores; dies non modò, ſed & menſes conterendo in recreanda, vel adducenda deperdita Fidei ſubſtantia, donec ſenſim, & paulatim Fidei pabulis ſaginati cum reliquis Eccleſiæ membris creſcant cęleſtibus donis impinguati; alioquin, ſit malè viuens Catholicus, ſit Hęreticus, ſit Hębreus, ſi longam copioſo ſtatim

dato

dato legis alimēto emaciationem affatim reſtaurare confides, nihil proficies, ſed inualeſcet peior priore prauitas, & obtenebratas mentes non modò obiecto repentè Fidei ſplendore non illuminabis, ſed è conuerſo non ſeruata proportione cęcutientes magis efficies, non ſecus ac Cōſtantius Imperator omni ſuppliciorū genere tyrānidem exercens in Chriſtianos excęcari ſtatuit quamplures, longa priùs illos carceratione detentos, nullo prorſus lucis carcerem irradiante lumine denſiſſimis in tenebris ſeruari iubebat miſeros, poſt diuturnam lucis priuationem, mox in fulgentiſſimam producebat lucem, qua perculſa lumina, cum nimiùm excellens, & extremum foret ſupra ſenſum poſitum ſenſibile, ſenſationē prorſus amittebant vera cęcitate obtenebrati; ita quidem inquit Petrus Chryſol. ſerm. 7. *Diuturno morbo contenebratis mentibus niſi paulatim fuerit Fidei claritas reſtituta, ſubito ipſo Fidei ſplendore magis nequitiæ craſſeſcit caligo.*

Si verò breui tempore extenuata ſit anima, breui reficere oportet, ſi nempe ſolidæ ſubſtantiæ nondum quid paſſa mens eſt à prauo alicuius opinionis conceptu, ſed hęrens fluctuat, & præ fidei imbecillitate vix poteſt regi; tunc ſtatim antequam vlteriori macie tabeſcat, recreanda, & ſanioris doctrinæ alimento renouanda, ne, totius Fidei corpore extenuato, migret in hęreſis marcorem, & renutritioni locus nullus poſtea ſuperſit. Hac equidem methodo opportunè ſacri conſulent Medici; hac eadem tibi ſcient ſine Medici ſubſidio, ſi velint, vniuerſi, ſi qua contabuerint, curare extenuationem. Etenim, qui diù vixiſſe ſcient culpis extenuati, non affatim, ſed ſenſim, quotidianam ſaltem per horam ſedulò, & ſeriò ſuæ recogitabunt extenuationis cauſas, quibus in criminis æſtu ſtatutis ſubſtantificis curabunt ſe fouere alimentis; illo potiſſimùm inter cętera, quibus Medici ſperant maciem in priſtinam reficere molis dimenſionem, ad lactis vſum confugientes. Hoc metipſo refouenda mentis macies, non ad humanæ conſolationis vbera, ſed ad Diuinæ Miſericordiæ mammas accedendo, vbi ſubſtantificum quiſque ſuggere poteſt alimentum, alimentoſam trahere confidentiam, confidentem iterare acceſſum, & tandiù ſuggere, tantùmque emungere, donec cęleſtis gratiæ fouente affluxu, & refrigerio, extincto ſcelerum ardore, & partibus omnibus nequitiæ Diuino lacte humectatis, in priſtinam meritorum molem reſtituta fuerit animæ ſanitas,

V 2 reſto-

refloruerítque eiuſdem venuſtas; ſic ornata pęnitentiæ, & vitæ melioris amictu, grata, placens, & iucunda Deum denuò captabit amantem, cui viuens inſeparata in hoc mundo, immarceſcibili gloriæ pinguedine ſaginata viuet, Deo ſempiterna adhęrens laude, gaudens in cęlis, vbi cum Pſalmiſta 72. inquiet. *Mihi, adhærere Deo, bonum.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Pinguis eras meritis, nunc culpâ tabidus erras:
Corda Deo foueas, denuò pinguis eris.



Si quiſpiam à morbo cibum capiens vires non reci-piat, copioſiore alimento corpus grauari ſignifi-cat; ſi verò modicè epulanti idem eueniat, vacuatione indigere ſignificat.

EXPOSITIO MEDICA.

QVisquis morbo functus, & conualeſcens reſumptiua refici ſtudet dięta; non quod, quale, quantum, & quomodo genius exoptet ſibi afferri, precipiet; ſed pro indigentiæ ratione à morbo, totius, & viſcerum viribus definienda, quam ſi quis exceſſerit (vt non rarò noſtris euenit ægrotantibus) nimia potiſſimùm feminarum indulgentia confractis, non modò vires non reficientur, ſed obrüentur magis: vnde nouus materiæ morbificæ apparatus, & recidiuæ facilis occaſio. Si quis enim à morbo vindicatus, & cauſis eiuſdem ſingulis euictis intégrè iudicatus, benè appetens, & perbellè comedens vires non reſumat, alia procul dubio criminanda cauſa non erit, quàm nimia ciborum vbertas: vnde Hipp. difficiles in conualeſcentibus reſtaurationis cauſas perpendens, ciborum exceſſui primum tribuit impedimentum, veluti ex genio ægrotantis, & indiſcreto aſſidentium zelo frequentius. Mox, ſi nullus in victu comittatur error, & conualeſcens nihilominus ex ritè miniſtratis cibis neque robur, neque molem queat reſumere, ſuperſtitem aliquam in quapiam ex tribus regionibus relictam demonſtrat humoris illuuiem, qua pürus, & methodicè etiam datus cibus impurioris materiæ adhæſu inquinatus, nutritioni minùs aptus, viribus recreandis fit impar. Qua verò corporis in regione relicta ſit impuritas, ex proprijs cuiuſq; ſignis deprehendetur: ſi enim nauſea, ſitis, oris amaror, dolor, vel aliud quodpiam ſymptoma læſam detegens naturalem œconomiam ſe prodierit, in prima corporis regione veriſimile erit relictam iudicare materiam: ſi nullum ex his appareat, & ſaluo appetitu conualeſcens ex incul-

inculpata dięta non recreetur, probabili coniectura ſecundam corporis regionem impuram ſtatuere abſurdum non erit; ſi potiſſimùm vrinæ aliquam dederint impuritatis notam. Tertiam regionem in vitio ſuſpicari oportebit, ſi impuro conſtipata ſucco, cutanea non ſinat effluuia liberè difflari, quibus retentis; & labes in venis; & vitioſa partium nutritio, ex qua virium negata refectio. Habitus autem corporis impuri characterem ex colore, laxitate, vel tumeſcentia, aut extenuatione colliges pręternaturali, modò cauſa aliunde non influat; hiſce concurrentibus cauſis, non adiectione, ſed detractione refouendæ ſunt vires validis; vel epicraticis per phlebotomiam, aut purgationem vacuationibus pro natura, & ſede relictæ materiæ moliendis, vt renutritioni detur locus, cui tandiù nullus erit, quandiù intus retenta labes oblatum inquinare poterit alimentum: hinc eſt quòd Hipp. nulla victui data culpa, viribus ex cibo non reſumptis, conualeſcentes purgatione indigere concludit.

EXPOSITIO MORALIS.

Cur, & quando Euchariſtica refectio non recreet Animam.

Anima per pœnitentiam à peccato vindicata à magno conualuit morbo, ſi Sacramentali Confeſſione adeo fuerit à peccati ſordibus expiata, vt criminoſa omni depulſa materia nulla labes, nullus reſtiterit ad ſcelera affectus, ex quo recidiuæ metus impendeat, & occaſio; ſi iudicata ſic integrè fuerit ægritudo. Suis & Anima conualeſcens erit reſtauranda cibis non minùs, quàm corpus à morbo euadens, vt robur, & vires redimat, & reſarciat amiſſas. Materialem dedit eſcam corpori naturæ prouidentia, ſpiritualem pręſtitit in Euchariſtico cibo Saluatoris benignitas; hoc de cœlis illapſo alimento cõualeſcentes à peccato refouere voluit vniuerſos Redemptoris dilectio, ſi ea fide, & veneratione Cibum ſumpſerint, quæ tantum decet Sacramentum; hic Panis viuus pleniſſima procul dubio nutriet ſubſtantia; per vitiorum correctionem viuidior florebit in anima character, per virtutis merita pietatis actiones

nes edet illa validiores, & vires omnes planè roboratas in explendis mandatis Dei vegetiores reſumet. At ſi quis à peccato conualeſcens tam ſubſtantifico nutritus Cibo vires non recipiet; ita vt ignorata Cibi pręſtantia, neque guſtet ſuauitatem, neque ſentiat effectum; ſed mens Diuino ſegnior in Amore, tepens, & ſopita ex Angelica hac refectione nullum ferè percipiat ſolatium, cauſa ex Hipp. audienda eſt, & eademmet ſtatuenda, quam in pręſenti aphoriſmo conualeſcentibus cibo ſumpto non refectis tribuit Author; inquit enim *Si à morbo quiſpiam cibum ſumens vires non recipiat, corpus copioſiore alimento grauari ſignificat; ſi verò modicè epulanti id eueniat, vacuatione indigere ſignificat*; neque diuerſas damnare cauſas fas eſt, cum quis à peccati morbo conualeſcens, cibo refectus Euchariſtico, vires non reſarcit ſpirituales; vel enim copioſiore, quàm par ſit, animam onerari cibo ſignificat, vel à ſuperſtite intus morbida materia bonum fędari alimentum, & nutritioni minùs idoneum potiùs atterere, quàm reſarcire vires. Qui pleniſſimo onerant animam alimento, ſunt ſanè omnes, qui nimia freti confidentia, quæ cibus eſt animæ, vel de proprio merito nimiùm prę́ſumentes, vel Diuinæ Miſericordiæ temerè fidentes, commendata, ac debita fide, & veneratione Sacrum non ſumunt Cibum; hi ſiquidem cum ſibi nimiùm adulentur, damnaque ex libera nimis pręſumptione premanantia non perpendant, cum Sacratiſſimam ſumpſerint Hoſtiam magis grauantur, & nihilò vegetiores in lege Domini, ſed imbecilliores in dies euadunt. Vnde meritò Apoſt. 1. ad Corinth. inquit *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Multi, inquit, infirmi, quòd gratiæ robur, & ſanitas imperfecta Euchariſtici Cibi nutritione non aquiratur; imbecilles, quòd ſacroſancto Cibo, cum plurimus ſit energia, vbi meritorum vires non ſuppetunt, grauari magis, & eneruari contingat; & dormiunt multi ſub ignorantiæ ſomno, eximiæ, & excelſæ ſumpti, & ſumentis pręſtantiæ obliti. Quiſquis igitur non dijudicans corpus Domini, Dominica cœna nimio confidentiæ auſu recreari pręſumit, vlteriori Spiritus imbecillitate, & torpore deluſus non reſtaurabitur, neque robur aquiret, niſi profunda fuerit Humilitate paratus, & ex intimo corde voces ediderit Centurionis. *Domine non ſum dignus*.

Non roborantur vlteriùs Euchariſtica refectione, qui plurimo abutun-

abutuntur alimento, qui ſcilicet alienis infarcti facultatibus, pauperum humectati ſudoribus ad ſalutis Eſcam accedunt, nulla de bonis malè partis excitante ſinderesi: hi ſanè ex plurimo cibo vires nequeunt reſumere: cur preterea minùs ex cibis roborentur conualeſcétes, & cur ægrè poſſint recolligere vires? cauſam refert Hipp. (vbi nullus cibi intercedit error) in relictas intus impuritates, quibus bonum labefactatur alimentum, minùſque refouendo corpori opportunum vires refici non permittat; ſic etiam cibo ſumpto Euchariſtico non recreantur à peccatis conualeſcentes, quòd relicta fortaſſe ſit intus aliqua impuritas, totum ſacræ refectionis effectum corrumpens: Vnde ſi ſacro cibo paſtis nullus animæ vigor adijciatur, euacuatione indigere exactiſſima inquit Hipp. cum ſcilicet ſacroſancti ab vſu Panis nulla interiùs fouet conſolatio, ita vt nihilò melior fias, nihilò feruentior euadas in ſpiritu. Scrutare igitur diligenter an minera adhuc aliqua peccati putrida in corde relicta, an affectus ſcilicet, & genius aliquis ad crimina ſuperſtes acceſſum gratiæ impediens animam non ſinat donis cęleſtibus roborari, diſcute idcircò, & ſedulò attende, quam relicta labes animæ corporis obſideat regionem, an Primam videlicet, an Secundam; vel Tertiam, & medica te ducat ad ſingularum diſquiſitionem diagnoſis: ſi ad gulæ luxum ſeruata diſpoſitio ſanctum fędare poteſt alimentum, ſi ventris delectant, & vrgent incitamenta, ſi cogit amare iecur, & impuræ det Veneri materiam, primam corporis regionem conijcies infectam: vnde per continentiam protinus, & ieiunia prauam ſtudebis corrigere diſpoſitionem, vt omni ingluuiei, & obſcęnitatis impuritate depulſa, cęleſti locum prębeas alimento, & calicem ſalutaris accipiens, mundana deinceps reſpuas, & horreas pocula, quouſque Diuino inebriatus voluptatum torrente in æternum concinas cum pſal. 22. *Calix meus inebrians, quàm preclarus eſt.*

In ſecunda corporis regione relictam peccati materiam medica confectaberis methodo; ex ſpectato in maſſa ſanguinis inquinamento; ſi nempe ſanguis, & ſanguine fama dignior fratris tui; ille gladio effuſus proditorio, hæc dentibus lacerata detractorijs, Euchariſticum Saluatoris Sanguinem in animæ ſubſtantiam conuerti prohibeat: ſi ſanguis, & honor effuſus clamat ad Dominum, & vindicem tibi prępatat, quem miſericordem ſumere prężumis in

Menſa,

Menſa; vade ſtatim reconciliari fratri tuo, debitum redde famæ ſplendorem, vtriuſque ſtude reſtaurare iacturas, & tunc ab Eucha-riſtica refectione validioribus roborata Diuinæ gratiæ præſidijs, priſtinas anima reſumet innocentiæ vires, & memor eris perpetuò, quòd *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus*.

In Tertia corporis regione ſtagnantem conijcies animæ impuritatem, cùm moles eius totâ humanis conſtipata reſpectibus, terrenis vndequaque circumſepta delicijs, liberâ non ſinit fuliginoſa reconditi alicuius criminis effluuia tranſpirare, ita vt ſtudiosè retenta prauitas, nec ſalutari Confeſſionis Pharmaco purgata, impedimento ſit, quò minùs propitiatorij Panis pabulo propitiam redimere poſſit Dei gratiam, & priſtinas reſumere Charitatis vires. Vnde præ verecundia, vel malitia non aperiens os ſuum, neque ſpiritum attrahit, neque robur redimet puritatis. Quicunque igitur Pane refecti Euchariſtico nullũ ſentiunt tam ſalutaris Cibi fructum, neque roborantur in æquitate, ſed celeſti, ac puriſſimo Conuiuio impuriores fiunt, magiſque terreni, cauſam diligenter percurrant, & videant, qua preparatione ad Dominicam acceſſerint Menſam, & quò propoſito receſſerint: ſi enim perfectè à peccatis purgata non fuerit anima, ſciant vlteriori vacuatione indigere. Purgationis formam docet Rex Aza 3. Reg. cap. 15. qui ſuſceptis Iſraelitici regni gubernaculis *Purgauit vniuerſas ſordes idolorum, quæ fecerant Patres eius*. Imitanda ſanè purgatio, qua niſi tu etiam vniuerſas purgaueris ſordes idolòrum tuorum, affectuum ſcilicet, & paſſionum tuarum, neutiquam poteris ex aſſumpto millies Corpore Chriſti celeſtium donorum participatione gaudere. Munda igitur, purifica, & exactiſſimè ſingulas deterge ſpiritus maculas, & antequam Dominicæ Cœnæ diſcumbere preſumas, Dominum roga, cum Pſalmiſta, vt cor tibi nouum procreet, & ab omni peccati labe mundum, vt faciliùs poſſis à peccato verè conualeſcens recreari, & robur gratiæ redimere; hocque ad futuram vſque gloriam ſeruare incorruptum.

DISTICHON APHORISTICVM.

Si tibi cœleſtis vires non augeat Eſca:
Intus adhuc labes eÿcienda latet.

APHORISMVS IX. SECVNDÆ SECT.

Impura corpora quò plus nutries, eò magis lædes.

EXPOSITIO MEDICA.

IMpura corpora diuerſi ſunt ordinis; vel enim ſub conua-leſcentium claſſe continentur (de quibus eſſe videtur Hipp. ſermo) vel ſanorum numero includuntur. Sana corpora, ſed impura (ſi impura poſſunt ſana dici) ſunt quæcunque morboſa ſtirpe ſata, impura habent primordia, impu-ris ſemper humoribus referta: in his enim nulla poteſt nutritionis nota pręſcribi, niſi ea, quæ ſecundùm diuerſitatem latitudinis pro-priæ cuique debetur conſtitutioni, quæ licet impuritatibus progi-gnendis ſit opportuna; cibis tamen purioribus diù, & methodicè miniſtratis, ſi non funditus euerti, aliquando ſaltem poterit in me-liorem temperari: in hac quò vberior, & purior ſeruabitur diętæ ratio, etiamſi impura ſint corpora, magis proficies. Impura cor-pora ſub conualeſcentium ordine in duplici ſunt diſcrimine; vel enim propter morboſæ materiæ reliquias impura relinquuntur à morbo; vel ob victus errata noua ſuccreſcente illuuie ſordida fiunt, & impura: In vtraque impuritatis ſpecie, quò plus corpus ales, plus & genitas, vel relictas nutries morbi cauſas, vberiorique facta, ac per regiones ſingulas peruagata cacochimia puriſſimum quodq; in-quinabit alimentum, quo per impurioris organi, & materiæ adhæ-ſum, & conſortium labefactato, nouus morbi apparatus, & inde lapſus pronior in recidiuam, cuius noxa declinabitur, ſi poſt con-gruam victus pręſcriptam rationem opportunis, & paulatinis vacua-tionibus (vt in antecedenti aphor. diximus) quidquid ſuperfluum corruptum vacuabitur, & tempeſtiuè dato medicamentoſo alimen-to viribus proſpicietur, vitioſam partium, & humorum qualitatem corrigendo, & diſcraſias omnes in contrarium alterando, vt tutior detur renutritioni locus.

EXPO-

Impuras animas à Cœleſti Pane magis lædi, quàm refici.

IMpuras animas Cibo Euchariſtico non roborari protuli ex Hipp. in epilogo antecedentis aphoriſmi, nunc ominoſa magis prognoſi pronunciatur non ſolùm non roborari, ſed vlteriùs manifeſtè lędi, dum inquit. *Impura corpora, quò plus nutries, eò magis lædes*, Lædes mehercle, ſi animam peccati labe inquinatam, nec culpis omnibus humili, & diſquiſitiſſima priùs Confeſſione purgatis, cibo ſuper aſſumpto Euchariſtico nutrire præſumes; ſanè lædes, & læſione enormiſſima Diuinam primò Maieſtatem; mox te ipſum: Deum quidem lædes, quòd *reus eris* (vt inquit Paul.) *Corporis, & Sanguinis Domini*; te ipſum è veſtigio, ſi manducabis impurus, & bibes indignus, & ſcias, quòd tandiù indignus ſumes, quandiù impurus accedes, & cum impurus acceſſeris ſemper eris indignus. Vnde *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, ex Paulo; æternæ ſcilicet bibit damnationis ſententiam, lęſionem vniuerſas inter lacrymabiles irreparabilem. Ne igitur Panis vitæ tibi fiat, tuoque vitio, non ſui natura, pabulum mortis; ſordes, vt diximus, impuritates, & cacochimos omnes animæ apparatus funditus eradicatiua purgatione deterge, deturba, eijce, vt Sacramentatus Panis puro mentis ventre receptus bonam conuerti poſſit in animæ ſuſtentationem, & ab ea lęſione prætueri, quam minatur impurè ſumentibus Saluator. Caue igitur, ne indignus Panem comedas Angelorum, ad Chriſti calicem impura non appropies labia, ne Iudæ lęſionem ſentias. Bibit quidem ille, ſed nec ſaturauit, nec ſitim extinguit ignis æterni, quia indignus ſitiuit myſteria Chriſti: ingratus, quantò plus à Domino nutritus beneficijs, plus ſaturatus prodigijs, plus ſaginatus officijs, ſemper magis lęſus, quia ſemper magis impurus, etiamſi poſt cœnam lotus, nihilominus immundus, mundanis in loculis conceptam gerens impuritatis mineram, ex qua tandem proditorium prodijt lęſæ Diuinæ Maieſtatis delictum, & inde lęſo turpiter Domino, ſempiterna ſe ipſum lęſit damnatione.

ne. Purus igitur accedere ſtudeas ad Corpus, quod puriſſimo conceptum intactæ Virginis in vtero, puriſſimo formatum ſanguine, puriſſimo viuens ſpiritu, puriſſima exigit omnia. Si priſtina ſpectemus ſacrificia, holocauſta vniuerſa de puris Deus offerri volebat animantibus; nunc verò non animantia, ſed animas ipſas in Hoſtiæ ſumptione immolari pręcipit puriſſimas, habentes ſcilicet (vt inquit) myſterium Fidei in conſcientia pura, cum Chriſtus ſe purum puris diſtribuerit in cibum, tradens, & figurans Corpus ſuum in Pane, quod accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in paſſionibus, datur in exemplis, ſumitur in doctrinis; firmans calicem aqua, & vino commixtum in Sanguinem ſuum, vt vno purgaremur à culpis, altero redimeremur à pęnis; Sanguine namque Agni ſeruatur domus à percuſſione Angeli, & aqua maris rubri extinguuntur inimici, quæ ſunt myſteria Eccleſiæ Dei, vt Hieron. ſup. Luc. *Vide ergo*, inquit Ambroſ. *quanta cordis contritione, quo lacrymarum fonte lotus, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & mentis puritate ad tantum debes accedere Myſterium.* Impurus igitur ne acceſſeris, ne magis lędaris, & diſcas, ne animam lędas, & corpus, membra dignoſcere, vbi ſedes eſt criminis, vt, ſubtracto pabulo vitij, impuritatem virtute vacues oppoſita.

Si ſordet caput præ ſuperbia, ſubtracto faſtu, impuritatem vacuabit humilitas. Si impurus eſt oculus in inuidia, temperato liuore, ſordem deterget æquanimitas. Si pectus in ira labem continet, manſuetudo purgabit rabiem. Si ſordent manus in auaritia, impuritatem deijciet eleemoſyna. Sordet venter ob ingluuiem? inquinamentum deterget ieiunium. Impuri ſunt renes in luxuria? obſcęnitates comprimet continentia. Sordeſcunt pedes in accidia? infectionem ſancta vacuabit ſollicitudo. Si denique conſpurcatis hiſce membris vlteriora dabis alimenta, profundiùs lędes, & à planta ad verticem vſque non erit tibi puritas, neque ſanitas. Turbatum caput, quò plus ſuperbiæ flatibus implebis, eò magis lędes; etenim quas turgidum erexerat, ſors diruet machinas. Infectos oculos, quò plus inuida emulatione fouebis, eò magis lędes, obcęcati tandem in tartari foueam te ſecum conferent. Labefactatum pectus, quò plus iracunda indignatione nutries, eò magis lædes; corruet enim promptiùs in quælibet flagitia. Inquinatas ma-

nus,

nus, quò plus alienis nutries bonis, eò magis lędes, ad furta, & homicidia diſpoſitas reddes. Immundum ventrem, quò pinguioribus nutries epulis, eò magis lędes, & tandem incurabiles in morbos te conijcient. Impuros renes, quò plus turpi nutries laſciuia, eò magis lędes, pleni illuſionibus te demùm decipient. Torpidos pedes, quò plus ſtagnanti nutries otio, eò magis lędes, ad ſcandali lapidem offendentes citiùs, lapſus in omnes criminum proniores corruent. Neque ſolùm impura huiuſmodi delictorum corpora, verum & vniuerſa, quò plus dilectis nutries obiectis, eò magis lędes; hæc autem ſingula, ſi ſemel, aut ſeorſim animam poſſident, & labefactant ſpiritum, impuramque conſtituant eius formam, quò plus eam Pane nutries Euchariſtico, magis lędes, vt inquit Chryſoſt. hom. 5. ſuper Matth. his verbis *Sicut corporalis cibus, cum ventrem inuenit aduerſis humoribus occupatum, ampliùs lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium, ita & ſpiritualis Cibus, ſi aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non ſui natura, ſed ſumentis vitio*. Magis demum perdet, & lędet, ſi pręgreſſa etiam exactiſſima per Sacramentalem Confeſſionem purgatione, ſumentis animus in tanti Sacramenti diſcuſſionem cęca ratione feratur, & obiectas ſenſibus ambages craſſa minimè adeundas minerua non capiens, captus tandem torpore fidei Cibum ſumat Euchariſticum. Accede quæſo qui non capis, quod non vides, quid te torquet? quid hærens titubas? Neſcis fortaſſe quomodo poſſunt hæc fieri, & cum turbis Iudęorum mens tua litigans quęrit, & ſciſcitatur, quomodo Saluator poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Notum tibi ſit, quòd aduerbium hoc *quomodo* modi rationem ſignificat in cœlis concinnatam, & nobis prorſus abſconditám. Si quam tamen peroptas, anxietati reſpondeo Gabrielis vtens reſponſo ad Virginem Mariam de Verbi incarnationé pręmonitam. Audiens illa ex cęleſti Nuntio Dei Matrem fuiſſe electam, turbata reſpondit. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Anxiæ Virgini, poſtulantique, quomodo, ſubdidit Angelus. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, nec alterum aperuit modum. Hoc eodem vtere aligeri Paranimphi reſponſo, cum Chriſti carnem Fides iubet ſub panis accidentibus venerandam, & recolendum ſub meri accidentibus eius ſanguinem, ſi mens anxia ſiſcitatur, vel mauis ſcrutari

ſuadet

ſuadet Tētator quomodo fit iſtud, quoniam carnem non cognoſco, ſola panis ſpecie ſenſibus oblata, reſpondeat Fides, Spiritus Sanctus ſuperueniet in me,& virtus Altiſſimi obumbrabit mihi, neque mentiri potuit Saluator; inquit enim *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*. Reſpondeat Fides vlteriùs, quod Ambroſ. l. 3. de Sacramentis hiſce notis reſpondet *Si tantum valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, vt ſpecies elementorum mutentur? de totius mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt; ſermo igitur Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt mutare in illud, quod non ſunt? Non enim eſt minùs nouas rebus dare formas, quàm mutare naturas*. Hec ille. Cęcos idcircò Fides habet oculos, ſed oculatiſſimam mentem, vt illi materialiter videntes non videant, & hæc ſpirituali acutior acie propiùs videat, quod longè diſtat, & ſenſibus nequit diſcernere. Ne vacilles ergo, neque timeas, quicunque ſis, qui Diuinam ſumis Eſcam, ſiſte rationis iter, nec vltro mens pergat in Sacramenti diſcuſſionem, audi,quod conſulit Bern. in epiſt. his verbis: *Sacramentum Dei Altiſsimi ſuſcipiendum eſt, non diſcutiendum; venerandum, non dijudicandum; Fide ſortitum, non innatum, traditione ſancitum, non traditione adinuentum*. Non igitur queras in hoc Cibo naturæ ordinem; inquit enim Ambroſ. lib. de Sacrament. *Liquet, quod præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt, quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore? cum præter naturam ſit ipſe partus ex Virgine*. Coerce rationem, ſollicitudo tua tota ſit, vt dignus, & purus Cibum ſumas, & fidelis; etenim ſi fidelis, & purus, ſpondet Fides pro Saluatore, quod ſpopondit Angelus Matri Virgini pro Creatore, dicens, *Inueniſti gratiam apud Dominum*: ſi ſordidus, & impurus Hoſtiam comedes ſalutarem, non modò gratiam non inuenies, ſed arguet te Deus, & increpabit, vt olim Moyſes iratus contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron, qui remanſerant, increpauit dicens, *Cur non comeditis Hoſtiam pro peccato in loco ſancto*, ideſt in conſcientia pura, vt referunt ſeptuaginta Interpretes, *quæ ſancta ſanctorum eſt*. Leuit. cap. 10.

DISTICHON APHORISTICVM.

Pura cibat puros, impuros Hoſtia lædit.
Quò plus ſordet edens, plus quoque læſus erit.

APHO-

APHORISMVS X. SECVNDÆ SECT.

Corpora, vbi quis purgare voluerit, oportet fluida facere.

EXPOSITIO MEDICA.

PVrgationem Methodica præire debet præparatio, ſi morbus, & materia dant inducias. In præcipiti affectu vbi purgatio conuenit, nulla præmiſſa præparatione, protinus adhibenda, materia maligna, & venenata, nulla mora, ſtatim deturbanda, non intus modò, ſed & extra, vt in tumoribus pernicioſis, & epidemicis. At ſi morbus moram patitur, & præparationem vel morboſus exigat apparatus, vel vaſa, aut natura, ſingulis pro methodo proſpiciendum: Natura, ſi ſegnis, ſæpius ad expulſionem proritanda clyſteribus, humores apparatum conſtituentes iuxta propriam cuiuſque indolem, ſi craſſi, lenti, viſcidique ſint, attenuandi, detergendi, incidendique ſunt; ſi tenues, quandoque modicè incraſſandi, cum metus eſt potiſſimùm ne nimiùm tenues acriùs excandeſcant, vel in ægrotantis perniciem moueantur orgaſmo. Vaſa obſtructa reſeranda, expedienda præcipuè ſunt ora vaſorum, vt obice omni ſublato fluendis humoribus à venis aditus pateat ad ventrem, naturaque vim medicamenti altiùs ſentiens, in expellenda materia expeditior fit, & propenſior. Hi tres vulgares ſunt præuiæ ad purgationem præparationis modi, qui benigniori & morbo, & purgatione conueniunt: at in rebelli affectu, cui validiſſima competit purgatio, tres extant aliæ præparationis formæ, per Balneum ſcilicet, Cibum, & Motum: balneo vtimur, vt corpus magis ſit patulum, humorque peccans ſequacior; cibo, vt humectata materia fluat faciliùs; motu, poſt aſſumptum purgans, vt infixus magis excitetur, & excutiatur humor: praxis quidem non contemnenda, vbi rebellis morbus vrget, & refractaria cauſa reſiſtit, quam vel elleboro, vel antimonio, vel alio vehementiore cathartico nitimur debellare. Hac eadem methodo progredi conuenit in purgatione, quæ in lue venerea per Ptyaliſmum inſti-

inſtituitur; In hac enim antequam per inunctionem , vel ſuffimigium , vel quandoque etiam per aſſumptum bolum ex hydrargiro ſputi promoueatur eruptio , ęgrum per quatuor , vel q... que vices expedit balneare, mox inungendus, & liquidis aliment.., vt iuſculis, per totam ſputi productionem alendus eſt breuioribus interuallis , vt Venerea minera , quæ viſcidis ſtagnare ſolęt in craſſamentis balneo , & cibo liquidiore fuſa promptiùs euehatur , & influat in fauces , ſolo interdicto motu , & aeris acceſſu , qui fluente ſputo vitandus omnis erit .

EXPOSITIO MORALIS.

De Præparatione ad Sacramentalem Confeſsionem.

ANimæ purgationem Sacramentali Confeſſione abſoluendam ſecunda iam ſtatuimus, & 22. primæ Sectionis in expoſitione, quòd ſua quamque præire debet præparatio ; de hac enim non nulla licet illic, & alibi præmiſſa fuerint, aliqua tamen hic ſubnectenda putauimus , vt medica conſtet ex methodo eaſdemmet in ſpirituali purgatione ſeruandas regulas, quas tenet Medicus in materiali . Vtraque corporis , & animæ purgatio ſuam poſtulat præparationem , ſed animæ tantò ſolertior ſit oportet , quantò dignior corpore , & intenta ſalus præſtantior. Tres Medicina ſtatuit præparationis ſpecies pro præparandi obiecti varietate ſeruandas; Vaſorum nempe primam , Humorum ſecundam , & Naturæ poſtremam ; totidem , nec diuerſas exigit anima .

Sua data ſunt animabus vaſa , quæ malè diſpoſita , ad purgationem præparari deſiderant; hæc autem corpora ſunt vaſa fictilia ab Apoſt. dicta , quæ ſi vitiata ſint , & inepta ad purgationem , præparanda . Præparationem docet Paul. ad Rom. 1. *Obſecro* , (inquit ille) *vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem , ſanctam , Deo placentem* . Quid viuens hoſtia , ſancta , placenſque Deo , niſi corpus , quod pęnitentię purgatione mundum , purumque per Sacramentalem Confeſſionem debet Deo offerri ? Oblatio autem iſta , quò iucundior, & acceptior Deo ſit , omni debet impuritate carere ; & ſi qua ſordet , integra debet purgatione mundari ; Purgatio verò , vt inte-

integra ſequatur,præuiam petit culparum omnium præparationem; Hęc denique omnia, quò promptiora ſint, & expeditiora, primò vaſa omnia, & vias in plenam criminum purgationem directas, liberas, nec vllis ſeculi deſiderijs; neque carnis illecebris obſtructas eſſe oportet, vt omnibus ſublatis vaſorum impedimentis, quæ perfectam poſſunt remorari, vel interturbare, vel prorſus prohibere ſcelerum purgationem, omnibus numeris abſoluta ſequatur animæ deputatio, & vaſa omnia, partes ſcilicet omnes inſtrumentales culpæ, quæ vaſa mortis à Pſalmiſta dicta ſunt, vaſa fiant honoris, electionis, & ſanctificationis, cum Paulo, primo ad Theſſal. vbi ſic habet *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum, corpus ſcilicet ſuum poſsidere in ſanctificatione, & honore, non in paſsione deſiderij.*

Humorum præparatio in Sacramentali purgatione nulla ſanè, niſi paſſionum decreta correctio; Si quæ rebellis eſt, tenax, & viſcida peccati materia, vt per habitum infixa vix poſſit ab animæ viſceribus diuelli, præparanti ex oppoſitis virtutibus compoſito diſponenda; ſi viſciditas, & tenacitas in humore auaritiæ poſita ſit, eleemoſynis attenuanda, incidendaque auaritiæ materia, per lucri cuiuſlibet illiciti, vel nequioris negotij declinationem, & abſtinentiam; ſi bilioſa materia feruet in Ira, rixis, contentionibus, animo compeſcenda pacatiori, & manſuetudine incraſſanda, ne orgaſmo mota in propriam, vel alienam concitetur perniciem; Si malignus humor in Inuidia ſæuiat, & detractione, Charitatis, & dilectionis alexipharmaco corrigendus, & inde reliquæ è veſtigio corrigendę, pręparandęque paſſiones ſunt, vt deterſa, & diſpoſita omni culparum materia, demptiſque obſtaculis, humano nullo præpedita reſpectu libera fluat Confeſſio; ſuccedatque conferens, & benè tolerata criminum vacuatio.

Naturę pręparatio in Sacramentali Confeſſione completur, rebellem, vel tardum nimis animum ſępius ad expulſionem criminum irritando per obiecta diſcrimina, quæ ex culpa non purgata ſuperſtant; Enimuerò ſi prauæ indolis habitus, nihil de Confeſſione ſollicitus, moueri ſponte renuat ad ſcelerum purgationem, proritanda ſępius exemplo, conſilio, & zelo, & renitens compellenda eſt natura, vt partibus omnibus abſoluta pręparatione, ſuccedat eradicatiua

dicatiua purgatio, natura ipſa adminiculante. Partes autem bonæ Confeſſionis ſexdecim conſtabunt conditionibus triplici carmine celebratis, vt, Confeſſio.

Integra ſit, ſimplex, humilis, verecunda, fidelis,
Pura, frequens, ſecreta, libens, celerata, dolenſque,
Nuda, vel accuſans, fortis, diſcretaque, parens.

Vt autem partes haſce ſingulas integra poſſis Confeſſione complere, te totum mundanis, vt dictum eſt, arceas ab illecebris expedit, & quidquid animam terrenis fędare deſiderijs poteſt, purges. Purgabis autem facilè, ſi vniuerſa recogitans ſub Sole humanæ felicitatis corpora, quæque ſint, ſiue poteſtate, ſiue diuitijs, ſiue dignitate micantia, parui facies, aut nihili duces; hæc enim cum purgare volueris, vel declinare ſingula, oportet fluida facere; tranſitoria ſcilicet, lubrica, mutabilia, & fortunæ ludis ſubdita ęſtimare, quod idem ſonat, ac fluida facere, non terrena modò extrinſeca, ſed corpus inter cętera fluidius contemplari. Hac animaduerſione humana quælibet corpora, ex quibus conflata fuerunt vitia, cum volueris, fluida faciens, purgare poteris, & declinare ſingula; nec ferè acutior ad purganda delictorum corpora ſtimulus, quàm terrena quęque fluida facere, & inconſtantia fateri; At proh dolor! cęca mortalium mens, præſentibus circumfuſa, & deluſa bonis, futuras proſpicere negligit mutationes, & eò cęcitatis ad ſummum obtenebrati ſunt mortales, vt dementantes in præſentis, ſi quæ arridet, ſortis libidine, quęritent ex lutulentę caducitatis viſceribus interminabilem eruere felicitatis mineram; quorum liceat omnium diruere, & confundere ſententias, & pueriliter omnes ſentire pronunciemus, qui tabidi, ſemperque morientis operis humani præſidio fluidam nequaquam putant, nec metuunt mundanæ felicitatis ſubſtantiam; hanc fluidam, mobilem, & perpetuo circuitu mutabilem proferunt edaciſſima temporis rabies, & humanæ ſortis viciſſitudo, quę faſtus omnes, dignitates, potentias, Regna, & Imperia ipſa in propriam deglutiunt voracitatem. Si quæ igitur te frangit paſſio, vide cuius fine te torqueas, & fluxile tandem inuenies, quidquid delectabile ſeduxit animum: quamobrem fluida facies omnia, quęcunque ſuaui laqueo tuam ſuffocant animam, neque modò terrena quęque fluida facere oportet, ſed & te ipſum ab illis

fluidum,

fluidum , ab omni ſcilicet anſa criminis fluidum , & profugum ſtatuendo , ita vt cum praua ſe ſe offert occaſio , hanc fluidus fugias etiam leuiſſimam , cum paruę occaſiones ex Demoſthene in oratione ad Lept. magnarum rerum cauſę exiſtant . Leuis occaſio Prophętam perdidit Pſalmiſtam , diſſita nempe , vel ex momento Berſabeę inſpectio : & hæc purgatorię pręparationis concluſio ſit , & epithomes, cum ſatis dixerim, & abundè , vbi plus pię ſubeſt intentionis ad exequendum ; minùs verò ſemper dictum , integra licet ſcriberentur volumina , vbi nullus auditus ſit, nulla ad Sacramentalem purgationem diſpoſitio , immo tota à ſalutari Confeſſione auerſio : Hi ſiquidem in vijs , humoribus , & natura neutiquam ad purgationem parati , impuri , & immundi ad Dominum non appropinquabunt iuxta illud Iſa. cap. 64. *Ne appropinques mihi , quia impurus , & immundus es.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Eſt fluidum quod Mundus habet, quod donat amicis ,
Hoc fluidum purga , poſt bona fixa pete .

APHORISMVS XI. SECVNDÆ SECT.

Facilius eſt impleri potu, quàm cibo.

EXPOSITIO MEDICA.

ALimentum quò promptiùs elaboratur, faciliùs diſtribuitur, & reliquas ad aſſimilationem vſque mutationes ſubit, & complet expeditiùs, id ſanè perquàm commodę, facilis, & ocyſſimę nutritionis exiſtit; quas facultates, & dotes ex parte alimenti cum liquida magis, quàm ſolida pręſtare ſint apta, non mirum ſi conualeſcentes, pro quibus ſonat Aphor. *potu faciliùs, quàm cibo* refici pronunciet Hipp. liquidis ſcilicet, quàm ſolidis epulis vires promptiùs recreari. Præſtat igitur conualeſcentes liquidioribus, quàm ſolidioribus refouere alimentis, quòd non modò naturalis Oeconomia, ſed & tota facultatum reſpublica propter effętas vires ſolidioribus alimentis ſubigendis nequeat incumbere, quo fit, vt depauperata per morbum ſpiritoſa, humida, & ſolida partium ſubſtantia, fluidioribus faciliùs, quàm denſioribus veniat obſonijs reparanda, & eouſque liquidis reſarciendus eſt conualeſcentis ſtatus, quouſque imbecillis ſolidioribus putabitur impar, & de liquido in ſolidum ea ſenſim ratione fiet mutatio, vt repentinus ad extremum non fiat acceſſus, ſed, prout validius in dies ſuccreſcens virium robur ſuadebit, de liquido conſueto omittendum, donec in priſtinam reſtitutus valetudinem, mole, colore, charactere, & actione firmatam, conſueta quiſque poſſit dięta delectari.

EXPOSITIO MORALIS.

De pura, & impura animæ plenitudine.

SVas & anima concipit repletiones, & repletionum patitur differentias, non ſecus ac corpus: Hoc dupplicem, puram ſcilicet, & impuram congerit plenitudinem; puram pariter, & impuram plenitudinem cumulat anima; pura corporis plenitudo ex bona ſuccorum omnium vbertate ſuccreſcit, impura ex vitioſa eorundem

copia

copia conflatur : puraanimę plenitudo ex Diuinę gratię, & virtutum affluentia componitur, impura ex preternaturali criminum aceruo congeritur. Vtraque plenitudo, pura ſcilicet, & impura, corporis, & animę peculiarem victus habet rationem, ex qua faciliùs concipitur;potu,quàm cibo promptiùs aceruari corporis plenitudiné pronunciat Hipp. dũ inquit *facilius eſt impleri potu, quàm cibo*, potu etiam facilius eſt animam impleri;quàm cibo pronunciat Pſalmiſta pſal. 35. dum inquit *Torrente voluptatis tuæ potaſti eos*. Videamus igitur, qui ſit potus, ex quo faciliùs anima poteſt puram ; & impuram concipere plenitudinem. Potus, ex quo pura ſuccreſcit animę plenitudo, illis vernaculus eſt, qui ſitientes animę ſalutem, hauriunt aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris, quarum potu adauctis ęquabiliter bonis iuſtitię, & virtutum omnium ſuccis, animas pura ſaginant plenitudine, & ſunt hi, de quibus Eccleſiaſt. 15. dicitur *Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illos*: Hac ſalutari repletione redundauit eminentiſſimè Virgo Maria; cum gratia plena Gabrielis ab ore de puriſſima plenitudine nunciata. Exuberarunt hac eadem repletione orantes in cęnaculo Diſcipuli, cum repleti Spiritu Sancto cęperuntloqui magnalia Dei, & domus ipſa ſancta circum fulſit plenitudine, dum Spiritus Sanctus repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Hac denique cęleſtium ſuccorum,ſapientię, deuotionis, orationis, & gratiarum plenitudine, & Diuini torrentis voluptate potata exundat vniuerſa Iuſtorum claſſis, veraci gaudens Hipp. oraculo; quòd ſcilicet faciliùs ſit potu refici, quàm cibo, quòd tutiùs nempe ſit cęleſtis gratię, & deuotionis potu per Fidem recreari, quàm mundanę felicitatis cibo repleri, & interrogata iuſtior anima quomodo cęleſti facilè adeo ſe repleat gratię potu, Angelico effato ad Tobiam 12. reſpondeat: *Ego cibo, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*; & vlteriùs, cum Paulo ad Corinth. 12. ſubdat: *In Vno Spiritu potati ſumus*, ex quo & repleti, & hęc animę pura cenſenda plenitudo.

Impuram nunc ſpectemus animę plenitudinem, & videamus, quę ſit, & ex quibus congeratur faciliùs. Impuram anima cumulat repletionem, non ſecus ac corpus, cum praua vtitur vitę ratione, cum ſcilicet non Deo viuens in puritate ſpiritus, ſed Mundo in immunditia cordis, criminoſis ſe replet humoribus, ex quibus impu-

ra concipitur plenitudo. Quò verò culparum victu faciliùs impuram coacervare poſſit anima plethoram, docet Hipp. dum inquit *facilius eſt impleri potu, quàm cibo*, inſinuans liquidiores ſcelerum epulas conferre magis ad peccaminoſæ repletionis cumulum, quàm ſolidiores, quod confirmat Iob. 15. dum inquit *Quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit, quaſi aquam, iniquitatem*. Liquidiora verò alimenta vniuerſa inter criminoſa, quibus repleri faciliùs poteſt anima, ſcelera certè ſunt, ad quæ propenſa magis mortalium mens, & humana fragilitas; & ea inſuper ſunt, quę inſtar alimenti liquidioris, & boni ſucci facilè in aliti tranſeunt ſubſtantiam. Crimina, in quæ propenſa magis humana fragilitas, ſanè delicta ſunt luxuriæ, fornicationis, ſtupri, inceſtus, & huiuſmodi. Peccata verò, quæ ſemel commiſſa, cibi liquidioris ad inſtar, facilè migrant in ſubſtantiam, ſunt res malè parta, rapinę, occulta vel aperta furta, extorſiones, & illata quęlibet Proximo damna, quibus ſemel ingeſtis quiſque ſe nutrit illicitè, ſibi aliena iniuſtè aſſimilans.

Vtrumque, luxurię crimen, & rapacitatis fluidum eſt, & liquidum, & ad animę vſque permeans viſcera. Ortá Venus inter aquas potabilem facit laſciuiam, lucris deditus Mercurius ad furta reddit fluidos; Quid igitur mirum, ſi lubricos mortalium genios obſcęnas Venus alliciat ad aquas, & fluxilis Mercurius ad lucra fluere cogat illicita? Vtroque Veneris, & Mercurij vitio tanquam magis in animos fluido, & permeanti anima, potu velut domeſtico, faciliùs impleri poteſt, quàm reliquis culparum cibis: nullum enim in tota capitalium delictorum menſa liquidiùs, & dulcius mentibus paratur obſonium, quàm quod luxurię, vel auaritię conditur delicio; at vtrumque ſcelus eandem non ſeruat ortus, atque exitus rationem: cum hilaritate, & gaudio potus incipit luxurię, hauſtus fluitat cum lętitia, cum tędio tamen definit, & męſtitia; & quamuis tranſacta libido ſui ſemper relinquat pœnitentiam, nunquam tamen ſatiatur, ſed vſu creſcit, & quò plus bibit laſciuus, ſemper plus ſitiet. Quomodo autem luxurię potus incipiat, quomodo paretur, hauriatur, & definat, ſat doctè Greg. in moral. hiſce deſcribit notis. *Ex quo quis cordis labia luxuriæ poculis applicuit, vix eum bona cogitare permittit*. Luxurię pocula, quæ ſucceſſiuis hauſtibus impuram congerunt animæ plenitudinem, ſunt viſcoſa deſi-

deria

deria per ſuggeſtionem intruſa, ex ſuggeſtione, inquit Greg. oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio; ex deſperatione peccati defenſio, ex deféſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Vide quomodo per tot potus luxuriæ impura concipitur animę plenitudo, plenitudinis iucunditas, iucunditatis finis, finis miſeria, & miſeriæ æternitas.

Gaudio non impari incipit, & creſcit auaritię ſcelus: hoc non minùs liquidum, minùſque potabile crimen eſt, quàm laſciuia, vbique fluidum, & ad vniuerſa permeans, vt inquit Hierem. 6. *A maiore vſque ad minorem omnes auaritiæ ſtudent, à Propheta vſque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum.* Sordidis auaritiæ potibus faciliùs impuram concipit plenitudinem, cum ſenſim fluitat in mentem rapacis habendi cupiditas, quam vt expleat, ad ampliora pocula vlteriùs ſemper potare ſtudens, doloſis ea replet lucris, fraudibus dulcorat, & mendacio, & quò plùs bibit, plus ſemper habendi cruciatur ſiti, quam nunquam extinguit, vt inquit Greg. 20. moral. *Omnis auarus ex potu ſitim multiplicat, quia cum ea, quæ appetit adeptus eſt, ad alia appetenda ampliùs anhelat.* Vnde Poeta protulit. *Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur opes.* Per fas nefaſque congeſtas ſuauiter ità in propriam vertunt ſubſtantiam, & ſibi aſſimilant auari, ac ſi nulla reddenda foret de malè partis ratio, puſillanimes, inhumani, contemptores Dei, mortis obliti, ac ipſis feris, & belluis deteriores, nunquam ſaturi. Habent ſiquidem bellue ipſę auiditatis modum; tunc enim ſolum rapiunt quando eſuriunt, prędæ verò parcunt cùm ſatietatem ſentiunt, vt inquit D. Aug. de Verbo Domini. *Sola diuitum auaritia inſatiabilis ſemper rapit, nunquam ſatiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur, nec patri parcit, nec matrem cognoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſeruat; viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in ſeruitium reuocat, teſtimonium falſum profert;* Et ita ex vitioſis rei malè partę ſuccis epotis impura concepta animæ plenitudine ſempiterna obruitur ſuffocatione. Caue igitur Mortalis, ne ad vtrumque, luxurię, & auaritiæ calicem labia admoueas, ne primos ad hauſtus laſciuię anima repleatur crimine, & corpus tabeſcat ęgritudine. Caue ne vlteriùs ad pocula fluas auaritiæ, ne mundanis deffluus diuitijs, peccatis turgida corruat anima.

ma. Poſtremò, cum faciliùs ſit animam potu repleri, quàm cibo; eo ſcilicet crimine faciliùs inclinari, ad quod fluidior genius naturæ, diſce corrigere paſſionis inſitæ inclinationem, ſi quæ vergit ad laſciuiam, clama ad Dominum cum leproſo Euangelico *Domine, ſi vis, potes me mundare*, ſi quæ propendet ad auaritiam, repete cum Pſal. 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam*, & attende ad Saluatoris pręmonita per Luc. 12. vbi ſic habet *Cauete ab omni auaritia*. Concludatur expoſitio. Ad auaritię, & luxuriæ calices nemo labia adigat, ne calicem iræ Dei inuitus tandem hauriat, ad fęces vſque potaturus: Ezechiel. 23.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quò plus delectat crimen, plus fluxilis illud
Mens bibit, at potum viſcera peſte replet.

Quæ relinquuntur in morbis poſt criſim, recidiuas facere conſueuerunt.

EXPOSITIO MEDICA.

QVæ relinquuntur in morbis, ex quibus rediuiui morbi metus, morboſæ ſanè diſpoſitiones ſunt intrinſecùs, vel extrinſecùs agentes. Extrinſecas occaſiones praua ſuggerit victus ratio, vel ob deprauatum conualeſcentis genium, vel ob indiſcretum aſſidentium conſilium, quo conualeſcentes pleniorem, quàm par ſit, hortari, ne dicam compellere non deſinunt ad diętam, vt quantocyùs vires recolligant, neſcientes importuni ipſas magis pleniori victu onerari, & oppreſſas minùs alimenta conficere, plus excrementi progignere, vnde recidiuæ ab extrinſeco. Intrinſecæ verò diſpoſitiones, vel ex relicto morbi miaſmate, & fermento, quo puriſſima, vel ipſa alimenta labefactata in cacochimam migrant ſubſtantiam, vel ex morboſa totius, aut viſcerum diatheſi, ex qua ſuccorum pręternaturalium prouentus, & corruptela, vel denique ex imbecillitate, cum vires pręgreſſo morbo defatigatæ languent, adeo vt ritè etiam miniſtrata,& ſecundùm methodi leges adhibita, ſuperflua nihilominus ex ipſis generent, & genita excernere, vel aliò nequeant per abſceſſum transferre. Hiſce de cauſis relabi ſolent conualeſcentes. Vnde quicunque relapſuri ſunt pręnuncia proferunt recidiuæ inditia per relictos aliquos à morbo characteres in ſuperſtite ſymptomatis alicuius moleſtia, in ſiti, nauſea, cibi faſtidio, ſomni turbulentia, & ſimilibus, potiſſimùm verò ſi morbus imperfecta fuerit criſi iudicatus, nullis pręuijs bonæ iudicationis ſignis, diebus minùs ad morbi iudicium accommodis, in quibus de morbi recurſu ſuſpicandum.

De Relabentibus in culpas, & quomodo à Recidiua præcauendi Peccatores.

QVicunque de magno peccati morbo per ſalutarem Pœnitentiæ criſim conualeſcunt, eadem ſe methodo prætueri debent,ne relabantur, qua ſibi proſpiciunt, qui materiali fuerunt à morbo iudicati: hi ſiquidem Recidiuæ metum effugiunt, ſi nihil morboſæ diſpoſitionis ex morbo relinqui curarunt, vnde recidiuus morbus. Ita quidem à peccato conualeſcens Recidiuę declinabit incommoda, ſi nihil ex Sacramentali Confeſſione relictum fuerit, vnde poſſit in crimina relapſus deprehendi: quid autem poſt Confeſſionem relinqui poſſit noua germinaturum vitia, criminoſæ ſanè diſpoſitiones ſunt, intus, vel ab extra manantes. Intrinſecæ ad Recidiuam diſpoſitiones, penes Medicos, vel in relicto materiæ morbificæ fomite, vel in partium non correcta diſcraſia conſiſtunt, in quibus recurrentis morbi ſeruatur fermentum; ratione non diſſimili intrinſecæ ad noua crimina diſpoſitiones continentur, vel in relicto reuera poſt Sacramentalem Confeſſioné peccati fomite,vel in effręni viuendi intemperantia prçuio non correcta propoſito, in quibus rediuiui ſceleris intrinſecum latitat fermentum, quod Paul. pr. ad Corinth. 5. ne contingant Recidiuæ,totum conſulit eſſe purgãdum, inquiens *Fratres expurgate vetus fermentum*: vnde, ſi declinandus Recidiuæ metus eſt, omnis expurgandus, nec vllus ſeruandus ad crimina affectus eſt, corrigenda criminoſæ vitæ intemperies eſt,ne nouis anſam ſuggerat culpis; in his enim potiſſimùm ſtat culpæ fermentum. Vt autem poſſis hoc deturbare faciliùs, & à tam diſcriminoſo Recidiuæ recurſu te tutiùs pręſeruare, declinandæ pariter ſunt extrinſecæ omnes ad relapſum diſpoſitiones, ſingulæ ſcilicet, quæ ab externo obiecto mouentur, quæ ſanè in vnam peccati occaſionem referuntur vniuerſæ. Occaſiones enim peccandi poſſunt non minùs animam in culpæ recidiuam reuocare, quàm corpus in nouam conijcere ægritudinem externa quęlibet in victus ratione errata. Nullus igitur internus culpæ fomes, nullus ſeruandus ad crimi-

crimina affectus; ſed extirpanda radicitus omnis peccati mi-nera, cuius, ſi quid vel minimum relinquatur, Recidiuam facilè faciet. Caue igitur ab interna primùm relicta diſpoſitione, ne relinquantur ſcilicet poſt ſolutum Sacro Pharmaco culpæ morbum deprauati appetitus, infecta voluntas, in potentijs animæ debilitas; caue ne vitiorum maneant menti impreſſa veſtigia, niſi ad horrorem, ne ſpiritualium ſuperſit aliqua viſcerum obſtructio, affectionum animæ pertinacia, repugnantia, vel inæqualitas, quæ ſunt probabilia deterioris mali recurſus præſagia. Caue etiam diligenter ab omni externa diſpoſitione ad relapſum per occaſionis effugium, loca, & tempora declinando culpis accommoda, ne des oculos ad vana ſpectacula, ne lapſas in ſpecies mens turpi recidat aſpectu, fuge mulierum mala conſortia, ab omni denique externa recidendi diſpoſitione recedas, in qua ſtat omne recidendi fermentum ignominioſum diſponens ad relapſum. Quamobrem vniuerſas culpas euomas expedit, euomas & diſpoſitiones ad illas, omnia ſit æquatus dolor ad crimina, nec te peniteat hoc non illud patraſſe; nam de quibus minùs dolueris, in illa faciliùs recides; non aliter, quàm ægrotantes, qui morboſa materia partim cocta, partim cruda ſcatentes quandoque releuati videntur, ſed mox deteriùs relabuntur; ſic & tu facilè recides, ſi culpas non ſingulas debito priùs examine digeſtas æquo tedio non deturbaueris omnes.

En quæ poſt culpæ morbos relinquuntur, & quæ Recidiuas facere conſueuerunt. Diſce ergo & tu non parui facere Recidiuam, cuius ad nomen horreas, & pericula relapſus cogitans contremiſcas; quid enim Recidiuus? niſi quantùm in ſe, ſæpius renouans, & iterans paſſionem Chriſti vt Apoſt. ad Rom. 6. inquit *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis Filium Dei*. Recidiuus quiſquis ſis audi Hugonem de Sancto Victore in Chriſti perſona te ſic alloquentem. *O homo, ſerua animam tuam; ego pro illa mortuus ſum, ſi illam amiſeris, ego iterum mori non poſſum, ſed volo ne iniuriam facias mihi, quia ſi animam tuam morte mea reſtitutam voluntariè peccando amiſeris, quantum in te eſt, iterum me crucifigis, iterum me mori compellis*. Si te talis non retinet ſermo, terreant, & arceant tot emergentes ex Recidiua iacturæ, tot prodeuntes ærumnæ, & diſcrimina; ſcias enim qui liberè recidere conſueſcis te primò per Recidiuam prætèritæ Confeſſionis, contri-

tionis, & ſatisfactionis amiſiſſe fructum, & ſancta ieciſſe émolumenta, iuxta illud Ezech. 18. *Si auerterit ſe Iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Vlteriùs animæ tuæ dignitate proſtrata vileſcis vt Canis, vt Prou. 26. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum, ſic homo imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.* Rurſus te per relapſum diabolicæ ſubmittis poteſtati, & ſubmergis te ipſum in profundum inferni, vt Iob. 21. *In puncto ad inferna deſcendunt.* Præterea ſemel, & iterum relabens ferè impotens tandem eris ad reſurgendum, non minùs, quàm acuto morbo correptus, acutiore ſuperueniente fatiſcit, vt Luc. 11. *Erunt nouiſſima illius peiora prioribus.* Diuinæ tandem bonitatis irriſor non audebis vltrò miſericordem implorare, quem tot recidiuis patientem prouocaſti. Vnde contriſtato, quantùm in te eſt, Dei, Mariæ, Angelorum, & Sanctorum iam concepto per conuerſionem tuam gaudio, nullos finali propitios ſperare debes in Iudicio, vt Bern. in ſermon. *Putaſne placatos habebis in iudicio, quos tanto, & tam ſperato vis priuare gaudio.* Vnde totus aridus, & Diuina denudatus gratia, ab omni Chriſti merito, ab omnium bonorum in cœlo, & in terra exiſtentium participatione ſeparatus eris, & velut palmes areſcens, abſciſſus, flammis ad ardendum traditus perpetuis. Vide quot diſcrimina ſubeas Recidiuus, quot damna ſuperſtent ex recidiua. Cum autem corporalis recidiua tres pręcipuè nacta ſit occaſiones, ex parte ſcilicet Medici, vel ægrotantis, vel aſſidentium; ſic etiam ſpiritualis Recidiua periculoſa ex parte Dei, Dęmonis, & Peccatoris. Ex parte Dei, cum quis per recidiuam Deum relinquens, & Deus vlterioribus malis Recidiuum relinquet obnoxium, vt in Paralipom. 15. *Deus vobiſcum eſt, dum eſtis vos cum ipſo, ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos:* & Paul. in epiſt. 1. ad Corinth. *Scitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis, ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illos Deus.*

Ex parte Dęmonis periculoſus Recidiuus; Diabolus enim peccatorem ſemel è ſeruitute ſua per ſacram exomologeſim, & Confeſſionem lapſum, acriùs perſequitur, & captum vigilantiùs cuſtodit, grauiùſque moleſtat; non ſecus ac Magiſtratus captiuum, præ cuſtodis incuria è carcere fortè elapſum, ſummo ſtudio nititur in vincula reduci, reductumque vigilantiſſimè cuſtodiri. Vnde Petrus Recidiuos alloquens inquit *Meliùs enim erat illis non cognoſcere viam iuſti-*

iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Ex parte Peccatoris periculoſa recidiua, quia ex crebriore lapſu praui gignuntur habitus, ipſaque conſuetudo peccandi: quod expertus in adoleſcentia ſua D. Auguſt. in lib. Confeſſ. ita ſcripſit *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat, quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſsitas: vnde fit, vt cæteris peccatoribus tantùm incumbat onus expugnandi tres hoſtes, Mundum ſcilicet, Carnem, & Diabolum; quartus expugnandus veniat Recidiuo, inueterata nempe conſuetudo*. Plura de recidiuæ damno, & diſcrimine forent dicenda, quæ tota contraham, conſulendo, vt totis viribus à recidiua caueas, tria propter inde prodeuntia mala, propter ſcilicet beneficij ingratitudinem, indeclinabile periculum, & futuri damni inconſiderationem. Quale tibi damnum allaturus ſit Recidiuæ ſtatus, de Saluatoris ore fulminatum fuit languido Euangelico, qui 38. annis infirmus decubuerat, cum ſanus factus eſſet à Domino, iuſſuſq; fuiſſet, vt tolleret grabatum ſuum, & ambularet, ſic Dominum Ieſum legitur illi fuiſſe allocutum. *Ecce ſanus factus es, iam ampliùs noli peccare, ne deteriùs tibi contingat*, quibus ſanè verbis non modò ſignificauit per Recidiuam omnes in deteriora prolabi poſſe mala, ſed & in æterna tandem ruituros ſupplicia: perpende funditus quid ſonet blanda Dei monitio, quid reſonet, & exprimat *ne deteriùs tibi contingat*, & ſpondeo ſi verba Chriſti fueris medullitus meditatus, te nunquam toto vitæ curſu Recidiuam paſſurum.

DISTICHON APHORISTICVM.

Peccati fermenta dolens mens omnia purget;
Si quid enim reliquum, poſt Recidiuus eris.

APHO-

APHORISMVS XIII. SECVNDÆ SECT.

Quibus criſis inſtat, ijs nox, quæ acceſſionem præcedit, grauis eſt; quæ verò ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit.

EXPOSITIO MEDICA.

NVlla criſis ſine præuia turbatione, ſiue perfecta, vel imperfecta futura ſit, per excretionem, vel abſceſſum, ad ſalutem, vel ad morbum, in meliùs, vel in deteriùs, ſua quamque ſemper pręire ſolet perturbatio plus minùſue grauis, & moleſta, prout conflictus naturam inter, & morbum; vnde, tota moleſtia, plus, vel minùs efferus erit, & ardens. Si paribus, & ęquis morbus, & natura viribus congredientur, ſi nempe acuta, & effrenis materia à valida agitabitur natura, certamen vtique magis aſperum ſequetur, turbatioque critica pręcedens moleſtior, ſed breuior; contumax enim pugna diù protrahi nequit, quin alter ex aduerſarijs corruat, vel concidant ambo. Si natura morbo ſuperior, prę-grediens turbatio mitior, criſiſque ſubſequens facilior. Cum verò criſes vniuerſali ſemper in vigore, ſtatuque morbi contingant, vel in acutioribus particularium paroxiſmis, quibus inſtabunt, inquit Hipp. noctem ſemper pręire moleſtam, & alteram ſubſequi leuiorem, quod quotidiana comprobat experientia, non in morbis ſolùm venoſi generis, & febribus continuis, quæ verè per criſim ſolent iudicari, ſed & in febribus intermittentibus, in quibus pro varia cuiuſque idea ſingulis in paroxiſmis criſes fiunt particulares; in his etiam noctem acceſſioni pręuiam perpetuò ſpectamus grauiorem. Hoc pariter rationi conſonum videtur; quemadmodum enim hoſtis ab hoſte nequit ſine laborioſo turbamento ſupplantari, ſic puri ab impuro ſecretio, in qua tota criſis ſtat eſſentia, ſine procelloſa naturæ iactatione, non poteſt in humano corpore compleri. Vnde non terreri, nec formidare oportet, ſi quando prẹſentia ingraueſcere, aut ſuperuenire non viſa per morbos videantur ſymptomata, puta delirium, vertigo, difficilis reſpiratio, anxietas, la-

crymæ, dolores, aut alia, cum criſis imminentis ſępe pręuia ſint, ſi potiſſimùm alia critica ſigna per digeſtionis pręuios characteres pręceſſerint: quin immo ex his omnibus ſuperuenientibus corda-tus, ac prudens Medicus de criſis ſalutaris, vel lethalis euentu, & de criticæ molitionis inclinatione, per quam ſcilicet regionem ſe-cutura ſit, tutò poterit pręſagire. Quid igitur mirum, ſi nox criſim precedens prima perſentiet incommoda; à quibus tamen omnibus ſequens abſoluet, ſi libera, & perfecta anteceſſerit criſis, ſi nempe per nocturnam turbationem tota depulſa fuerit morbi materia. Quod ſi inchoata tantùm fuerit criſis, nec completa, non vtique nox ſubſequens poterit eſſe ſuauior, neque mitiores in totum ſubſe-quentes, donec natura morboſis omnibus à cauſis per integram criſim fuerit vindicata.

Cur verò nocte magis, quàm die criticam preire dicat Hipp. tur-bationem, cauſa eſt, quòd morbi moleſtia in nocturnis vigilijs ma-gis infeſta ſit, & per noctis ſilentia, quo tempore ſomno eſſet in-dulgendum, ſenſibilis magis euadat; quòd vltrò coactus calor per nocturnas tenebras in cauſam morbificam validior inſurgat, quàm interdiu, quo mens, & ſpiritus externis auocatus obiectis in mor-bum minùs intendit, ægrotantibus potiſſimùm aſſidentium, & ami-corum acceſſione magis diſtractis. Miror tamen Hipp. noctem ſo-lùm criſim pręcedentem moleſtiorem dixiſſe; quaſi criſis omnis de die tantùm contingat, & natura criſes omnes per diem ſolùm ſoleat moliri, cum reuera conuertibilem exponere debuiſſet euentum; noctem nimirum diurnæ criſi preuiam grauiorem, diem verò no-cturnam criſim pręceſſurum moleſtiorem.

EXPOSITIO MORALIS.

De peccatorum criſibus per conuerſionem.

IN ampliſſimo hoc mundi theatro nullæ ferè fiunt, viſæ, vel factæ leguntur Regnorum, Vrbiumque criſes, & mutationes, quin ſua ſingulas pręceſſerit bello, ſeditione, vel proditione calamitas, & turbatio teſte Anonymo in Apoph. Polit. qui ſic habet *Imperiorum mutationes non fiunt, ſine magnis calamitatibus publicis, aut priuatis.* In-

paruo

paruo etiam corporis humani mundo ſuæ, nec raræ ſpectantur mutationes, non modò per criſes in morbis, quæ verè mutationes ſunt, prǽuias pariter habentes calamitates; ſed & aliæ notantur quamplurimæ, quibus obnoxiæ mortalium mentes, in criſibus potiſſimùm; quas anima moliri ſolet in expulſione criminum; in qua noſtra verſetur oratio. Quibus igitur culparum criſis inſtat, inquit Hipp. his nox prǽcedens magna ex parte moleſta eſſe ſolet, quæ ſubſequitur leuior; quibus ſcilicet anima peccati morbo conflictata per decretam vitæ mutationem, morbificæ ſcelerum materiæ criſim eſt molitura, his nox prǽcedens grauis eſſe ſolet, non ſecus ac nonnullis medicamento purgandis, quibus horrifica pharmaci recordatio noctem moleſtam facit, & implacidam, ſic quibus criſis per Sanctum inſtat Pęnitentiæ Pharmacum nox antecedens moleſta eſſe ſolet, & grauis, contritio ſcilicet, & horror criminum ſolet eſſe aliquibus grauis, grauis anxietas, grauis confitendi neceſſitas, graue non recidendi propoſitum, graue denique occaſionis effugium.

Nox reuera grauior, immo grauiſſima Pęnitentiæ criſim prǽcedens, atræ ſanè ſunt nequiſſimi Tentatoris inſidiæ, qui ſalutarem prǽuidens animæ criſim, omni nititur ſuggeſtione ſanctum peruertere, vel interturbare Pęnitentis propoſitum: vnde vires exerens validiſſimas peccatorum ſymptomata, vel grandiora, quàm ſint, mentibus obtrudit, vt de Diuina pietate deſperabundum reddat Pęnitentem, vel quæ verè atrocia ſunt delicta phantaſiæ futilia proponit, quò minùs integra ſequatur criſis, ſed imperfecta, & infida ſuccedat excretio, poſtrema, & vltima, ac tremenda potiſſimùm in naturæ criſi Supremo mota Motore, cum quis ſcilicet vitam cum morte commutaturus criticam moliturus eſt totius anteactæ, & patratæ iniquitatis excretionem; tunc enim totum ſe ſtygius applicat ſtudioſiſſimus, laqueos vndique tendit, & quidquid doloſi continet, & fraudulenti mentibus ſuauiter inſinuat, vt ſi qua poteſt languentem à ſtatuta reuocet culparum criſi.

Quàm verò grauis, & atrox, quàm triſtis, & moleſta nox ſit, vltimam prǽcedens naturæ criſim, qualis conflictus extremam præcurrat mutationem prǽter extremos naturæ conatus, & morbi ſęuitiem, quot è vita deceſſuris det cruciatus infernalis Beſtia, acutiſſimæ

mæ tunc temporis teſtantur tentationes; inferus enim Leo rugiens per noctem criſi, mortique proximam, veluti de ſylua exiens, mori-bundum atrociori aggreditur pugna, & altioris ſuggeſtionis morſi-bus apprehendens in eas retineri, vel delectari ſuadet ſpecies; in quibus de more conſueuerat iucundari. Hac itaq; nocte irruent ve-luti beſtiæ in mentem totius pręgreſſæ vitæ vitia, iuxta illud pſal.103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*; Pertranſibunt ſciiicet ſingula per mentis aciem peccata, quæ longo tempore latuerunt in malitiæ, vel ignorantiæ ſyluis abſcondita; an-te oculos iniqua, & latentia quęque pertranſibunt obiecta, pertran-ſibunt ſingillatim per claſſes, per loca, & perſonas abſtruſa delicta. Iracundis igitur,& ſanguinarijs abdita pertranſibunt homicidia, ab-ſcondita pertranſibunt libidinoſis adulteria, pertranſibunt detra-ctoribus occulta mordica colloquia, auaris obuelatæ pertranſibunt negotiationes; vniuerſis denique ſecretiora pertranſibunt, oculiſ-que obuerſabuntur,& mentibus quæ recondita putabantur flagitia, & veluti beſtiæ de ſyluis irruentes in animam, ſtygio adminiculan-te Tentatore, noctem ſymptomatis huiuſmodi ſæuioribus factis proferent grauiſſimam. Studeant igitur Mortales vniuerſi in nocte fatalem pręuia criſim ſe ſanctis munire pręſidijs,vt criſi facta ſecun-dùm legem Dei,diem, quæ extremæ noctis criſim ſubſequitur,poſ-ſint in cęleſti Patria guſtare ſuauiſſimum. Methodum ſe prætuendi diſcant à Medicis, qui dum criſis inſtat in morbis, naturam Cardia-cis pręmuniunt, vt pugnatura morbo valeat reſiſtere: Sic extrema inſtante criſi, mutatione ſcilicet ad æternam ſalutem, vel ad mor-tem ſempiternam, ſacris ſibi conſulant ante remedijs, Diuinis om-nibus ſe foueant auxilijs; vt fortiores in Fide Dęmonis inſidias in extremo conflictu valeant ſuperare, neque ſpe redimendæ corpo-ralis ſalutis deluſi in deploratas differant horas, ſed maturè conſu-lant, dum vigent adhuc potentiæ; hac equidem methodo adiuti perfecta ſuccedet criſis, & ſubſequens nox in perpetuas ſerenitates placidior, velut dies, illuminabitur. Vergat nunc oratio ad criſes, quæ præfatam; poſtremam ſcilicet vitæ metam, quæ criſis criſium dicitur, preire ſolent, & quæ diſpoſitiuæ mutationes vel ad ſalu-tem, vel ad mortem cenſentur, & videamus quomodo quiſque ſin-gulis in mutationibus ſe gerere debeat, vt ad perfectam criſim, æter-

nam ſcilicet ſalutem vnaqueque collimet. Mutationes autem, & huiuſmodi criſes in duas genericas diuidi ſolent claſſes, in mutationes videlicet, quæ fiunt à temporali ad ſpirituale, vel è contra à ſpirituali ad temporale; ſuam vtraque criſis, & mutatio preuiam habet noctem moleſtam, ſed ſubſequentem diuerſam; etenim, quæ de temporali in ſpirituale fit mutatio ſuas habet preeuntis noctis turbationes, ſed ſubſequentem noctem placidiorem; ſuos habet & preuios labores, & nocturnas turbationes de ſpirituali ad temporale conuerſio, ſed forte diuerſa, nam ſubſequentem noctem ſentiunt moleſtiorem. Rem lucidemus exemplo. Migraturus quiſpiam de ſeculo ad Religionem criſim molitur, & mutationem à temporali ad ſpirituale; vt bona criſis ſit, quid expedit? non aliud certè, neque plus, neque minùs illo, quod ad integram naturæ criſim congruit in morbis, vt nempe ſit indicata, contingat in die critico, & cum ſubſequenti leuamine; ita quidem mutatio hæc à temporali ad ſpirituale à vera vocatione, & Sancti Spiritus afflatu debet indicari, die critico contingere, quo ſcilicet Deus tempore fortiter pulſat, & agitat animum cum leuamine ſubſequenti, cum tota ſcilicet, poſt expletam inſpirationem, in Deum quiete, & ſuſcepti ordinis obſeruantia; ſi quid horum deſit, neque bona, neque fida criſis erit, & mutatio; vt ſi quis repentè, nullo delectu, ſolo motus, vel aduerſæ ſortis impetu, vel futuræ iacturæ metu, vel humano alio reſpectu, nulla facta ſanctioris negotij digeſtione, nec mente Diuino directa obſequio, inconſultò ſtatum ſubeat Eccleſiaſticum, nullo modo in bonis ſuſcipienda, & ducenda criſis eſt, quòd verè à Diuina vocatione indicata non fuerit, neque die contigerit critico, quòd mutatio ſcilicet non fuerit dextere Excelſi, debito nimirum non diſcuſſa iudicio: Vnde nox hanc precedens grauiſſima poteſt cenſeri, quòd grauiora preſagiat mala, criſimque ad mortem futuram. Nil igitur mirum, ſi nox malam ſubſequens criſim, nón modò non leuior, ſed omnium ſuccedat infeſtiſſima cùm nullo per mutationem flagrans amore Dei, ſtatim pœnitentia ductus quiſquis ſtatus criſim molitus eſt verecundiam inter, & timorem, nihil in ſuſcepto perſeuerans inſtituto, neque Deo reddit quod vouit, neque Mundo detrahit quod ſtatuit; quo ſit, vt violata lege, votis, & obſeruantia recti, ignauus, & contemptor ſtatum mutet, &

peſſi-

peſſimam ad ſcandala moliatur criſim; cuius ſucceſſum tot comprobant euentus, tot paſſim de Religione remigrantes videmus ad ſęculum, quorum finem, & paſſim, peſſimum ſpectamus. Hippoc. Idcircò non omnibus criſibus ſubſequentem noctem leuiorem ſpondet, ſed *magna ex parte*, inquit, fortaſſe pręuidens, quæ, pręter materiales, in moralibus criſibus fieri debuerant, mutationes.

Salutarem è contra animæ criſim ſua quoque nox moleſta ſolet pręcedere, vt his, qui vera vocatione pulſati mutantes ſtatum, contempto mundo, Religioni ſe ſacrant, & Deo: ijs equidem nox magnam pręcedens mutationem magna ex parte grauis, quòd Tentator vrgeat, & per anxietates, & ambages mentem mundanis obnubilans ſpectris variè exagitat, & iniquis parentum conſilijs, vel amicorum precibus, aut ſodalium blandimentis, ſanctam ſibi obtenebrare ſtudens illuminationem; omni quò poteſt tentationis conatu de manu Domini tentat eruere penitentem: vnde nox hanc ſanctam ad ſalutem precedens criſim moleſta quidem, ſed fracta tentatione, ſubactoque Tentatore, criſi facta, & mutatione, quæ ſequitur leuiſſima ſuccedit, in onere Dei leui ſuſcepto, quod graue malè conſulto fuerat cordi, & hæc exempla ſint ad criſes alias, quas quiſque moliturus eſt, vt ſciat, cum criſes mutationes ſint, quid mutet, in quod mutet, quomodo, & quando mutet, vt mutando non erret incorruptibile mutans in corruptionem. Sed de mutatione fuſiùs in ſequenti.

DISTICHON APHORISTICVM.

Praeuia nox animę Criſim ſit criminis horror.
Hic niſi praecedat, Criſis inanis erit.

APHORISMVS XIV. SECVNDÆ SECT.

In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, niſi in praua mutationes fiant.

EXPOSITIO MEDICA.

Corpus ex varia partium diſcraſia, & inordinata dięta ethe- rogenea confluum cacochimia, ſi quo morbo (in quem facilis erit lapſus) corripi contingat, qui critico ſolui videatur motu; tunc pro varia humorum corruptela varias excretiones, mutationeſque excrementorum per criſim varias ſubſequi neceſſe eſt, nec perfecta, ac fida criſis erit, niſi quidquid in vitio eſt, ordine quodque ſuo, vel promiſcuè vacuetur totum. Vnde in cacochimis corporibus, ſi quę ſponte mouentur vacuationes varię ſint, & mutentur excreta, bonæ cenſendę ſunt mutationes, & iuuant, inquit Hipp. quod critica vacuatio naturali reſpondens indigentiæ, talia deturbet, qualia debent educi; varia ſcilicet, pro varietate apparatus expellatur materia. Neque modò in cacochimis ſuppoſitis, verùm etiam in alijs mutationes per criſim excrementorum bonæ ſunt, cum rarò ſolitarius humor eſſe ſoleat in vitio, quin quidquam alterius alterati immiſceatur corrupto. Vnde bonæ mutationes in excrementis, niſi in prauas mutentur, inquit Hipp. in prauas ſcilicet, & ratione materiæ, & ratione accidentium; ratione materiæ, cum pingues, ramentoſæ, ſynceræ, colliquatiuæ, vel atræ excretiones poſt laudabiliores ſubſequuntur; ratione accidentium, ſi moleſtis prodeant cum ſymptomatis, puta cordiogmis, torſionibus, febribus validioribus, pulſuum euaneſcentia, partium perfrigeratione, ſubfrigidis ſudoribus, & huiuſmodi. In prauas etiam mutantur excretiones, cum vel inter, vel poſt completam criſim errat, vel in priſtina redit delicta decumbens. Vnde nihil ex pręgreſſa vacuatione emolumenti cum languente adhuc viſcerum ſtatu, nouis infirmata erroribus facultate, in retenſionibus, & coctionibus alimentorum fatiſcit; & hinc mutationes in deterius.

EXPO-

De varijs corporis, & animæ mutationibus ad ſalutem.

INter fida perfectę criſis indicia penes Medicos non leuis ſignificationis exiſtunt quæ petuntur ab excretis, ſi nempe præter talia, & qualia, varia etiam vacuantur, & vniuerſa. Non aliter in criſibus animæ fida profert ſigna peccator, ſi præuio horrore, & dolore criminum lachrymoſus omnes euomit ſcelerum ſpecies, & nullas retinet ad recidiuæ fomitem: vnde Confeſſarius varias audiens à Pœnitente culpas excerni, de ſcelerum mutatione gaudet, non ſecus, ac Medicus, dum per excretorum mutationes in criſibus corpus à diuerſa materia, qua grauabatur tutò videt vindicari. Vnde varijs auditis flagitiorum ſpeciebus, quibus anima premebatur, gaudet iterum, quòd ipſam videat à varia culparum ſarcina, & illuuie expiatam: at ampliùs gaudet Confeſſarius, & gratulatur Pœnitenti, cùm per ſucceſſiuas purgationes, & Confeſſiones excrementorum videt mutationes, mutata ſcilicet peccata, & poſteriora prioribus olim dictis minùs grauia, vel minùs numeroſa ſentit recitari, & tunc bonę criſis putat indicium, ſalutaremque pronunciat mutationem, quòd animam videat per culpę declinationem ad vitam magis Deo acceptam reduci: vnde *mutationes excrementorum iuuant*, dicit Hipp. at ſubdit, niſi fiant in peius, niſi ſcilicet in deteriora mutentur crimina, cum nempe ſingulis in excretionibus per Sacram Confeſſionem mutatur ſpecies, & numerus delictorum, ita vt de leuioribus, & paucis ad plura ſemper; & grauiora progredi videatur: hæc ſiquidem mutatio in peius eſt, & tunc animam vix ad plenioris gratiæ conſecutionem diſponi poſſe putandum.

Eſt & ſpecies delinquentium, qui nec in melius, nec in peius excretiones mutant delictorum, ſed Confeſſiones ſingulas eadem methodo recitatas proferunt, & ea ſemper excernunt, quæ iam centies fuerant excreta; his autem non fidendum; & talis vniuoca Confeſſio deterrima, cum habitualem ſignet in eodem genere de-

licti

licti delinquendi conſuetudinem. Sunt prętere a peccatores, qui criſes moliuntur perfectas criminum, & quotquot hæc ſint, euomunt vniuerſa, in quibus excretorum purgata varietas iuuat, ſed vix abſoluti, & à culpę morbo vindicati deteriora recidunt in vitia; hinc iacta primę criſis emolumenta; facta in peius mutatio nihil boni finit ad ſalutem præſagiri.

Sunt vlteriùs peccatores quidam, qui non modò Confeſſionem mutant in peius, ſed & Confeſſarium, & nulli firmiter adhærentes, per hunc, illumue inſtabili mente vagari conſueſcunt. Talis itaque mutatio excrementorum, delictorum nempe tranſlatio ad diuerſos migrans Miniſtros, bona quidem, ſi de plùs indulgenti, & minùs docto, in magis eruditum, & minùs blandum fiat mutatio; ſi aliter ſuccedat, vt non rarò contingit, cum talis mutatio ſit in peius non iuuabit, quinimmo nocebit intensè, cum doloſa ſit ab eo, qui ligare ſcit, & ſoluere, in Confeſſarium de ligandi, atque ſoluendi poteſtate minùs idoneum mutatio.

Ad alias ſermo deueniat mutationes, & Auctoris mente penitius inueſtigata, videamus, quæ ſint alui profluuia in moralibus, in quibus proſunt, vel obſunt excrementorum mutationes. Si rem licet animæ morbis aptare; conſtat ſanè hanc ſua pati profluuia excrementorum, & quamuis animę excreméta poſſint aptiùs peccatis accomodari, vt excrementis, quibus ea ſolet intrinſecùs infici, ſunt tamen & aliæ ſuperfluitates externæ diſpoſitiuę, diuitiarum nempe congeries, & profuſio, qua ſolet exteriùs obrui ſpiritus, in quarum profluuio mutatio excrementorum bona, auri potiſſimùm, & argenti profluuia ex aluo marſupij prodeuntia: bona quidem; & optima erit mutatio, ſi ea, in quæ mutationes fiunt, laudabilia ſint, & animæ proficua, ſi nempe mutentur opulentię excretiones de ſcriniolo, & capſula in manus pauperum, vel in ſacra ædificia, vel in ſancta ſacrificia, aut in defunctorum ſuffragia, vel in Eccleſiæ ornamenta, vel in quælibet alia pietatis opera: huiuſmodi enim mutationes in diuitiarum profluuijs bonę ſunt, & Deo acceptiſſimæ: corpus enim dum ſubleuant à ſuperfluo, animam à ſuperbiæ fomite vacuant; niſi, vt ſancitum ſuperiùs, de malè partis exciten tur profluuia: tunc enim mutationes fieri debent de aluo ſcrinioli in manus, & locos, vnde fuerunt extractæ.

Po-

Poſtremam diluamus aphoriſmi particulam, in qua poſt probatam in profluuijs alui excrementorum mutationem tanquam proficuam, concludit *niſi in praua fiant cogitationes*, qua ſanè conditione peſſimas prædixiſſe videtur Hipp. noſtri ſeculi mutationes, in quibus tot auri, tot facultatum videmus profluuia in excrementorum mutationibus ſemper in peius vergentia. Profundunt Mortales in excrementorum mutationibus, in veſtitu nimirum, victu, & ſupellectili, quæ verè excrementa ſunt ex Regio Proph. profundunt, & (proh dolor) quantùm profundunt, vt illas ſectentur, exerceant,& pro tempore adueniẽtes percurrant mutationes, quas vulgari nomine *Modas* appellant, quibus ditari ſolent exteri, & effeminatorum conſtrui miſeria. Huiuſmodi in deterius factæ diuitiarum mutationes, animarum, corporum, & ſubſtantiarum tineæ ſunt, quibus animæ corroditur humilitas, corporis atteritur ſanitas,& ſubſtantiarum copia cõſumitur. Liceat igitur, vt tot mutationũ damna perpendantur, corrupto nomine *Modæ* vti, vt abuſus,& inde prodeuntia nocumenta precaueantur in his, qui ſupra vires ſectari geſtiunt vniuerſas; cum Moda moderatè ſumpta mala non ſit.

Quantùm noceant animæ Modarum immoderantiæ, & mutationes, tot probant teſtes, quot emergunt ex illis luxuriæ, crapulæ, incontinentiæ incitamenta; tot concludunt nequitiæ, quot clamant vt Moda pereat; ſubtractæ pauperibus eleemoſynæ, negata operarijs merces, retenta ſeruis ſtipendia, amiſſa ſacris obſequia, ineptiarum denique ſingularum cumulus, quo per immoderatas Modas geſtit Princeps tenebrarum. Quantùm corporis atterant ſanitatem hæ Modarum mutationes, varij ſanè teſtantur morbi, quos inde emanare conſpicimus. Caput in primis natiuo deraſo, vel deuaſtato crine varijs Moda reddit obnoxium incommodis: vel enim pluſquàm par eſt denudatũ in feminis ambiẽtis aeris iniurijs excipiẽdis fit magis opportunum, vel concinnato ex adulterinis crinibus capillitio oneratum, ſuppreſſo fuliginum effluuio, fluxiones, ophtalmiæ, vertigines capitis, oculorum, & dentium dolores contingunt. Vlteriùs lędens in fœminis Moda faciem materiali candore obliniens, vel miniato rubore perfundens, viſus debilitatem, partium tremorem, & dentium vacillamenta progignens, anticipatam profert ſenectutem. Modarum mutationibus, & abuſu, modò pectus ad mam-

mammas vſque, & omoplatas denudatum, modò bracchia ſupra cubitum vſque detecta cutaneis fiunt conſtipationibus parata: Vnde frequentiſſimæ febres, poſt ductarum pręcipuè chorearum excaleſcentias. Rurſus Modarum varietates, & mutationes arctas adeò adaptant fęminis veſtes, vt ad os vſque ſacrum duriores protenſæ fibulæ frequentiorem prębeant abortibus anſam: Altas inſuper in calceamentis ad talum ſoleas, & acuminata adeò Moda ſuadet calcanea, vt caſibus, pedum luxationibus, crurumq; fracturis non paucas lapſu concidiſſe ſit compertum. Quid tandem non poteſt Modarum mutatio, & varietas in Magnatum menſa? quæ mala non germinat ciborum luxuries? teſtentur tam diuerſæ,& abditæ ægritudines, tam complicati dicant affectus, qui noſtris erumpunt diebus, qui nullam aliam agnoſcunt cauſam, niſi quia Modarum varietate, varijs nempe alimentorum infarctibus fuerunt concepti.

Quantùm denique Modarum mutationes domeſticas conterant facultates, quantùm in omnigena victus, veſtitus, & ſuppellectilis luxurie minuant, & eneruent patrimonia, quotidiani docent caſus, teſtantur abundè tot collapſæ Domus, & Familiæ, quibus olim Modarum & varietate, & mutatione emicantibus texebant, nectebantque Belgæ, Perſæ, Syri, non ſatis oues albicabant Britannicæ, non ſatis Indica rubebat ſcàndix, qui tamen miſera poſtmodum erubeſcentes verecundia, vertumnali Modarum varietate extenuati, vel in duram rapti ſeruitutem, vel in extremam lapſi miſeriam, excrementorum, diuitiarum nempe mutationes in peius fluxiſſe & experti, & confeſſi ſunt. Enim verò Modarum tinea mores non modò corrumpit, ſed & corpora; facultates non minùs perdit, quàm animam; & tamen plebei æquè ac Magnates Modas omnes ſectari malunt, quàm tot euidentiſſima declinare diſcrimina, quouis enim pretio, & ſumptu quidquid modernum profertur ad proprium ſtatim coaptare nituntur ornatum leuiores potiſſimùm fœminæ, quæ Modarum circęa dulcedine captæ, ne dicam dementatæ, quęcunque apparuerint omni properant diligentia vt primæ excipiant, nec poſtremæ proferant, effuſo adeo luxu, vt nonnullæ vix queant effugere Cypriani ſententiam infra referendam,qua fęminas ſui temporis increpabat, & Bernard. in Apoll. vanitatis crimine accuſat hiſce notis.

Va-

Vanum cor vanitates notitia ingerit corpori, exterior enim ſuperfluitas inte-rioris vanitatis indicium eſt: mollia enim indumenta mollitiem indicant animi; non tantùm curarent cultus, niſi priùs mens neglecta fuiſſet virtuti-bus inculta.

Conſulat igitur tempeſtiuè ſibi Modarum mutationibus addictus quiſque, ne & ipſe mutetur à Modis, ne diuitias ſcilicet, & opes, quæ excrementa ſunt in effęminatos mutet mores; caueat ne aurum optimum puritatis per Modas in peccatorum excrementa mutetur, exquiſitiſſimis ne ſtudeat veſtibus ornari, pudebit ſanè cultus exterioris, quoties quid eo tegatur cogitabit: inſana quippe libido eſt fimum tegere purpura, vt inquit Cyprian. lib. de hab. Virg. Audiat nunc mens ampullata fęminarum, quæ omnes ſectari cupiunt Modas, quid Sanctus intonet, his verbis: *Ornamentorum, ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum non niſi proſtitutis, & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior cultus, quàm quarum pudor vilis eſt.* Vnde ſuperbiæ vexillum, niduſque luxuriæ Moda poteſt appellari. Non obijciam tibi, qui tam liberè in omnibus Modarum mutationibus delectaris, & veſtibus indui curas peregrinis, non obijciam, inquam, tibi ſacros,& ſęculares pauperes ſeminudos,& rigidos, atque hirſutis togis hyemale frigus arcentes; ſcio etenim quod peccatrix opulentia in ſanctam mutari neſcit inopiam; conſulo tamen, vt decenter veſtias, ſed non ſuperfluas, victu viuas congruo, ſed non iam prodiges, domum ornes ſuppellectili, ſed non ad luxuriam. Hac itaque methodo nulla congeres ex Modarum mutationibus excrementa delictorum, & ſi quæ cumulaſti, mutare ſtatim nitaris in gratiam, & cum Pſalmiſta concines, quod pſal. 39. protulit. *Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas;* quæ ſanè nil aliud ſunt, quam tot pernicioſæ Modarum acceſſiones, & mutationes, in quibus explendis, Animæ, corporis, & ſubſtantiarum iactura ferè ſequitur irreparabilis.

DISTICHON APHORISTICVM.

Cum tibi ſunt variæ, varijs expellito culpas.
Sic mutata iuuant, ſordida quæque fluant.

Vbi fauces ægrotant, aut puſtulæ exoriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet; quippe ſi bilioſa fuerint, corpus vnà ægrotat: ſin ſanorum excrementis ſimilia, tutò corpus alere poteris.

EXPOSITIO MEDICA.

ERuptiones omnes ad cutem, ſiue ſimplices ſint efflореſcentiæ, ſiue eleuationes ad puſtulas, ſiue altiores eminentiæ in tumores, & tubercula, ſi molitiones huiuſmodi ab intrinſeco ſunt, & per morbos, vel natura duce fiunt, quidquid intus turbat foras propellente, vel vi morbi ex prauo motu materiæ, quantùm referat vtramque noſcere molitionem notat Hipp. cum pro vario motu variæ emergant agendi, purgandi nempe, vel alendi indicationes. Si criticus motus eſt, & perfectus, ita vt prȩfatas per eruptiones, quȩcunque illæ ſint, tota materia ad cutem, vel ad partem determinatam eleuata tubiſtet tutiùs alendum; ſi verò prȩſentis, aut relictæ labis intus ſe prodierint indicia, purgandum inquit Hippoc. Quomodo vtraque diſtingui, dignoſcique poſſit cauſæ varietas,methodum tradit Auctor; inquit enim, ſi quas in cute maculas, puſtulas, aut tumores pullulare contigerit, inſpicienda eſſe excrementa: etenim ſi bilioſa fuerint, corpus ſimul totum coȩgrotare conijcies,& tunc purgatione potiùs opus erit,quàm cibatione, ne corpus vlteriùs inquinetur, & noua bilis genitam concitet; ſi verò ſanorum ſimiles erunt excretiones, cùm nullum denotent intus ſeruari fouens fermentum, ſed labem totam ad cutim fuiſſe tranſlatam, tunc vberiùs erit alendum. Faucibus igitur ægrotantibus Tumore, Phlogoſi, Apoſtemate, neque faucibus ſolis, ſed quocunque irruperint tubercula, puſtulæ, vel vniuerſales ad cutim eruptiones Exanthematum, Morbillorum, Phlictȩnarum, excreta ſemper erunt ſpectanda, non alui deiectiones modò, ſed & vrinæ in febribus potiſſimùm inſpiciendæ, num coctæ, & ſano-

rum ſimiles cum fidis coctionis characteribus, precipuè poſt criſim cutaneis completam abſceſſibus, an verò quid preſeferant vitioſi, cum tunc purgandum veniat corpus, ſi ſummè cacochimum fuerit, & impurum, vel mittendus ſanguis, ſi de venis ad cutem continenter antecedentem cauſam ferri, fouerique coniunctam conijcies.

Diſcuſſa excretorum materia, alia etiam diſquirenda ſigna ſunt, & quamuis Hipp. ſola excrementa inſpicienda ſuadeat, ex alijs tamen actionibus leſis peti poterunt de interno ſtatu indicia, vt omnibus ſimul collatis tutiùs decerni poſſit, an alendum, an purgandum, vel phlebotomandum ſit, cum apparentibus huiuſmodi criticis eruptionibus nullum ex hiſce preſidijs ſine ſummo priùs adhibito iudicio, & premeditatione ſtatuendum, de purgatione potiſſimùm, qua motus naturæ ad cutem intentæ oppoſitus perpetuò ſolet conciliari, & reuocari benè operantis intentio. Cur autem Hipp. inter propoſitas excrementorum animaduerſiones dè bilioſa ſolùm loquatur, qua viſa de purgandi indicatione ſtatuat, cauſa, mos eſt, & ſolitus Auctoris ſcribendi ſtylus, vt vno poſito de reliquis ſit argumentum; licet enim de ſola bilioſa deiectione ſtatuerit, reliquas non excludendas alterius indolis materias exiſtimandum eſt. Nam ſi deiectiones melancholicæ, aut pituitoſæ apparerent, ſanè eaſdem poſſent proferre indicationes; ſed ideo reor Hipp. de bilioſa ſolùm locutum excretione, quòd fortè ex ipſa tenuiores, & igneæ ad cutim euolantes particulæ faciliùs poſſint ipſam eleuare, vel in puſtulas erumpere, aut præ copia in abſceſſus colligi, vel in tubercula eleuari, cum huiuſmodi omnes eruptiones à mobili fiant materia, inter quas nulla bile mobilior, ea potiſſimùm, quæ foras integrè propellitur à venis.

EXPOSITIO MORALIS.

De operum humanorum ſpecificatiuo.

SI per morbos, aut bonam valetudinem eruptiones humorum ad cutim contingant, ipſam vel in tumorem eleuantes, vel maculantes vniuerſam, internum ſtatim partium ſtatum explorat Medicus, vt certior fiat, an quid intus externam fouens excretionem

totum ſimul corpus affici ſignificet, an verò pars ſolùm externa laboret inculpatis internis. Eademmet methodo progrediendum in omnibus animæ eruptionibus, quæ per cogitationes, locutiones, & operationes fiunt: etenim cum ſe prodierint aliquæ internæ protinus voluntatis, ac intentionis ſtatus animo luſtrandus eſt, vt pro viribus conſtet, an eruptiones huiuſmodi foueat voluntas ipſa concurrens, an ſine voluntatis aſſenſu foras propellantur. Quibus ſignis dignoſcenda tam difficilis cauſæ diſtinctio ſit, cum Deus ſolus corda hominum noſcat, & medullitùs ſingulas eruptionum libret intentiones, ſi methodo humana quidquam licet perſcrutari, ſanè Hippocratica vtendum in præſenti aphor. expoſita; inquit enim in eruptionibus omnibus ad ſuperficiem ſpectanda eſſe excrementa, quæ ſi ſecundùm naturam habeant, & ſanis ſint ſimilia, tutò poſſe nutriri pronunciat, ſin minùs, & snbilioſa apparuerint, eſſe purgandum, quaſi dicat, eruptionibus omnibus animæ perpenſis, ſi nulla ab excretis internis, à proprijs nempe eruptionum differentijs, & circumſtantijs proferantur prauæ voluntatis indicia, & ſanis; virtuoſis ſcilicet actis ſimilia ſint, tutò anima debitis poterit cibari Sacramentis: ſi verò bilioſa redoleant bilis naturam, efferæ nempe ſint eruptiones, acutæ, & Deo, ac Proximo amaræ, cum à praua fiant intus voluntate, ſacro Pharmaco purgandum deſignat, ne noua iam factis eruptionibus culparum ſuggeratur peccati materia. Voluntas igitur pars animæ interna omnes integrans eiuſdem actus, & eruptiones, qualis intus ſit, ijſdem apparentibus, ſpectandum; omne namque malum, quod dicitur, agitur, vel mente voluitur, non omne prauum, ſi praua non aſſentitur voluntas, nec omne bonum foris erumpens, bonum licet eſſentia ſua, bonum tamen non eſt, niſi bonum bona reddat intentio. Vnde omnes operum, ſermonum, & cogitationum eruptiones ex interno voluntatis ſtatu æſtimandæ. Eruptionum exempla exponit Auctor in aphor. & earum potiſſimùm, quæ verbo, & locutione effunduntur, quòd frequentiùs accidant, quàm quæ de ſola mente, & operatione emergunt; inquit enim Hipp. *Quibus fauces ægrotant*, aut puſtulæ in corpore exhoriuntur, *excrementa ſpectare oportet*, eruptionem ad fauces tanquam ideam profert ad reliquas, inquiens genericè, *quibus fauces ægrotant*, ideſt ad prauiloquium ſunt diſpoſitæ, tunc *excrementa ſpectare oportet*; viden-

videndum ſcilicet interiùs, an voluntas infecta, & ad dicta liberè concurrat, an intentio ſcilicet ſit reuera malè dicendi, quum malè profertur, an non; nec ſtatim ac quid ritè dictum, vel ſenſu effatum equiuoco, protinus ex praua voluntate prolatum fuiſſe iudicandum, cum plurima ſanè in extremis animæ motibus, vt in acerrima iræ ebullitione, in ſumma afflictionis procella dicantur mala, quæ licet mala ſint, & ex prolatione talia, non intentione tamen talia exiſtunt, vt Pſalmiſta in exceſſu ſuo omnes homines mendacij culpatos dixit. In verborum igitur eruptione, licet quandoque fauces ægrotent, reliquum tamen voluntatis corpus ſępe ſępius non laborat, ſi de malè dictis potiſſimùm lędendi nulla fuerat intentio. Vnde verborum ſenſus non prout erumpit interpretandus, intelligenduſque eſt, ſed ſecundùm intrinſecum proferentis animum percipiendus, quæ ſi fortè non intelligit homo pronus ſemper ad culpabilem, intelligit diſcretor cordium Deus, qui aliter res iudicat, quam ille, vt Greg. lib. 26. moral. perbellè ſignauit his notis. *Aures humanæ talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant; Diuina verò iudicia, talia foris audiuntur, qualia ex intimis proferuntur; certè nouerit ille, qui voluntatem, & intentionem alterius varijs explicat verbis; quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem: non enim debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni.* Vnde liquet intentionem ſingularum animæ eruptionum teſtimonium eſſe, & cum verba foris erumpunt non ſuperficie tenùs examinanda; ſed altiùs, & medullitùs internus vſque adeundus eſt voluntatis ſtatus, qui ſi iudicabitur infectus, purgandus erit ſtatim; ſin contra purus ab excretis actionibus apparuerit, dicant quidquid velint bonam eruptionem accuſantes, dummodo de bona tibi conſcius ſis eruptione, tutò te poteris ante Deum, & Proximum innocentem profiteri, & excuſatione munire; quid enim patri culpæ erit, ſi filium, aut ſeruum diſciplinæ gratia percutiendo prudenter, mors inde caſu ſequatur, quantùm ad gratiam innocens eſt, quia voluntatem, non opus externum ſolùm hominis requirit Deus, quantùm ad legem reus, quia lex opera quærit. Propenſæ adeo ſunt eruptiones in malum, vt etiam per bonum non ſinat quidquam mali immiſceri, vt Greg. in moral. 20. ſic habet. *Valde laborioſum eſt cuſtodire, ne homo mala faciat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, & intrà bona opera ſiniſtra cogitatio illudat.*

Præ-

Præter eruptiones ad fauces fiunt aliæ ſuperficiales ad vniuerſam cutem per puſtulas, & efflorefcentias morbum ſoluentes, in quibus internus etiam ſpectandus viſcerum ſtatus, an ſcilicet hic in vitio ſit, an non. Sic per animæ criſes fiunt perfectiſſimæ ſępe eruptiones ad cutim; dum ſcilicet tota materia peccati vacuatur quidem, ſed per habitum remanent adhuc puſtulæ, & efflorefcentiæ, quæ nihil aliud ſunt, quàm inuolontariæ quędam culparum eruptiones, vt his accidit, qui e. g. obſcęnis familiaria inter colloquia profluunt verbis ad audientium ſcandalum erumpentibus, vel illis vernaculi, qui paſſim inter loquendum, vt aſſertiones roborent ſuas frequentiſſimo per Deum iuramento peſſima firmant conſuetudine: hi ſiquidem vel nolentes, & inſcij præ malè concepto habitu in huiuſmodi fluunt eruptiones, quæ tanquam puſtulæ, & efflorefcentiæ ſunt, in quibus interna fortaſſe voluntatis viſcera nullum tribuunt conſenſum. Quòd ſi ex aduerſo peſſimam conſuetudinem interna comitetur intentio, purganda labes erit intrinſeca, ne peſſimus vltrò feratur, ſed prauus loquendi habitus deſſueſcat.

Vniuerſim, ſiue interna, ſiue externa pars aliqua laboret, ſcrutandum, an corpus vniuerſum ex ea ſimul coafficiatur. Hinc diſcant Prę ſules, & qui prę ſunt animabus, ſi pars aliqua Ciuitatis in prauam aliquam doctrinam erumpat, quæ ſapiat hęreſim, medica methodo de repente purgare antequam ſerpat vlteriùs, & totam inficiat Vrbem. Neque modò Prę ſules per Vrbem, & Diœceſim totam vigilantes ſint, vt peſſimas arceant eruptiones, ſed vnuſquiſque per priuatas domos Herus diligenter inuigilet ſuper familiam ſuam, ne malę pullulent eruptiones, quæ ſi quando prodierint, diſcutiat, & corrigat ſtatim, ne totum familię corpus inficiatur; ſi enim ſeruus in obſcęnas oris puſtulas eruperit, blaſphęmus, vanilo-quus, & fur, ne filios, ſi qui ſint, alioſque ſeruos in eaſdem erumpere doceant obſcęnitates, expellendus ſtatim eſt; ſunt enim puſtulę huiuſmodi malignæ zeli ferro ſcarificandę. Quòd ſi vitioſis in ſeruo nullis apparentibus eruptionibus nati nihilominus in liberas irruant ipſi eruptiones, in tumores inobedientiæ, in exanthemata liuoris, aut in perniciofas alias animæ maculas, tunc totum corpus animo luſtrandum erit, Parentum ſcilicet, aut Dominorum mores, an ipſi libera nimis, vel indecora hac excrementia in viuendi lege

effræ-

effręnes Liberorum mores in peſſimas adigant eruptiones; ſi corpus ipſum, Genitores ſcilicet, & Patroni maculas, & puſtulas emittant, & ſordidi ſint, perquàm difficile eſt filios ab emiſſis culparum eruptionibus poſſe mundari, niſi Parentes ipſi à maculis omnibus priùs fuerint deterſi.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quæ foris erumpunt, variant, ſi perſpicis intùs;
Quod foris eſt odium, ſepiùs intùs amor.

APHORISMVS XVI. SECVNDÆ SECT.

Vbi fames, laborandum non eſt.

EXPOSITIO MEDICA.

EXhauſti ab inędia Spiritus, & humores vlteriori non ſunt inanitione abſumendi, ea potiſſimùm, quam corporis, & animi motus inferunt, & labores; ſed omni niſu reſo-uendi, non in ſanis modò, ſi fortè grandis præceſſerit abſtinentia, ſed & in conualeſcentibus, in quibus, præ iam præ-greſſi victus tenuitate, & frugalitate præſentis eneruatæ vires pe-tunt reſarciri. Vnde ſi cuipiam ſano, vel conualeſcenti coacta, vel ſpontanea præceſſerit, aut futura ſit inædia interdicendus omninò labor omnis eſt, & exercitatio, præſertim fatigatiua, ne corpus præ penuria exſiccatũ altiùs ab exercitio exſiccetur, non ea ſolùm mo-tione, quæ progreſſiuo fit motu, ſed quacunque alia corporis, & humorum agitatione, per quælibet turbatiua Artis præſidia, pur-gatione nimirum, Phlebotomia, cucurbitulis, & alijs huius cen-ſus, à quibus omnibus arcendi quicunque præſenti, vel futura exer-citatione fatigati, vel fatigandi, abſumpti, vel abſumendi ſunt, ea ratione, vt qui validiori motu delaſſati ſunt, inędia non eneruandi, & qui inædia tabeſcentes, ab exercitio arcendi.

EXPOSITIO MORALIS.

Qua vigente animæ fame laborandum non ſit.

ANimam, non ſecus ac naturam, ſua ſtimulat fames. Animæ fames appetitus ſunt eiuſdem; in varios mouetur natura, fer-tur in diuerſos & anima; & tot eam proritant, quotquot mouen-tia ſe proferunt obiecta. Appetitus omnes animæ, ſicut & naturę, in duas ſummas dirimi ſolent ſpecies; Quidquid enim appetit na-tura, vel ſecundùm naturam eſt, & cedit in naturæ commodum, vel præter naturam, & in certum deſinit eiuſdem detrimentum: ſic quidquid appetit anima, vel virtuoſum eſt, & imitabile, & ſic

ter-

terminat in animæ gratiam vel vitioſum, & declinabile, & in eiuſdem perpetuò fluit perniciem. In obiectis igitur animæ appetitum mouentibus verſemur, & in duas rurſus partiamur iterum ſpecies, ſiue terrena ſunt, quæ appetit, ſiue cœleſtia, vtraque vel licita ſunt, quę noſcere, & aſſequi poteſt homo, vel negata, & interdicta, quę nec ab ipſo teneri queunt, nec dignoſci. Vbi igitur fames, appetitus ſcilicet animę ad ea, quæ quandiu ſocia corporis attingere nequit, nec comprehendere, laborandum ſanè non eſt: cum verò cœtera inter appetitus obiecta, quæ validiſſimè trahunt animam ad concupiſcendum, & quę nequit ipſa comprehendere, Fidei ſint myſteria, hac potiſſimum vrgente fame laborandum non eſt, vt eius eſſentiam certa notione aſſequaris, ſunt enim myſteria Fidei arcana Dei, quæ non licet homini loqui, ſicut expedit experiri, quæ, quò plùs recondita, veneranda magis, ac recolenda ſunt, non diſcutienda, quòd appetitus eorum in hoc ſæculo expleri nequeat, neque, qui illa ſciendi fame cruciatur, laborare debet, vt ſatiare ſe confidat: comeſtibilia enim non ſunt mentibus viuētiū ad ſatietatē Fidei myſteria, aliter Fides non eſſet; vnde conatus omnes, & labores in perquirenda illorum ratione, tanquam fruſtratorios, irritos, & perniciofos damnare videtur Hipp. Quid enim ſonat, *vbi fames, laborandum non eſt?* niſi, vbi de noſcendis Fidei myſterijs fames eſt, laborandum non ſit, dimittenda ſcilicet argumenta, quibus cibus conficitur ad famis ſatietatem? cum nullis quantumuis dialecticis Syllogiſmis conditus cibus iſte ab humana digeri queat imbecillitate; vt D. Aug. de Trin. ſic habet: *Aufer argumenta, vbi Fides quæritur, in ipſis gymnaſijs tuis iam Dialectica taceat; piſcatoribus creditur, non dialecticis.* Vbi igitur fames ſciendi recondita Fidei, laborandum non eſt; ex hoc enim ſciendi appetitu, quò plùs famem ſatiare niteris, tantò magis acues, & quantò plùs ſcrutando laboraueris, tantò magis Fidei vires exhauries, & minùs de Fide ſapies. Abneget igitur ſemetipſum Chriſtianæ legis aſſecla; ſic vult; ſic iubet ſummi Legiſlatoris mandatum, vt mentem ſcilicet ab vlteriori myſteriorum Fidei indagatione arceamus, abnegemuſque noſmetipſos, crucem noſtram portantes, in ignorantia eorum, quæ incomprehenſibilia voluit Redemptor, & imperſcrutabilia nobis teſtatur Apoſt. ad Rom. 11. hæc habens: *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & in-*

 ueſtigabiles

ueſtigabiles viæ eius; *Quis enim nouit ſenſum Domini?* Nemò, inquam, inter viatores, & niſi Comprehenſor fuerit non comprehendet. Repetam ergo vbi fames eſt incomprehenſibilium, laborandum non eſt; quoniam quandiù viuimus, eſurientes nos ſtatuit Omnipotens, nec mentem dedit reconditis Fidei ſuccis vnquam poſſe ſatiari. Si qui tamen labor impendendus eſt, totus in gratiarum actione ſit, mentem noſtram cęcutientem Diuino ſiſtentes beneplacito, gratiam ſupremæ perpetuò reddentes Prouidentiæ, quòd inter credentium turbas, quas miſertus paſcere decreuit, nos ipſos tanto Fidei pabulo dignos reddere dignatus ſit. Epulemur ergo iucundè in Fidei menſa, ſupremo veſcamur Cibo, neque modum, quo fuerit iſte compoſitus perquiramus; ſat eſt, vt preſtò nobis ſit æternæ veritatis obſonium, quò abundè, & caſtè nutritis vires dentur; vt quod in Fide credimus reconditum, noſcamus tandem reuelatum. Neque de ſolis Fidei myſterijs dignoſcendis fames Mortalium mentes irritat, ſed ad inferiora fertur etiam animæ appetitus, terrena nimis auidè affectans obiecta; cum quis enim intenſiùs, quàm par ſit, temporalia appetit bona, nauſeans æterna, vbi fames hæc acuitur, laborandum non eſt, vt expleatur; cum morbos inde exoriri pronunciet Hipp. in ſequenti. Morboſa igitur fames hæc eſt, quæ expetito non ſatiatur vnquam cibo: quamobrem, ſi vellicat vindictæ fames, proditorio gladio laborandum non eſt, vt iracundum expleas animum: æſtuat fames luxurię, inſidiata innocentia, laborandum non eſt, vt obſcęna ſaties deſideria: Irritat opulentię fames, vſuris, & furtis laborandum non eſt, vt alienis te repleas rebus. Sollicitat te fames inanis glorię, ſupplantato fratre, laborandum non eſt, vt inani tumeas iactantia. Et vniuerſim, cum omnigena ad illicita queque appetenda trahit animum fames, laborandum non eſt, vt ea conſequi poſſis, quę pernicioſa poſtmodum deferes, vel deſerent; quidquid enim laboraueris, vt deprauatam, & morboſam animę famem ſatiare nitaris, fruſtra laborem impendes, & nihil inuenies in manibus tuis eorum, quę vitioſè nimis appetiſti; & tunc in vanum te laboraſſe conijcies, cum mors, terminus, & meta laboris, adueniens ſempiternis ſaturabit opprobrijs. Inanes igitur fuge labores antequam poſtremus ingruat labor, laborque tuus ad mandata Dei meditanda, & ſeruanda totus incumbat; Re-
gius

gius enim Propheta in hoc labore ſe fuiſſe exercitatum pluries repetit ; *In toto corde meo ſcrutabar mandata tua* : *In mandatis tuis exercebar* . *Viam mandatorum tuorum cucurri* . *Mandata tua exquiſiui*. Ex quibus patet totũ laborẽ ſuũ in exercitatione, & meditati one mandatorum Dei fuiſſe, ita vt meditãdo exerceretur, & exercẽdo meditaretur, vt pſ. 118. *Quomodo dilexi legem tuam, tota die meditatio mea eſt*. Tota igitur die, tota nẽpe vitæ tuę periodo, cum Pſalmiſta meditare in lege Dei, nec te torqueas in diſquirendo legis enigmate, & ratione ; *Mandata tua exquiſiui*, dixit ille, non mandatorum rationem : appetitum ita dirige ad ſeruanda mandata, vt famem de Fidei ratione deperdas ; ſic continuò eſuriens viue, vt ſatiare te tandem poſſis in cœlis, vbi laborandum non eſt, ſed æterna quiete gaudendum .

Laborandum vltrò non eſt immodicè ſpirituali ipſo in exercitio, ſi fames, imbecillitas nempe ex præſenti, vel pregreſſa orta auſteritate prohibeat, nec intenſa, ac perenni ſpiritus ipſe intendendus operatione, ſed ſuſcitandus quandoque otio non vitioſo vigor, vt triſtitia, & infirmitas, quæ continuatione pertinacis ſtudij, orationis, ieiunij, & immodicæ cuiuſcunque ſpiritus occupationis inducitur, aliqua feriarum hilaritate diſcutiatur, cum non minùs fatigetur corpus ex laboribus animę, quàm ex violentis proprijs motibus, & exercitationibus, vt inquit D. Thom. 22. quæſt. 168. art. 2. Quando vltra modum in aliquas operationes ſe extendit laborare, & ex hoc fatigatur præſertim, quia in occupationibus animæ laborat etiam corpus, inquantùm ſcilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini, & ideò quando anima vltra ſenſibilia eleuatur operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſiue homo intendat operibus rationis practicè, ſiue ſpeculatiuè ; magis tamen ſi operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis à ſenſibilibus eleuatur, in vtriſque tamen tantò magis aliquis fatigatur, quantò vehementiùs operibus rationis intendit ! ſicut fatigatio corporis, ita & defatigatio animalis ſoluatur per animi quietem ; quies autem animæ eſt delectatio .

Præſtat igitur vires animæ aliqua delectatione recreare : ſic ſpiritualis homo ſpirituali eget quiete, vt ad nouos reuiuiſcat labores, diuque poſſit vitam ducere, & ſicut animali quieſcenti membra

tria numquam feriantur, neque quieſcunt, Cor ſcilicet, Pulmo, & Cerebrum, ita dum internus homo quiete fruitur, Charitas; quæ velut Cor Amoris calorem continet, numquam quieſcere, ſed ſemper in bonum laborare, ac ſpiritus diffundere debet; Spes aerei Pulmonis ad inſtar conſolari debet, ac temperare affectus, & ad Cœlos laborans anhelare; denique Fides, à qua, tanquam à Cerebro, motus cognitionis emanat, veritate continenter moueri debet, nec ſæculi fallacijs illudi.

DISTICHON APHORISTICVM.

Mundi vana fames, hanc ne ſatiare labores;
Nam labor, & niſus totus inanis erit.

APHORISMVS XVII. SECVNDÆ SECT.

Vbi cibus præter naturam plùs ingeſtus eſt , morbum facit;oſtendit autem ſanatio .

EXPOSITIO MEDICA.

PRæter naturam cibus ingeritur, ſi ſubſtantię, quantitatis, qualitatis, temporis, & ordinis modus non ſeruetur. Quamuis Hipp. de ſolo quantitatis vitio verba facere videatur in præſenti Aphor.reliqua tamen etiam vitia complexum fuiſſe putandum. Vbi[præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt, ideſt pluſquam cuiuſque naturæ, conſuetudini, ętati tempori, & regioni competere videatur, ingeſtus ſit cibus, morbum facit cauſę vehementiæ reſpondentem, quæ cum plus in quanto ſit, morbos in adaucta faciet quantitate; plenitudinem ſcilicet, vel ad vires, ideſt ſi oneri etiam leuiori regendo impares ſint, ſi corpus diſcratum fuerit, vel ad vaſa ſi euſarcum, morbos ex plenitudine genitos oſtendit ſanatio, inquit Hipp. ſubſequens nempe ſponte, vel arte facta morbi ex plenitudine prodeuntis ſolutio, medici frequens norma iudicij, cum ſępe natura ipſa ſponte morbos aliqua ſoluens vacuatione, eas aggredi viſa ſit, quę Medicis fuerunt ſuſpectæ, ac per eas vacuationes, quæ fortè priùs erant ignotę cauſas detegerit ęgritudinum, ex qua ſpontanea naturæ molitione moliri diſcit & Medicus. Copioſiorem igitur pluſquàm naturæ modo conueniat ingeſtum cibum morbum feciſſe morbi deregit ſanatio, ex cuius euentu cauſæ antecedentis, per vacuationem potiſſimùm dignotio innoteſcit. Cibi igitur pluſquàm naturæ modo conuenianț aſſumpti Quantitatem vomitus, vel alui fluxus oſtendet, Qualitatem, deiectionum indoles, Subſtantiam fluentis materiæ corruptela, Ordinem excrementorum varietas, Tempus cruditatum copia, ex quibus patebit quidquid in ciborum quantitate, qualitate ſubſtátia, tempore, & ordine fuerit delictum, & patebit vlteriùs ex nimia ciborum repletione morbos progigni, & per horum ſanationem quiditatem, & cauſas eorum dignoſci.

EXPO-

Quàm pernicioſum ſit hominibus ſupra myſteria Fidei velle nimis Philoſophari.

PLurimus animæ cibus rerum impoſſibilium inueſtigatio eſt, & eorum omnium, quæ ſupra ſui captum ſunt, in quibus antecedenti dictum in Aphor. commento laborandum non eſſe; nec animæ famem hæc omnia per obiecta poſſe ſpeculationis pabulo ſatiari. Quare præſens Aphor. rationem reddit, cur in eorum, quæ ſenſum, intellectumque noſtrum effugiunt, indagine laborandum non ſit, quòd morbos præcipuè ab exceſſu obiectorum, quæ humanam ſuperant potentiam certò ſpondeat emanaturos. Enimuerò cibus ſpeculationis eorum, quæ potiſſimùm ad Fidei ſpectant myſteria, plurimus ſemper eſt, & non modò præter naturam, ſed & præter rationem ingeſtus perpetuò procreat morbos, cum ratio nulla queat tot reconditis aſſignari myſterijs: vnde cibus plurimus inueſtigationis ingeſtus cum potentijs ſit improportionatus, & excedat intelligentiam vtramque, non ſecus ac plurimum in corpore alimentum, & ad vires, & ad vaſa proferet plenitudinem; ad vires quidem, cum tot regendis, & digerendis Fidei myſterijs impares ſint, in putredinem ſanctas abire ſinent diſciplinas, & bonam, ſanamque doctrinam prauis ſententijs euerti permittent, & corrumpi. Vnde migrans plenitudo ad vires ad eam, quæ ad vaſa dicitur prę vniuerſali Fidei obſtructione prefocato, & erroribus vndique circumuallato ſpiritu per gradus in teporis, & negligentię primùm morbos conijciet, mox in differentię ambages, in abſolutiſſimę tandem incredulitatis affectus animam miſerè pręcipitabit, quæ tanta ſpeculationum plenitudine obruta, velut corpus nimio ſuffocatum humorum cumulo, in ſceleſtiſſimam ruet herefim, in quam quotquot lapſi fuerunt, omnes legimus plurimo, & pręter naturam ingeſto argumentorum cibo incidiſſe. Vbi igitur cibus hic copioſior, quàm par ſit, ingeſtus fuerit, morbum procul dubio faciet, & inter cœteros grauiſſimum; quem ſanè *Oſtendit fanatio*, ſubdit Hipp. ſanatio ſcilicet eorum, qui Diuino afflante Spiritu de

ſeculi

ſęculi appetitu ad ſanctam Euangelij famem fuerunt reuocati: Apoſtoli enim ſtatim ac ad Chriſti ſequelam fuerunt allecti, relictis omnibus; nullis philoſophantes ſyllogiſmis, ſecuti ſunt Saluatorem; nullis argumentorum pabulis animam nutrire, nullis rationibus ſaginare ſe curauerunt, ſed protinus appoſito obſonio vocis Dei, ſecuti ſunt eum, & hac ratione crediderim inter vocatos ad Apoſtolatum tot Saluatorem elegiſſe Piſcatores, quia retibus, doli, & fallaciæ, fraudiſque ſymbolis, incumbebant; vt apertè notaret nullis, in Fidei veritate inquirenda, opus eſſe argumentorum retibus. Vnde cœtera inter omnia, quæ ab Apoſtolis relicta fuerunt, vxores ſcilicet, filios, campos, domos, ſubticens Euangeliſta non niſi de relictis retibus verba fecit, vt oſtenderet inter omnia, quę ad Fidem ſectandam dimitti debent, & omitti relinquenda præcipuè rationum eſſe retia, & intricata argumentorum filamenta. Nouerunt equidem ab immodico ſpeculationis cibo circa Fidem ſe abſtinere Apoſtoli, ſat abundè lege Domini nutriti, non rationibus ſatiati, nouerunt tot Martyres, tot Confeſſores, tot Virgines, tota denique Sanctorum claſſis ingeſto præter naturam argumentorum pabulo ſe ipſos non replere, ne fuerent in errorum inextricabiles labyrinthos. *Oſtendit autem ſanatio*, inquit Hipp. Sanitas ſcilicet manu, nutu, vel verbo Chriſti viuentis tot data Euangelicis languentibus, qui nullo ingeſto diſcuſſionis cibo pro Fide, quam acceperant alenda, Diuino contenti beneplacito, ſe totos dedere Deo, & nulla abſiſtente dubietate protinus crediderunt. Languidus ille, de quo quidquam ſupra attulimus, 38. annos habens in infirmitate ſua, ſanatus à Domino, eius ſanatio cauſam oſtendit ęgritudinis, dum ſanus à Domino Ieſu dimiſſus, cauſam ipſemet aperuit, *Iam ſanus factus es, noli ampliùs peccare*, quaſi dixiſſet. Saluator, per Fidem ab inueterato morbo euaſiſti, caue ne relabaris, quod credis noli impoſterum argumentis diſcutere, ſat ſit tibi obtinuiſſe Fidem, ſine qua diutiùs ęgrotaſti; noli igitur iterum infirmari per incredulitatem, ne tibi aliquid deterius contingat in priſtinam relapſo cordis duritiem. Nec huic ſoli decumbenti, ſed quotquot Euangelicas occurrunt inter paginas, prægreſſos incredulitatis morbos oſtendit ſanatio per Fidem: vnde paſſim per ſacroſanctum Euangelium; modò geminos illuminans cęcos Dominus

inquit.

inquit. *Secundum Fidem veſtram fiat vobis* Matth. 9. Modò mulieri Cananeę, pro filia, Ieſum roganti reſpondit *Mulier, magna eſt Fides tua* Matth. 15. Magdalenę dixit, *Fides tua te ſaluam fecit:* Lucę 7. Modò Centurioni. *Non inueni tantam Fidem in Iſrael*, Matth. 8. & paſſim oſtendit plurimum & preter rationem ingeſtum cibum ſpeculationis in his, quę ſpectant ad Fidem, cauſam fuiſſe morborum, dum per Fidem omnes euaſerunt, & niſi Fides medelam paraſſet, non vtique Dominus curatrices adhibuiſſet manus, quas cuicunq; impoſuerat, ipſas oſtendiſſe legimus ęgritudinis cauſam integram fuiſſe, nullis argumentis, nullis rationibus diſcuti debere Fidem. Vnde propter Fidem tot effudit gratias, tot edidit miracula Saluator, & quotquot dignatus fuit operari, in gratiam ſpectatę Fidei ferè ſingula operatum fuiſſe legimus, ita vt quaſi mutuo ſe viſa ſint fouere incremento Fides, & Miracula, Fides de Redemptoris dextera miracula extrahendo, & miracula de cordibus infidelium Fidem eliciendo, vt Fides miraculorum promptuarium, & miracula Fidei ſtabilimentum cenſenda ſint.

Vlteriùs vbi cibus preter naturam plurimus ingeſtus eſt, morbum facit in illis, qui ſe, ſuaque negligentes alienis ſe immiſcent factis, & preter rationē ſe ingerunt in ea, quæ nihil pertinét ad ſalutem, vnde morbos progigni neceſſe eſt; curioſus enim ſe nimia replens cupiditatis eſcà, ęſtuans deſiderio cognoſcendi id, quod ad ſe nihil pertinet, cum præter naturam alieni facti cibos ingerat, domui ſuæ vix quidquam fit, quod curet, auidas alienis negotijs ſemper aperiens aures, importuno ſtudio fertur in ea, quæ honeſtiùs neſciret, perpetuus eſt ſititor nouitatis, moleſtus percontator, fingendi auidus, materiam ſermoni quærens; denique ſcrutandis alienis commodis grauior, quàm leuandis melior, adapertis oculis, & auribus ea excipit, vnde gaudeat ſibi oblatam occaſionem cauillandi, calumniandi, & nocendi, ſemper eſt mali animi plenus, ſe ſemper ſuperuacuo, & improbo labore defatigat, ac plurimo curioſitatis cibo præter naturam ingeſto propriam, & alienam obruit animam morbis, de quibus curandis nulla ſollicitudo, nulla mouet anxietas, vt Aug. lib. 10. confeſſ. ſic habet. *Curioſum genus hominum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam*: vnde trabem propria poſitum ante lumina non videns, feſtucas in alienis

oculis

oculis rimari, ne dicam criminari, præſumit. Aufer, (conſulit Saluator) primò trabem de oculo tuo, & poſt feſtucam erues de pupilla fratris tui. Hoc itaque modo ſanatio oſtendet plurimam, & præter naturalem ingeſtam de rebus alienis curam, & ſollicitudinem proprij morbi fuiſſe cauſam. Cura igitur quiſquis curioſus es alieni facti indagator à curioſitatis prurittu auertere te ipſum, ne morbi inde fiant peſſimi detractionis ſcilicet, inuidiæ, rapacitatis, indeuotionis, & eorum omnium, quæ curioſam nimis ſequi ſolent animam: in factis tuis meditare, & ſi aliena tibi ſcrutanda, ea ſint, in quæ Regius Pſalmiſta verſabatur, dum dixit Domino *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar*: 142. Meditare (repetam) in factis Dei, qui Diuinis potiſſimùm addictus, & ſacratus myſterijs Religionem colere ſtatuiſti, quid extra clauſtra fiat, qui clauſtralis es, ſcire non cupias, ne noſcas ea, quæ poſt nouiſſe pœniteat, mulierum praua colloquia fugias, ne dicam aſpectum, ne oculi ex obiecto delectabili plurimum fortè ingerant cibum, morbum fortaſſe facturum immodeſtiæ; ne vageris ad conuiuia, ad theatra, cella tua theatrum tuum ſit, hic cum Chriſto, & Sanctis eius conuiuium tuum ſit, hic tragicam quotidie repete Saluatoris hiſtoriam, in hac recordatione totam impende potentiam, ſpondeo enim maiorem ex cella iucunditatem percepturum, quàm ſi millibus extra interfuiſſes theatris, & conuiuijs, & comicis cantilenis. Cauete demum quicunque Deo ſacrati ne comicorum fabulis interſitis; etenim dum fabulis fortè delectari geſtitis, attendite, ne fabulæ voſmetipſi ſitis hominibus comicis. Interfuit fabulationibus Regius Propheta, & iniqua velut opera deteſtatus eſt pſal. 118. inquiens *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua*.

Cibus tandem, cum præter naturam plurimus ingeſtus eſt, morbum facit in illis, qui reuera ventri, guleque dediti plus ingerunt, quàm poſſint concoquere ex quibus cruditates, & inde morborum cumulus animæ, & corpori impendens, vt inquit Chryſoſt. Serm. verè aureo contra luxum, & crapulam his notis *Cum qui viuit in delicijs, & ebrietati deditus eſt, & carnium voratione, & vini potatione diſrumpitur, ſæpè, & inuitus, & ſponte neceſſe eſt peccare*; Nam ſicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine gra-

uata ſubmergitur, ita anima, & corporis noſtri natura,ſi plures acceperit cibos, quàm ferat ſua vis,impletur,& iniectorum grauitatẽ non amat,& in perditionis pelagum demergitur,& nautas,& gubernatores,& eos, qui in prora, & alios nauigantes, & ipſum onus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non ſcientia gubernatoris, non nautarum numerus, non præparationis ſtudium, non anni pars tempeſtiua, non aliud quidquam naui, quæ ſic in tempeſtate eſt, prodeſt; ita delicatis euenit, neque cogitationum multitudo, neque eruditio, & admonitio, neque zelus, & conſilia, neque meditatio, & timor futurorum, neque pudor, & accuſatio præſentium, neque aliud quid ſaluare poteſt ſic voluntariè periclitantem animam, ſed inualeſcit luxus, & amentia per omnia, & ſub aquas eum, qui egrotat, & crapula grauatur, defert, & graue facit naufragium.

DISTICHON APHORISTICVM.

Abdita dum Fidei mentes arcana reuoluunt,
Morbificis dubijs pectora ſana replent.

APHORISMVS XVIII. SECVNDÆ SECT.

Eorum, quæ celeriter nutriunt, celeres quoque fiunt excretiones.

EXPOSITIO MEDICA.

Alimentum alendi corporis indigentiæ proportione reſpondeat oportet, non modò circa quantitatem, ſed & penes reliqua, ſubſtantiam potiſſimùm, circa quam verſari videtur mens Hipp. ſanis, & conualeſcentibus aphor. hic eſt aptabilis. Conualeſcentes, quorum calor eſt exiguus, & reſarciendi neceſſitas magna, ne multò pabulo puſilla obruatur caloris ſubſtantia, alimentis, quàm fieri poteſt, facilis coctionis, & diſtributionis reſtaurandi, deſcriptis potiſſimùm in preſenti, quæ ſcilicet celeriter alterentur, nutriant, aſſimilentur, & celeris habeant excretionis materiam, non craſſis videlicet, viſcidis, durioris ſubſtantiæ, & ægrè coctilibus, ac tardioris excretionis; ſed perquàm ſuccoſis, liquidis permeabilibus,& languidæ naturæ analogis, vt ſunt oua ſorbilia recentia, gelatina, ptiſana, carnium iuſcula, vinum; & huiuſmodi, quorum prompta nutriendi vis, & celer excrementi depulſio. Licet circa excretionis celeritatem non videam, cur per celeris nutrimenti alimenta in conualeſcentibus celeres pariter ſubſequi debeant excretiones. Etenim quò cibus celeriùs nutrit, purioris ſit ſubſtantiæ, & minùs excrementis affluat oportet, & quò minùs ſcatet ſuperfluo, minùs hoc, & tardiùs debet excerni, & expelli, eò quòd tanta non ſuppetat eius copia, vt ſtatim proritare valeat expultricem, & quòd vlteriùs languens conualeſcentis facultas, ſępe, vel etiam prementem copiam niſi clyſtere, vel balano, aut eccoproctico ſollicitata vix exurgat ad expellendum; vnde quæ celeriter nutriunt quandoque non ita celeres habent excretiones, ſi pręſertim feruor aliquis viſcerum, vel æſtus ſubſit hippocondriorum, quo fit, vt prompta nutritio, & celer excretio non ſibi ſępe proportione reſpondeat; niſi fortè per excretiones intrinſecas illas Auctor intelligat, quæ per coctionis officinas naturalium, &

vtilium excrementorum fieri ſolent, melancholici ſcilicet recremẽti ad lienẽ, bilioſi ad cyſtim felleã, ſeroſi ad renes; cęterũ excretionum fęcaliũ non certa eſt, & eadem, eadẽ etiam poſita viſcerũ, & ciborum temperie, tum in ſanis, tum in ægris expellendi ratio; in ſanis potiſſimùm, cum pleríque cibis vtentes ſuccoſis, & celeris nutritionis tardas, alij excrementitio magis victu nutriti celeres habeant excretiones, licet non ita celeres fiant nutritiones, quocirca non alimentorum modò, ſed & peculiaris cuiuſque conſtitutionis habendam rationem quotidiana ſuadet experientia. In conualeſcentibus, quibus prompta congruit nutritio, danda promptæ nutritionis alimenta, at in ſanis varia pro cuiuſque natura miniſtranda. Solidiores epulas, & minùs diſſipabiles pro victu conſuetas habuiſſe conſtat eos, qui longiùs vixerunt: vnde ſanis, quò minùs celeris nutritionis, & tenuis ſubſtantiæ dantur alimenta, vitæ diuturnitati magis proſpicitur, ſi ſana viſcera ſint, & ventriculus calidior, niſi victus ſummè coctilis pluries iteratus vires compenſaret ſolidioris; quæ tamen nutriendi regula minùs acceptabilis eſt, cum ſuccoſa magis, & liquida minùs fixæ generent ſubſtantiæ humores, ſed fluxiles, humidiores, & putredini magis opportunos: vnde, qui ſolidiori vtitur dieta, ſolidiori fruitur vita.

EXPOSITIO MORALIS.

Humana felicitas celeriter eleuat, & celeriter præcipitat.

VArijs, & oppoſitis anima nutritur obiectis, prout ipſam praui, aut boni mouent, & excitant appetitus. Eorum, quæ celeriter animam bonis nutriunt, celeres quoque ſequantur excretiones oportet, vt mens ſcilicet, cor, & ſpiritus prauis ſtatim depulſis, & excretis ſpeciebus in Deum ferantur omnes. Si cęleſtibus promptè fuit anima cibis nutrita, terrenorum protinus abijciat excrementa, & quidquid terram ſapit, velut excrementitium, celeriter etiam deponat expedit; ex prompta enim ſęcularium voluptatum excretione, promptæ cœleſtis nutritionis emergunt indicia, non

ſecus,

ſecus, ac in excretis corporeis ſubita, & celer excretio ſubitæ, & celeris coctionis, & nutritionis ſignum exiſtit. Quicunque celeri ſunt nutriti Dominicæ gratiæ, vel vocationis alimento, vniuerſi protinus rerum omnium, & crimen, & ſuſpicionem criminis redolentium excretionem moliti ſunt, ita vt prompta nutritio cęleſtium, & celer excretio terreſtrium proportione ſemper ſibi conſenſerint: & reuera, niſi tam prompta, & ſalutaris nutritio ſubſequentem protinus non haberet ſuperflui excretionem, non perfecta certò, ſed vitioſa cenſenda foret nutritio.

Sancti omnes ſtatim ac guſtare cęperunt ſalutiferam Diuinæ vocationis eſcam, confeſtim relicto mundo, eorum omnium, quæ poſſidebant excretionem feciſſe viſi ſunt; neque Saluator tam purum, promptæque conſolationis largitur alimentum, niſi quibus de celeri terrenorum excretione cura eſt; vnde ſciſcitanti cuidam, qui lege Domini celeriter ſe nutrire geſtiebat, quid eſſet moliturus, reſpondit Saluator, *Vende omnia, quæ poſsides, & ſequere me*. Excerne ſcilicet celeriter omnia, quæ Mundum ſapiunt, & meæ poteris legis alimento celeriter reſtaurari; at durus, duræque digeſtionis cibus hic ſermo viſus fuit, & videri fortè poteſt his, qui Diuino nutriri vellent gratiæ pabulo, ſed nullam moliri vitiorum excretionem. Vende omnia, quæ poſſides, & ſequere Dominum, non adeo durus eſt ſermo; non enim omnia, quæ ad vitam comparauit Cœleſtis Prouidentia vendenda nobis pręcipit Saluator, ſed ſuperflua ſaltem pauperibus eroganda, & ea omnia, quæ Sanctam, & Chriſtianam labefactare poſſunt legem, curando ſcilicet, vt praui quilibet excernantur affectus, peruerſi vacuentur appetitus, & per propriæ voluntatis abnegationem integrè purgetur quidquid ſordidum corrumpere poteſt animam. Hac itaque methodo Sancti Spiritus pabulum celerrimè nutriet, & non minùs promptè cedet in animæ gratiam, quàm facilis coctionis alimenta in corporis ſubſtantiam. Diſcat igitur quiſquis animam Diuinis celeriter nutrire optat alimentis, ſtatim ac ſanctum ſuſcipit Dei conſilium, mox celerem moliri cuiuſcunque labis excretionem, & Sacerdotum ad inſtar, qui Paralipom. 18. inſpecta in Oſiæ Regis facie lepra, mox feſtinanter expulerunt eum de templo: ſic & tu ipſe, cum videris in facie tua ortam peccati lepram, feſtinanter etiam de anima tua, quæ templum

plum Dei eſt, expelle eam; ſic celeri facta criminum excretione, ſuccoſam adeo guſtabis Diuini Amoris eſcam, vt tanto pabulo celeriter nutritus celerem ſemper facias ſęcularium voluptatum excretionem, neque tuis gaudijs ſpiritualibus temporalia fines commiſceri; ſi quæ verò excitabunt, citò excernes, auram inanis gloriæ, ſi quæ pruriet, excernes celeriter, ſi diuitias afferet ſęculum, excernes celeriter, ſi caro proferet delicias, protinus excernes, & ſic eorum omnium, quæ mundanos celeriter nutriunt, Diuina afflante gratia celeres fient excretiones.

At inquiet quicunque prauis mouetur, & excitatur affectibus, qui ſcilicet mundanis potiùs, quàm Diuinis ſe ſatiare curat obiectis, inquiet, & repetet, quod Hębreus num. 21 Diuino pabulo pertęſus protulit *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo*. Sit quantùm vis purus Diuinæ conſolationis cibus, ſit facile, ſit purum Diuinæ gratiæ pabulum, renuit tamen omne, & mundanis celeriùs ſe nutrire putat, quæ videt, quàm inuiſibilibus. Age quiſquis ſis, qui celeriùs animam terrenis nutrire cogitas alimentis, age, & omnigena te torqueas cura, vt te celeriter omnibus expleas mundi bonis, celeres tandem haſce nutritiones ſequentur mox celeres excretiones; alimenta prępares concinna, vt te diuitijs celeriter nutrias, quid ſpondet hæc omnis accelerata opulentia? nihil ſanè, niſi quod celeris fiet eiuſdem excretio, vt Prou. 13. *Feſtinata ſubſtantia minuetur*. Labora quantum vis, vt animã faſtu nutrias, & gloria, quid inde, niſi breuis eius excretio? vt Iſai. 40. *Gloria eius quaſi flos agri* ephemero duratura ſpatio; neruis omnibus contendas, vt delicijs vniuerſis laſciuientem nutrias animum, ſtultus es, ſi celeres haſce voluptates celeres è veſtigio ſequi non credis excretiones: audi quid per Michęam tibi ſignificet Dominus. *Ambulaſti in voluptatibus eorum, vt darem te in perditionem*. Volue, reuolue quotquot ſunt in hoc ſęculo, quibus animum tuum ad ſatietatem vſque celeriter nutrire poſſe confidis, nutritionis celeritati æqualem ſemper, & reſpondentem comperies excretionis motum; qui enim celeriter nimis in celſam dignitatis ſedem euecti fuerunt, ferè omnes legimus in profundum miſeriæ celeri pariter fuiſſe lapſu depulſos, vt plenè, & planè, ſacræ, & profanæ teſtantur hiſtoriæ; & reuera quos ſors extulit ſine timore Domini, omnes ipſa deſeruit ſine conſilio, &

quò

quò celeriùs fuerunt terrenæ gloriæ alimento ſatiati, ſua ferè omnes excretione fuerunt celerrimè exinaniti.

Caue igitur ne quid celeriter, & pręcipitanter agas; quidquid enim celeriter fit inconſultò fit, & quod inconſultò fit, diſtorto ſępe,& inopinato definit euentu, datum pręſertim pręcipitanter conſilij pabulum; in hoc ſanè miniſtrando, ſiue priuatum, ſiue publicum fuerit, maturanda res eſt, circa quam conſùlitur, neque celeriter pronunciandum, neque protinus ſtatuendum, ſed vtrumque debita digerendum ratione, & prudentia librandum, ne ex celeri conſilij nutritione peſſimarum concluſionum pręcipites fiant excretiones; pręcipitantia enim conſilijs eſt inimica, & aduerſa prudentiæ: pręcipitantia connexos ſępius trahit errores, quos magnæ pęnæ, magnæque comitantur calamitates: vnde rebus in arduis perpendendum eſt diù, quidquid ſtatuendum eſt ſemel, in prudenti namque cunctatione multa inſunt bona, quæ licet prima non appareant fronte, temporis tamen progreſſu percipiuntur. Pręcipitanter, & celeriter factum à Principibus, Sacerdotibus, & Senioribus contra Ieſum fuit conſilium, ſummo mane,& confeſtim factus conſulentium congreſſus, quæ quantaque de pręcipiti conſilio prodierit iniquitas, ſat loquitur indiſcuſſa cauſa, prolatæ ſententiæ proteruia, ſat clamat oppreſſa Chriſti innocentia; eò quippe celeris, & confeſtim facti conſilij vniſona ex rabidis mentibus collimarunt vota, vt vix cępto congreſſu prolatum fuerit *Reus eſt mortis*, vix eructata blaſphęmia, in promptu patibulum, Crux ſtatim viſa Saluatoris humeris impoſita, vix depoſita, vt bonus Ieſus ſuperpoſitus, conclauatus, & ſuſpenſus; ita rabiem nutrire celeriter ſuam Hębraica ſtuduit perfidia: Hæc omnia pręcipitanter agens, quod pro ſceleſtiſſimo alendo appetitu ingeſſit voluptatis, per ſubitam voluptatum omnium iacturam, & excretionem pęnam luit, per migrationem nempe, non de ſeruitute Pharaonis in terram promiſſionis, ſed de terra lac, & mel fluente in ſempiternam eſuriem facta tranſmigratione. Vide, quiſquis es, eorum, quæ celeriter nutriunt, quàm celeres ſubſecutæ ſint excretiones, quomodo raptim initum conſilium repentinum tulerit excidium. In conſilijs igitur pro facti, vel operis alicuius nutritione ingerendis vtilis eſt diſcreta mora, qua prudenter, quid conſulas, tecum poſſis conſulere, & egens conſilio

ſcias,

ſcias, à quo conſilij nutrimentum capias; ne verò decipiaris tum in dandis, tum in recipiendis conſilijs, diligenter attende Ambroſij conſilium lib. 2. de officijs, vbi ſic habet.

Aduertendum quod in acquirendis conſilijs plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, facilitatis gratia; quis enim in cæno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde aliquid hauriendum putat? quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? quomodo eum potero iudicare conſilio ſuperiorem, quem video moribus inferiorem? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro; an ne idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dedit ſibi, & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat? Hæc Ambroſ. cum quo finis.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quos nimiùm celeri ſors replet amica fauore,
Perfida repletos euacuare ſolet.



APHO-

APHORISMVS XIX. SECVNDÆ SECT.

Acutorum morborum non omninò certæ ſunt præſagitiones ſalutis, aut mortis.

EXPOSITIO MEDICA.

QVàm ſit inconſtans acutorum morborum natura, quàm mobilis eorum cauſa, & indoles infida in Epidemijs, in Coacis pręnotionibus paſſim declarauit Hipp. qui diutur-na praxi, cum verè inſtabiles acutas ſemper nouerit ægritudines, conſultò ancipitis naturæ morbis cauſas, & mores nactis inſtabiles incertam, & ancipitem ſtatuit prognoſim in pręſenti, inquiens, non omnino certas eſſe acutorum prędictiones; cur autem non omnino certæ ſint, morbificæ tribuendum cauſæ, & partibus affectis; humoralis enim acuti morbi cauſa, eius potiſſimùm, qui velociter, continuò, & acriter percurrit ſua tempora, cum calida ſit, lubrica, tenuis, errabunda, & ſępiſſimè, velut orgaſmo in varias moueatur partes, prout plus, minùſue digniores aggreditur, varias efficit in bonum, vel malum mutationes, ex quibus incertum promanat de morbi euentu iudicium, fallax, & difficile ab Hipp. pluries prędicatum, ex quo incertæ prędictiones. Incertas pręterea acutorum pręſagitiones internæ faciunt nobis inconſpicuæ partium diſpoſitiones, cum ſępiſſimè morbus acutus ex ſui natura, & manifeſta cauſa terminandus eſſet ad ſalutem, cum tamen labes aliqua viſcerum recondita repentè erumpat, & ſpem tollat iam de ſalute conceptam, vt cum abditiores meſenterij tumores, tubercula in pulmonibus, vel aliæ quęuis malę diù ſine noxa toleratæ affectiones occaſione febris incaleſcunt, & ſuppurantur, rupta vomica repentè ſuffocant, vel ſenſim tabe conficiunt, totum regularem acuti morbi progreſſum, & ad ſalutem tendentiam peruertentes. Conducunt vlteriùs ad medici iudicij ſubuerſionem quotquot ſunt extrinſecùs aduenientia, quæ quantumuis peritus ſit Medicus, præuidere tamen non poteſt, ex quibus omnibus incertæ ſuccedunt præſagitiones: cæterum non adeo incertæ ſunt iſtæ, vt cordatus, &

ſenſatus Medicus non poſſit regularium ſaltem acutorum aſſequi euentum, & irregularium quodantenus attingere iudicium, quod innuere videtur Hipp. per lij *omnino non ſunt certæ prædictiones*, quod idem ſonat, ac ſi diceret, ſi non omnium, & in totum Medicus veram acutorum non aſſequitur prognoſim; maiori tamen ex parte aſſequitur, & perquàm raro decipitur, qui potiſſimùm perſpectam habuerit morbi ſpeciem; partem affectam, humorum motus, facultatum principum robur, & certum calluerit dierum numerum. Inſpecto igitur humorum motu, colluctantis naturæ cum morbo robore, & ſignorum criticorum ſyndrome, tutò poteris de victæ, vel vincentis naturæ, & per conſequens de morbi euentu præſagire; tutior tamen methodus eſt, & conſultiſſima ratio non omnino certas cum Hipp. ſemper proferre prædictiones, & hærendo ambigere, quàm nimis aſſeueranter de bono, vel malo morbi euentu pronunciare, ſic enim Medicæ Reipublicæ exiſtimationi conſulitur, & rebus ægrotantis tutiùs proſpicitur, vulgus enim indoctum, ſi millies etiam prædixiſſes ad vtrumque, ſalutis, aut mórtis euentum, & ex voto ceſſerint prædictiones, errato ſemel ex accidenti prognoſtico, quidquid honoris ex anteactis retuliſti mordicat clamoſus, totque eruditis, & ſcientificis prædictionibus illuſtratam famam indiſcreta fœdat maledicentia. Nemo igitur tam diſcriminoſam preſagiendi artem liberè, & temerè nimis aperiat; ſed cautè procedat, in prognoſi potiſſimùm ad ſalutem, vt monet cautus Hipp. qui etiamſi reuera ſciuerit ſapientem Medicum quandoque de morbi euentu tutò poſſe preſagire, maluit tamen vniuerſali propoſitione incertas ſtatuere acutorum predictiones, quàm prognoſim particulariter laxare, vt quiſque prudens ſit, & cautus in preſagiendo, cum ægrotantes, aſſidentes, & exteri de prognoſi ſolliciti ſemper ſint, & importuni magis, quàm de reliquis.

EXPOSITIO MORALIS.

Et Iuſti, & Peccatoris incerta eſſe præſagia. Aruſpicum falſas, & fallaces eſſe diuinationes.

ACutorum animæ morborum non omnino pariter certæ ſunt præſagitiones ſalutis, aut mortis. Sceleſtiſſimos homines, & omni nequitia perditiſſimos licet tutò poſſis ad ſalutem, & animę gratiam mortuos pronunciare, nondum tamen ſatis habes, quandiù viuunt, vt infallibile ſtatuas de futuro pręſagium; vas enim abiectum, & terreum quandoque nouimus in vas electionis aureum per gratiam fuiſſe mutatum; ſicut enim ex vario motu materiæ ſępe ſępius, vel in melius, vel in deterius fit acuti morbi mutatio, & pro partium diuerſitate, in quas decumbit humor diuerſę eliciuntur pręſagitiones; ita quidem ex vario criminoſę mentis motu, & diuerſitate partium, in quas flectitur anima, diuerſa ſequuntur eius iudicia; humor peccans, ſi à nobilioribus partibus in ignobiliores amandetur, bona fiet morbi mutatio, & exinde bona prędictio; è contra, ſi à partibus abiectioribus ad pręſtantiores facta fuerit materiæ conuerſio, mala mutatio eſt, & peſſima pręſagitio cenſenda. Ratione non abſimili in acuta animæ ægritudine cum humor peccans, peccatum videlicet totum feratur in animæ excidium, quæ pars nobilior eſt hominis; & in Diuinæ Maieſtatis iniuriam, quæ omnium nobiliorũ partium caput cenſendũ nobiliſſimũ, mala ſanè fiet mutatio, & peſſimum ſpondebit pręſagium; at ſi deteſtatum crimen per pœnitentiam ſuam amandetur in originem, & in abiectiſſimam partem, Tartareum ſcilicet abijciatur in Authorem peccati Diabolum; vtilis, & ſalutaris cenſebitur mutatio; ex hac enim tota prędictionis vis eluceſcit; quot enim viſi ſunt homines perditiſſimi, depulſis de corde, parte nobiliſſima, peccatis, in excelſam aſcendiſſe ſanctitatem, & inter Fidei propugnatores, & lumen gentium fuiſſe computatos: fidem facit Paulus; teſtatur Auguſtinus, & tota pœnitentium claſſis, quorum pręſagitiones olim totæ ferebantur ad mortem; quæ poſtmodum per vitæ mutationem collimarunt omnes ad ſalutem; hinc liquet quàm ſint incertæ malè viuen-

tium prẹſagitiones ; neque minùs incerta ſunt piè, & iuſtè viuentium prognoſtica ; quot enim acutorum morborum acceſſus, criminum nempe parata occaſio peruertit, & fefellit Iuſtorum pręſagia, cum viſi ſint quamplures, qui Deo piè, & ſanctè viuentes iam ferè videbantur cœlo potiti, ſenſim facta de Creatore ad creaturam mutatione, cęptæ ſanctitatis turpiſſimam feciſſe iacturam, ac tandem peſſima morte peremptos, qui optimæ futuræ prędia dederant indicia. Vnde non minùs Iuſtorum, quàm Peccatorum fallaces, & incertæ ſunt prẹſagitiones.

Non certæ ſunt vlteriùs prẹſagitiones ſalutis, aut mortis in die reuera morborum acutorum, quibus vniuerſa corripietur natura, & totum mouebitur creatum, qui morbi breui ſua tempora ſęuiſſimis cum ſymptomatis percurrent, in die furoris Domini, vt Iſai. in die malorum, vt pſal. 26. & malorum verè acutorum, finalis nempe iudicij, in quo quid futurum ſit de nobis penes nos non ſunt certæ prẹſagitiones æternæ ſalutis, aut mortis: vnde torquendus animus non eſt, neque prẹſciendi anxietate fatigandus, quid certò in die illa tremenda futurum ſit de anima, argumentis, & ſubtili ſophiſmate diſcutienda non eſt Prędeſtinationis ratio, nulla enim ſuppetit ratio ſeriò ita de Prẹdeſtinatione cogitanti. Caue igitur quiſquis Prędeſtinationis allectus es ratione ; caue, inquam, ne nimis in ea fretus ita viuas, vt ſi fortè prẹdeſtinatus eſſes, reprobus fias, noli Prẹdeſtinationis innixus ſubterfugio, operum merita effugere, decipieris enim, & in altiori ſpeculatione deficies, vt ſpondet Ecleſiaſt. cap. 3. his verbis: *Altiora te ne quæſieris, fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Scias quemadmodum acutorum morborum duæ ſtatuuntur cauſæ, manifeſta vna, latens altera, ſic Prędeſtinationis geminas eſſe rationes, manifeſtam vnam, quæ ex bonis emergit operibus, & occultam alteram, Diuino ſeruatam decreto, nobiſque penitus incognitam, vt Auguſt. hiſce profert notis lib. de Prẹdeſtinatione *Fiunt procul dubio cuncta, quæ futura Deus eſſe præſcit, ſed eorum quædam de libero proficiſcuntur arbitrio, quæ quamuis veniant, exiſtendo tamen naturam propriam non amittunt, quæ prius quàm fierent, etiam non euenire potuiſſent.* Hoc idemmet confirmat Greg. in

dialog.

dialog. hàc ſententia *Obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerant, ſed ea, quæ ſancti Viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt; vt precibus obtineant; nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio ita eſt ab Omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus orando mereantur accipere, quod eis ante ſecula Deus Omnipotens diſpoſuit donare*. Opera igitur ex parte manifeſtè concurrant ad Prędeſtinationem expedit, ex parte cauſæ nobis occultæ Diuino totum remittendum decreto, cuius imperſcrutabilis ſemper erit ſenſus. Cum ergo non omnino certæ ſint de Prędeſtinatione notiones, & mille ſit ſophiſmatum meandris implicita, quò minùs mens in eius inueſtigatione laborabit, in Deo magis quieſcet.

Acutorum denique morborum non omnino certæ pręſagitiones ſalutis, aut mortis per Aſtronomica Aruſpicum auguria, accidentium nempe tam triſtium, quàm lętorum falſa vaticinia; Multa ſpondent Aſtrologi, multa ſperare docent Mathęmatici, multa, & proſpera pręnunciant Diuinatores, prędicunt & aduerſa, at omnium incertæ ſunt, ne dicam fallaces, & inanes prędictiones; admirandi quidem homines, futura ſola qui nouerint, pręteritorum, & pręſentium ignari, & quæ in Cœlis fiunt, & quæ à Deo decernuntur ita pręnunciant, quaſi Cœleſtium concilio interfuerint, recentique nunc inde veniant memoria, cum tamen interim quid in terris, quid in patria, quid in domo, quid in thalamo ſuo fiat, ignorent: vnde quò Diuinans inſignior, mentiendi libertas maior, & fides propior mendacio. Quàm mendaces igitur ſint Augurum, quicunque celebres exiſtant, Aruſpicum, & Aſtronomorum iudiciariæ promiſſiones, quàm falſæ, & illuſoriæ, ſat Iſai. aut per Iſaiam Dominus loquitur cap. 44. ſic.

Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum irrita faciens ſigna Diuinorum, & ariolos in furorem conuertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſtultam ſcientiam faciens, & cap. 47. hæc eadem confirmat hoc effato.

Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſaluent te Augures Cæli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi; ecce facti ſunt ſicut ſtipula, ignis comburit eos, non liberabunt animas ſuas de manu flammæ. Vide quàm fidendum ſit tot falſis Aruſpicum pręſagitionibus; neque modò Aſtrologi,

ſed

ſed & Chyromantici, Metomoſcopi, & quicunque diuinatoriæ incumbunt arti, & Fatidici vniuerſi audiant, quantùm damnet ſingulorum horoſcopos, lineas, & auguria Creator.

DISTICHON APHORISTICVM.

Vitæ, aut interitus præſagia certa perennis
Impius, & Iuſtus prodere nulla valent.



APHO-

APHORISMVS XX. SECVNDÆ SECT.

Quibus iuuenibus aluus humida eſt, ijs ſeneſcentibus ſiccatur; quibus verò iuuenibus ſicca eſt, ijs ſeneſcentibus humectatur.

EXPOSITIO MEDICA.

Etatum mutationes, mutato quadamtenùs partium temperamento, & humorum dominio, ſępe mutant indôlem ſuppoſiti: vnde diuerſas per ætatis diuerſæ contingunt in corpore mutationes, & quamuis innati temperamenti ſemper aliqua etiam in extrema ſenectute ſeruentur veſtigia, per huiuſmodi tamen mutationes, quales quales hæ ſint, ſiue qualitatum remiſſiones in actiuis, ſiue intentiones, morbi plerique ſponte curantur, vel inualeſcunt, vel oriũtur noui, vt Galen. in comento aphor. 7. quintæ ſectionis explicat, in curatione epilepſiæ, quæ per ętatis mutationem ſananda ſperatur: hinc mirum non eſt, ſi per oppoſitas ætates, iuuentutem ſcilicet, & ſenectutem mutato quodammodò totius, & partium nutritioni dicatarum temperamento mutentur, & functiones inde prodeuntes circa excreta potiſſimùm, & retenta, quę varia pro diuerſitate ętatis ſtatuit Hipp. ita vt quæ per iuuenilem conſtitutionem lubrica, & humida erat aluus per ſeneſcentem ſicceſcat, & è contra quibus in iuuentute ſicca fuerat, fiat humidior in ſenectute, quæ ſententia vera quidem, ſi nihil pręter ętatem intercedat, quod intrinſecum poſſit mutare temperamentum, circa victus rationem potiſſimùm. Vnde ſi conſtans eſſe debet Auctoris mens, neceſſe eſt, vt ea ſeruetur victus ratio in ſenectute, quæ conſueta fuerat in iuuentute: hac æquali poſita dięta, & nullo culpabili externo errore, ſi libera fluxerit, & liberalis iuuenibus aluus laxitatis cauſa, nimius ſtatuetur bilis inteſtina proritantis prouentus à calida iecoris diatheſi promanans, & per conſequens vbi æſtuat hępar, ventriculi languorem citatioris alui cauſam etiam ſuſpicari abſurdum non erit, quæ diſpoſitiones cum per ſenectutem

nectutem miteſcant omnes, deferueat nempe iecoris cauma, minor fiat bilis cumulus, neceſſe eſt vt minuatur etiam ſtimulus, quo diminuto, vel minùs exquiſito ſenis ſenſu percepto, minùs irritata ſegniùs etiam exurget expultrix ad excretionem, & ita quę laxa fuerat aluus in iuuentute ſiccior euadat in ſenectute; è contra quibus per iuuentutem prę rara corporis textura, vel bilis ad ſuperiora refluxu ob retentiuę robur ſicca fuerat aluus, ſeneſcentibus humectatur, quòd ſenilis corporis craſſities, & cutis denſitas excrementa minùs difflari extra permittat, ſed ſingula cogat ad centrum: Quin immo iecur ipſum ab exceſſu remiſſius, cum non auidè adeò, & intempeſtiuè attrahat, multa, quę priùs retinebantur, ſinat effluere. Vniuerſim cum alui mutationes varias viſcerum ſequantur alterationes, ſiccioris, aut laxioris alui cauſę, quę notantur in iuuenibus lege contrariorum ſpectari non poterant in ſenibus. Vnde data in iuuenibus vberiori bilis generatione, virtutis expultricis robore, coctricis, & appetitiuę vigore, neceſſe ſit copioſas, & liberas de more ſuccedere excretiones, hoc poſito in iuuenibus, contrarium ſtatuendum venit in ſenibus, ſi potiſſimùm in rebus non naturalibus idem ſemper ſeruatus fuerit proportionis ordo, nulluſque acceſſerit error, cum aer humidus ſiccas humectare, & humidas ſiccus ſiccare ſenſim valeat aluos, & ſic de alimentis, & reliquis rebus non naturalibus arguendum, licet genericè loquendo iuuenibus ſecundùm naturam habentibus, & bonę conſtitutionis laxiores ſemper eſſe deceat aluos, ſicciores verò ſenibus, & ideò ſenibus ominoſos pronunciat Hipp. alui fluxus, quòd ſiccos de more habere debeant ventres, qui ſi nimiùm laxentur, malum, inquit Hipp. quòd fortaſſe nimis à conſueto tramite recedant.

EXPOSITIO MORALIS.

Bonorum fortunæ ſterilitas iuuentutem virtutibus fertilem facit, & è contra.

QVibus iuuenibus aluus, paterna ſcilicet domus, vel affinium hęreditas humida eſt, ſuccoſis nempe, liquidis, & pinguibus

afflua

afflua ſubſtantijs, quibus inquam adoleſcentibus opulenta ſunt patrimonia, omnigenis conferta commodis, quibus ſors ita humidam pręſtitit aluum, hiſce ſeneſcentibus ſiccatur, arida nimirum fiet, & omni exhauſta opulentia, miſera vt plurimùm areſcet inopia. Parentum bona quò plùs pinguia Liberis ſuppetunt iuuenibus, eò plus vitijs alimenta parant, & ad vitam minùs comparant honeſtam: vnde inter diuitum Parentum ſucceſſores, & heredes rarò iuuenem comperies, qui viam virtutis ſeligat, & iuſtitię, ſed ferè omnes anguſtię neſcios fluxiles inuenies ad vitia paratos, laxioris, ac precipitis vitæ ſtudioſos, vel manibus ad genua appoſitis oſcitantes. Paterna commoda iuuenibus quandoque venenata pharmaca ſunt, quæ Liberis adeò lubricas faciunt aluos, vt omnes ferè ad flagitioſam vitam fluxiles reddat, & opportunos: etenim quæ iuuenes alieno ſudore parta inueniunt bona parui facientes, neque de augenda per virtutem, aut ſeruanda ſubſtantia ſolliciti, cum neſciant vnde ſors venerit, & quàm magno ſudore concepta fuerit, profuſa prodigunt manu, & mille ſenſim gliſcentes laxamentis ad ſenectutem properant, in qua deficiente tota opulentię congerie nihil humoris inueniunt præter lachrymoſum, quo diſſipatas, ac irrecuperabiles defleant diuitias. Quibus igitur iuuentus humida eſt, opulenta ſcilicet, & opibus referta, procliuis eſt ad vitia, dedita vitæ laxitati, fluxilis ad rixas, lubrica ad mendacium, difflua delicijs, ſaliens ad ſuperbiam, erumpens in audaciam, ſtrepens maledicentia, & rapidiſſimi torrentis ad morem, in omnes debacchata luxuriæ campos obuia queque inuadit, frangit, diſſoluit, & in propriam voracitatem ingurgitat, donec deficiente aquarum confluxu, diuitiarum nempe affluentia, demiſſo torrente, ſenſim, & ſine ſenſu in ſenectute, ſiccior virtute, non minùs quàm ſubſtantijs arida per miſerię tędium in ſua ſoluatur principia, in puluerem nempe ſuum, velut torrens in arenam.

Quibus verò iuuenibus aluus ſicca eſt, ijs ſeneſcentibus humectatur, quibus videlicet iuuenibus tenuia, ſicca, & arida ſunt patrimonia, ſquallide ſubſtantię, & exhauſtę commodis paternę domus, hiſce ſeneſcentibus vt plurimùm humectantur, & pinguibus laborum ſubſtantijs impinguantur; nihil enim acriùs ad labores ingenia promouet, quàm egeſtas, & miſeria; hec ſtimulus eſt, & calcar ad

Ff virtu-

virtutem, ad gloriam, ad opes, quibus irrorata ſicca iuuentus in humidam creſcit, & migrat ſenectutem ſubſtantijs affluam, & pingui conſolationis ſucco ſaginatam; & quieſcentem; ab anguſtia rei familiaris, & penuria inſignes, eximioſque in omni facultate viros prima didiciſſe conſtat artium elementa, primoſque præceptores habuiſſe miſeriæ aculeos. Præſtat igitur quandoque iuuenibus aluum marſupij, & capſulæ magis eſſe ſiccam, quàm auri, & argenti lubricitate humidam; ſic enim promptiùs feruntur ad labores, & mouentur ad honeſta. Norunt quidem Thraces hanc fore iuuenibus vtilem ſiccitatem, penes quos ſacratum ius eſt, & lex inuiolabilis, ne quis impubes, licet radiante natalium ſplendore, audeat defunctis Parentibus parentare, quin honores ſimul, & diuitias Regijs tumulet in Theſauris: vnde quamuis lex iſta deteſtabilis videatur, & inhumana, viduari ſcilicet Parentibus, & viduari opibus; ſi tamen ſaniori pendamus animo, Regnare pium, ſancta cenſenda conſuetudo, ideò ſtatuta, ne iuuenes ſplendida nobilitate, & largiori diuitiarum copia turgeſcentes, & diſſlui in audaciam erumpant, & in numeroſam fluant vitiorum ſobolem, & ſterileſcant in gloria; ſentiunt enim Regni proceres bona, quæ fortuna parantur florentium ingeniorum edaciſſimum eſſe monſtrum, & inhumanitatem legis humanitate præmij compenſant; ſi quis enim regerminans in familiæ gloriæ viriditate perennet virtutum fulgore nitens ad ſui comendationem inuitantium, & in maximę euaſerit æſtimationis virum, non modò & exauthoratum reſtituent, verùm gliſcit dignitas, gliſcit authoritas, ampliorique, quàm antea à Proauis collecto decore honeſtatur. Vide quàm bonam tot inter feroces mores geſtent Thraces indolem in iuuentutis cultura: hanc ęmulari quidem deberent & noſtrates; frequentius enim verum confiterentur, quod Bern. in Ep. ad Theob. militem hiſce ſcripſit lineis *Multos videmus iuniorum ſuper ſenes intendere moribus dies, antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deeſt ætati, virtutibus compenſare, quia iuxta Apoſtolum Ne quis contemnat adoleſcentem bonæ indolis, ſenectus venerabilis non eſt numero annorum, ſed magis merito morum compenſata.* Quid quæſo iuuentutem tantis facit fertilem virtutibus, niſi bonorum fortunæ ſterilitas? Quid ſenectutem commodis tranquilliorem, niſi in iuuentute tolerata pęnuria? Siccas igitur expedit

dit aluos eſſe in iuuentute, ſi humidas, & plenas appetit in ſenectute; ſint laboribus, exercitationibus, vigilijs ſicci, rigidi, & auſteri in ſe ipſos iuuenes, vt per dignitatem blandi, tractabiles, & humani habeantur in ſenectute: in aſpera, ſicca, & ardua virtutis via peragenda adoleſcentia, ſi commoda, ſuccoſa, & pinguis attingenda eſt in ſenectute auctoritatis meta, vt inquit Caſſiod. in Epiſt. his verbis *Indignè tranſacta adoleſcentia otioſam ſenectutem, & honeſtè acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis; quid enim ſenectus ſurripere valet, in quo iuuentus reprehenſibilis non fuit?* Et ita percurrenda iuuentus eſt, vt ſubſequens ſenectus fructus capiat iuuentutis, fruatur bonis, ſi bona, augeatur malis, ſi mala fuerit iuuentus; talis eſt enim exitus, atque ortus ratio, vt in Deuteron. cap. 33. circa finem hiſce notatur *Sicut dies iuuentutis tuæ, ſic ſenectus tua.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Sæpe iuuentus inops pinguem facit eſſe ſenectam,
Quam multis inopem larga iuuenta facit.

APHORISMVS XXI. SECVNDÆ SECT.

Meri potio famem ſoluit.

EXPOSITIO MEDICA.

SIue fames grandis illa ſit, quam bulimos vocant, morboſa ſcilicet à caufis nata, ijſque omnino prçter naturam, frigida nimirum ventriculi, aut totiùs intemperie, aut ab acido ſucco ventris tunicas, & naturalium viſcerum venas corrugante, ſiue grandis fames, ea intelligenda veniat, quam vera ſuſcitat inanitio, & moleſtus ſequitur ſuctionis ſenſus, vtriq; poteſt meri potio ſuccurrere, ſed modo, & tempore diuerſo; caninum appetitum, & inexplebile comedendi deſiderium, quoad ſatietatem replere curant, nec tamen ſatiari poſſunt huiuſmodi eſurientes, ſed præ copia onerati mox euomunt aſſumpta, & iterum noua fame proritati ad nouam incitantur comeſtionem: his equidem vinum larga manu, & quouis tempore meraciùs hauſtum prodeſt, quòd potenter frigidam corrigat intemperiem, acidos diſſoluat ſuccos, adſtricta laxet, melancholica digerat, & excutiat fermenta, quę fęculenta potiſſimùm ab Auctoribus penè vniuerſis tantę famis putatur origo; hac magna fame cruciatis, & ieiunis, & paſtis vinum poterit ſine temporis delectu, & noxa etiam ad ebrietatem (vt quidam ſentiunt) propinari, licet modus hic non adeò tutus; at ſi pro canina fame eſuries intelligitur, quę alimenti pęnuriam ſequitur, & indigentię ſenſum, non item, nec affatim, nec ieiunè, ſed ocyò multo vini potu ſatiſanda, quòd exinanitas exſiccatas, & prę inędia concalefactas partes ocyſſimè ſubiens incendat, vellicet conuulſiones, & deliria ſępè ſuſcitet: vnde ſenſim, nec ſyncerum vera fame extenuatis propinandum vinum, ne protinus ad extrema fiat mutatio: vnde diuerſus in vtraque famis ratione potandi modus, & ordo ſeruandus; in grandi enim, & morboſa fame non exacta adeò opus eſt methodo, vt in fame naturali facta reuera ob inopię ſenſum, in qua particulatim nutriendi ſunt eſurientes vinum reliquis interſerendo alimentis, & eiuſdem copiam ad virium menſuram augendo, donec effrenis ſedata fames in natura-

lem definat appetentiam. In falſa fame præſtat ante generoſos meri potus corpus, & ventrem à melancholica mundare ſaburra; & poſtea nutrire, vt in fame naturali ob defectum pabuli nulla vacuatione turbandum corpus eſt, neque caloris natiui ſubſtantia purgatione vlteriùs abſumenda, vireſque deijciendę præ inędia flaceſcentes.

EXPOSITIO MORALIS.

De mirabilibus Diuinæ gratiæ effectibus.

VRgente fame laborandum non eſſe præcipit Hipp. aphor. 16. præſentis ſectionis, cuius in morali commento diximus laborandum non eſſe, vt ea aſſequamur, quæ contra legem appetimus; in prę́ſenti verò morboſę famis remedium per meri potum proponit Hipp. inquiens *meri potio famem ſoluit*: Hoc eodem præſidio grandem animi famem, & nos curare docebimus, oſtendendo primum quid grandis fames, quid vini potio ſonet in moralibus. Grandis fames dupplici penes Morales pāditur ſenſu; vel enim effrę́nem ſignificat terrenorum appetitum, vt auaris conſuetus eſt, qui verè canina premuntur appetentia, qui quò plùs comedunt plùs ſemper eſuriunt: vnde Prou. 13. vt iam dictum *Venter impiorum inſatiabilis*: Hac fame exagitati auari vſuris, & rápinis deditì irrequieti circuūt, vt negotijs caninam ſatient eſuriem, quam perbellè deſcripſit Reg. Pſalmiſta 8. *Famem pātientur vt canes, & circuibunt Ciuitates.*

Fames vlteriùs pro immiſſo Dei flagello ſumitur, & pro tribulationis idea à ſacris ſcriptoribus intelligitur, qua vigente cum tribulatus immodicum ita fertur in humanę conſolationis appetitum, & angitur adeo, vt ad terrena confugiens ſolatia negligat Diuina, falſa fame vexari putandum. Per vinum autem in moralibus Diuina ſignificatur conſolatio per gratiam, & dicitur vinum ſapientiæ, gratiæ, & doctrinę, iuxta illud Cantici *Dabo tibi potum ex vino condito*; Diuina enim conſolatio vinum dicitur ex gratia conditum. Et reuera ſi vini facultates, & dotes perpendamus ſingulas, appoſitum Diuinæ gratię ſymbolum fateamur oportet; Vinum enim omnes inter plantarum, & fructuum ſuccos, & liquores primas obtinet partes; ad vires enim recreandas, & celeriter inſtaurandas;

nullum

nullum vino promptius, & preſtantius eſt præſidium: hoc itaque coctionem iuuat, potenter nutrit vi caloris, & ſubſtantiæ tenuitate meatus aperit, & naturam ad excretionem ſollicitat, melancholicum ſuccum mitigat, cor exhilarat, bonum colorem conciliat, ſpiritus exauſtos reficit, calorem auget, corpus alit, liberalitatem, & audaciam inducit, delectabiles ſępè ſępius excitat lachrymas; & facultates denique omnes mirificè roborat.

Sic Diuina conſolatio per gratiam virtutes habet innumeras: omnes inter ſuccos, & liquores, quibus cœleſtis paratur cauſa ſalutis, primas obtinet dotes, potenter & ipſa nutrit per deuotionem, digeſtionem iuuat per criminum meditationem, vi Charitatis, & tenuitate ſubſtantiæ permeat, & cor aperit ad Deum, animam ſtimulat ad excretionem criminum, intellectum clarificat per Fidem, cor exhilarat per ſpiritualem delectationem, bonum colorem conciliat per verecondiam, mentem lętificat per Spem futuræ gloriæ, ſpiritus exhauſtos reparat per contritionem, melancholiam, dolores, & triſtitias obliuioni tradit per Patientiam, liberalem facit hominem per eleemoſynas, & compaſſionem audacem reddit per fortitudinem in ardue cuiuſlibet prouinciæ aggreſſionem, lachrymas excitat contritionis per Pœnitentiam, omnes denique facultates Diuina roborat gratia per Conſtantiam, Perſeuerantiam ad Perfectionem. Vide quàm appoſitè vinum Diuinæ gratię vires explicet, quas multis poſſet Sacra Scriptura textibus, & teſtibus comprobare. Hac poſita famis, & vini ſignificatiòne, quis non videt vini, Diuinæ ſcilicet gratiæ potum poſſe ſingulas compeſcere famis ſpecies, terrenorum nimirum coercere appetitum, & immodicum humanę conſolationis deſiderium ad Diuina reuocare ſolatia; & flagella per quamuis tribulationem cęlitus immiſſa per gratię aduentum diuertere. Qui terrena nimis auidè ſectaris, appetis, & te torques, vt optata poſſideas, euelle de terris oculos, in cœlum ſuſpice, intuere, & alta mente meditare, quid tua fames appetit in terris, quid auerſetur in Cœlis, & referas, quid poſt ſeriam ſtatueris inſpectionem; ſi enim vtroque perſpecto, cęleſtium, & terreſtrium pretio ſuperum reijcis, & eligis inferum, tranſitorium ſcilicet expetis, & renuis ęternum, ferè conclamata tua ſalus eſt, delirus enim indigentię ſenſum non percipis, nec nota rerum pretia

diſcer-

diſcernis : ſenſatos omnes percurre ; eximiè repetas ſanctitatis Viros ; omnes enim viſa vix ; & delibata Cœleſtis patriæ ſuauitate ; quidquid ante terrenum famem ſatiare viſum fuerat, concepta ſtatim nauſea abiecerunt omne, & Cœleſtis gratiæ merò refecti cani- nam didicerunt ſæculi famem protinus eructata ſoluere delectatio- ne. Medullitus ergo, qui rabida mundi fame vexaris, inſpice quid appetis, & penitiùs quid caueas perpende, ſi tua fames eſt ad mundi famam ; falſa fertur ad fumum ; ſi auiditas eſt ad aurum, lutum expetit coloratum, ſi appetitus eſt ad mortalia, ſcias quod velut floſculi ephemera ſunt omnia. Grandem igitur, caninamque caducorum famem curare diſcas per Cœleſtium appetentiam ; ad Sanctorum exempla hanc noſcas acuere, hanc Diuinæ gratiæ mero ſatiare nitaris, huius *meri potio verè famem ſoluit*.

Diuinæ gratiæ potio famem ſoluit vlteriùs illorum, qui vix à Deo leui tribulatione pulſati, humanę ſtatim conſolationis appetitu, & deſiderio vexati, anxij ad externa quælibet confugientes ſolamina, internam non ſentiunt animæ indigentiam, neſcientes miſeri mundano ne, an Diuino ſint conſolationis potu ſatiandi, quærunt extra, quod intus eſſet diſquirendum, quod ſcilicet opportunum foret inſpicere, an anguſtiarum cauſa, quæ Sortis perfidiæ tribuitur, tribuenda foret animæ nequitiæ, ex qua frequentiores anguſtiæ euentus. Itaque ſi diſcuſſo diligenter animæ ſtatu, tribulationis occaſio non exteriùs, ſed intrà concepta putabitur, facilis erit conſolationis modus ex Greg. in moral. expoſitus ſic *Facilior erit conſolatio, ſi inter flagella, quæ patimur, quæ fecimus ad memoriã delicta reuocamus; atque hæc iam non flagella, ſed dona eſſe conſpicimus, ſi quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgemus*. Dona recogites igitur Cœleſtis Auctoris, & animi tui repetas ingratitudinem, & tunc nulla te dignum duces conſolatione, ſed qualibet afflictione maceratus inquies, digna factis recipio, non ad humana confugere quæres ſolatia, ſed exhibebis te Deo ſingulis paratum ærumnis, quouſque Supero placuerit ; Ipſe enim Cœleſtis auxilij mero, quam tu fortè magnam putas conſolationis famem, & neceſſitatem, nondum pro merito magnam ducens, tempora, loca, & media diſponet, vtimprouiſo vexatam ſatiet animam ; nemo enim ſcit qua hora Dominus venturus ſit, eſurientis ſcilicet animę famem conſolatione ſa-

tiaturus,

tiaturus. Vigila interim, & patienti perferentia expecta Dominum, & viriliter age, & ſat magna ſit conſolatio, ſi bonus es, conſideratus finis malorum, dum enim ex eorum interitu malum conſpicies, quod euadis, leue ęſtimabis quidquid in hac vita patieris; ſed de conſolatione fuſiùs in ſequentibus.

DISTICHON APHORISTICVM.

Dulce merum, cordi ſit dulcis gratia Chriſti:
Hanc bibe, ſi Mundi vis ſatiare famem.

APHO-

Quicunque morbi à repletione fiunt, curantur euacuatione, qui verò ab inanitione, repletione ſanantur, ſic & aliorum contrarietas.

EXPOSITIO MEDICA.

MEdicinæ definitionem, quam paucis abſoluerat Hipp. quòd nimirum ſit adiectio, & detractio, practico confirmat exemplo in præſenti, dum morbos omnes à plenitudine factos, vacuatione, eos verò, qui ab inanitione fiunt, repletione curandos pronunciat, & reliquos omnes per ſua quoſque contraria ſanandos, & quamuis ab inanitione pauci contingant morbi, cum ciborum copia noſtris luxurians temporibus omnes ferè proferat ex plenitudine conceptos. Si quæ tamen accident ab inanitione ægritudines, iuxta diuerſas inanitionis cauſas diuerſæ ſuppetent repletionis rationes: etenim vel inanitio vniuerſalis eſt, & in humorum, ac alimenti defectu conſiſtit, caloris penuria, & ſpiritus languore, & tunc reſumptiua diæta, & optimi ſucci alimentis ad priſtinam reſtituenda plenitudinem, vel inanitio particularis eſt ex defectu carnoſæ ſubſtantiæ in vlceribus depaſcentibus, & erodentibus, in vulneribus cum ſauciatæ partis iactura, & tunc præter analoga alimenta remedijs ſarcoticis curanda eſt inanitio, & ita contrariorum legem in omni conuenit morbo proſequi, agendo ſedulò, vt non modò in vacuationibus, & inanitionibus ſeruetur contrarietas, ſed & reliquis omnibus morbis tam poſitiua, quàm priuatiua, morbo ſcilicet, vel cauſis aduerſa, vel contraria adhibeantur remedia: ſiue enim ſit reparanda ſubſtantia, ſiue corrigenda qualitas, ſiue minuenda quantitas, ſiue dirigendus humorum motus, ſiue concinnanda figura, vel quouis alio modo mouendum ſit, ſeruanda perpetuò contrariorum ratio, vt inuiolabilis, & conſtans maneat lex, & axioma *Contraria contrarijs curantur*; diſtinguendo quid inter verè contraria, oppoſita, & aduerſa differentiæ intercedat, quod ex

doctiſſimo Fernelio lib. primo meth. med. cap. 2. fuſiſſimè, & elegantiſſimè diluitur.

EXPOSITIO MORALIS.

Ægritudines omnes animæ per contraria curandas.

VT corporis, ſic languentis animæ Medicina per adiectionem, & detractionem definienda; quemadmodum enim non poſſumus perfecta frui corporis valetudine, niſi per morbificæ cauſæ detractionem, & natiuæ diſpoſitionis adiectionem, ita quidem non niſi per detractionem culpæ, & adiectionem gratiæ æterna non poſſumus animæ ſanitate gaudere; facta ſemper per contrarium potiſſimùm omnium curatione. Curandi methodum per contraria ſeruauit, & docuit Omnipotens in curanda vniuerſali totius Mundi corruptela. In humani generis redemptione, vt reparationis modus reſponderet lapſui, & remedium morbo, per contraria admirabile Creator molitus eſt redemptionis opus. Per diabolicam ſuggeſtionem, & primęuæ matris aſſenſum primigenius irrepſit in gratiam morbus, quo prothoparens Adam infectus totam poſteritatem proprio labefactatam vitio miſera tranſmiſit concupiſcentia. Fraudulenta ſerpentis, & Diaboli tentatio, & deceptæ mulieris aſſenſus prima fuit vniuerſalis labis occaſio, cui contrarium ſtatim ſuprema Pietas oppoſuit remedium, dum doloſam Serpentis ſuggeſtionem per fidum vicit Gabrielis conſilium, ſuperbum Æuæ conſilium curauit Dominus per humilem Virginis aſſenſum; vt ſicut per mulierem diabolica fraude deceptam, à coniugali concupiſcentia cognitam, & corruptam culpa, morbus, & mors transfuſi ſunt in vniuerſum genus humanum, per Virginem ab Angelo eruditam, Almo ſanctificatam, & fęcundatam Spiritu nulla prorſus ſuſpecta mentis, & corporis corruptione proles prodiret, quæ gratiam, ſanctitatem, & vitam vniuerſo pariter redderet Mundo. Per contraria Mundum curauit Omnipotens, per contraria diſcat & mortalis curare ſe ipſum, qui paruus Mundus eſt, & Hipp. audiat conſilium, qui morbos ferè omnes, vel à plenitudine, vel ab inanitione progigni putans, & verum decernens, ſtatuta lege contrariorum, quos inuehit pleni-

plenitudo, inanitione,quos inanitio, plenitudine curandos eſſe decernit, & ſic reliquos per ſua quoſque contraria abigendos determinat, ſic & tu perpende medullitus tuæ ægritudinis cauſas; ſi criminum cumulus, & repletio morbi cauſa putatur, inanitione curare ſtudeas per pęnitentiam; nam cum gratia & culpa, gloria & pęna, virtus & vitium ſe inuicem expellant, & ſimul eſſe nequeant, exinanire priùs expedit animam à peccatis, ſi gratiam vis recipere Charitatis; ſi crimina faciunt plenitudinem, inanitionem, repeto, nec ſatis repetam, faciat pęnitentia,& inanitionis modum,formamque diſcas à Redemptore, qui Mundi nequiſſimam vacuaturus plenitudinem, formam ſerui accipiens exinaniuit ſemetipſum pro te ipſo vſque ad mortem, ſic & tu te ipſum exinanire ſtudeas vſque ad mortem, cunctis ſcilicet vitæ diebus te culpis exinanitum, & vacuum ſerua; vſque ad mortem vlteriùs, ad omnimodam nempe peccati internecionem per abſolutiſſimam genij, & affectus carentiam ad delicta.

Hac itaque methodo infirmatam præ culpæ repletione animam exinanire diſces; ſtudebis, & curabis.

Si verò morbi cauſa non plenitudo, ſed inanitio fuerit, ita vt exinanita Virtutibus anima, Fide vacua, & inanis Opere rapido motu feratur in crimina, contrariorum lex replendam docet, vt Diuino pareat mandato, Exod. 24. ita expoſito: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*: Inanis igitur non accedas ad Dominum, neque inania meditare; Deus enim vacuos aquilone diſperdet, vt Iob. 26. *Extendit aquilonem ſuper vacuum*: vertunt Interpretes, per aquilonem, omne malum ſuper vacuum, nimirum ſuper peccatorem virtutum inanitione laborantem: ſtudeas idcirco animam tuam ſanctis replere virtutibus; ſi exinanitus es à Mundi nequitia, & vacuas habes ad Dominum potentias, ingemiſcens pulſa, roga importunè Dominum; vt cor tuum Sancto repleat Spiritu, repleat ſapientia, repleat adipe, & pinguedine gratiæ, vt cum Diſcipulis eius gaudio repleaeris, & iucunditate; tunc enim Deus replebit in bonis deſiderium tuum, & renouabitur, vt aquila, iuuentus tua.

Sic & aliorum contraria ſint remedia, concludit Hippoc. qua particula ſingulas animæ paſſiones, & ægritudines per contraria curandas conſulit. Capitales in primis animæ morbos, acutos, & letha-

les oppoſitis ſtatim prȩſidijs debellandos inſinuans: ſi per ſuperbiam igitur cecidiſti, reſurges ſtatim per ſapientiam; hęc enim cogit hominem ſummum bonum Deum appetere, & eidem humiliari, quem ſuperbia per elationem fecit deſpicere: ſi commotus ira cecidiſti, per ſpiritum intellectus reſurges; intus enim obtenebratus ab ira, tuique prorſus immemor, intellectus dono reſipiſces, & te ipſum, tuęque excandeſcentiæ motum noſces inordinatum, & euitare diſces impoſterum. Inuida te proſtrauit æmulatio, reſurges per ſpiritum conſilij: inuidia ab omni erga Proximum bono opere reuocat animum, & per donum conſilij Proximum ſicut te ipſum diligere diſces. Per accidiam lapſus fuiſti, per ſpiritum fortitudinis reſurges; flacceſcit homo per accidiam, ne velit, & valeat ad Deum cor erigere; è contra per donum fortitudinis roboratur, & ad Diuinum vegetior fit obſequium. In profundum nequitiæ demerſit auaritia, per ſcientiæ ſpiritum reſurges; auaritia proritat, vt iniuſtè congreges, & congregata ſerues tenaciter; ſcientia verò oſtendens omnibus, quòd terrena commoda ſunt tranſitoria, & de ſingulis ſupremo Iudici reddenda eſt ratio, ſuadet cuilibet vt contentus modicò piè, & miſericorditer diſtribuat egenis quidquid erit ſuperfluum; cum ſingulis communia in Cœlis ſint gaudia. Si gulæ vitio fluxeris, per pietatis ſpiritum poteris reſurgere; gula enim animæ cura neglecta, cum te totum ventri addictum, & ad cętera torpidum reddat, & ineptum, pietatis dono animæ tuæ miſertus Cœleſti pabulo ſollicitè te paſces, & nutries, & ſanctæ temperantiæ te facies amantiſſimum. Si per luxuriam ceciderís, per timorem Domini reſurges; luxuria enim ſtimulat, vt, poſthabito timore Dei, totum te libidine inficias; timor verò Domini ſuadet perpetuò, vt te mundum prębeas, quandocunque Dominus pulſauerit, vt iram valeas euadere Omnipotentis Iudicis, qui omnem immunditiam detegit, & vlciſcitur. Hęc denique lex eſt contrariorum, vt ſuperbiam humilitate cures, inuidiam dilectione ſuffoces, & Charitate, iram tolerantia vacues, & patientia; gulam parcimonia ſubijcias, & abſtinentia, auaritiam diuitiarum contemptu eradices, & abiectione; accidiam labore deſtruas, & oratione; luxuriam puritate comprimas, & continentia.

Quòd ſi fortè per ſimilia animi morbos curare magis arrideat, vt pleroſ-

pleroſque morbos ſimilibus abigere ſolent Medici, qui venena venenatis depellunt paſtillis, viperæ morſus, ſcorpionis ictus eodemmet ſanant animalculo, Redemptoris methodum tene, qui Satanæ morbos ſanauit etiam per ſimilia, quæ per lignum patrari curauerat Inſidiator flagitia, per lignum curauit Saluator; ſic victus, qui victor olim fuerat, per ſimilia. Hoc admirabile medicinæ genus venerare, & repende gratias, quòd Domini tanta fuerit ſalutis noſtræ ſollicitudo, vt ſe Medicum prꝺſtiterit, & medicamentum.

DISTICHON APHORISTICVM.

Crimine repletas vacuabit Gratia mentes:
Sic erit oppoſitis culpa fuganda modis.

APHO-

APHORISMVS XXIII. SECVNDÆ SECT.

Morbi acuti intra quatuordecim dies iudicantur.

EXPOSITIO MEDICA.

QVò morbus celeriùs mouetur, & vehementior eſt per initia, ſiue vehementia ſit penes ſui eſſentiam, ſiue propter ſymptomatum ſęuitiem, vel ob lęſæ partis pręſtantiam, velociùs etiam ſuum properat ad iudicium, & feſtinat ocyùs ad terminum. Velocioris motus ægritudo, quæ motum ſequitur materiæ, expedit vt hanc nanciſcatur calidam, furentem, & facilè mobilem, naturamque inuadat, aut vegetam, & validam, quæ laceſſita acriter agitet, & citò in arenam cum morbo deſcendat malum propulſatura, vel debilem, & morbo viribus imparem, quæ citò ſuccumbat; quoniam morbi breuitas naturæ motum ſequitur, & materiæ; hæc enim ſi promptè feriat, & irritet, & illa ægrè tolerans expeditam tentet expulſionem, morbus acutus non vltrò decimũquartum protrahetur diem, qui potiſſimùm vniuerſalis erit; nam particulares nonnulli citiùs ſua tempora percurrunt, de quibus hic non eſt ſermo, ſed de his, qui febrem acutam, aut ſolitariam, aut affectui particulari implicitam habentes, verè acuti cenſentur, quibus decimumquartum diem pro termino ſtatuit Hipp. quòd longa experientia fortaſſe viderit ad vlteriorem vires non potuiſſe tolerare morbi acutiem, cum plùs nequeat pugna perdurare, quàm morbi vehementia patitur, & naturæ reſiſtitentis colluctatio; etenim ſi natura ab initio validè moueatur, & fortiter agitetur materia, diem ſeptimum, vel vndecimum non excedet, ſi ſeptimo die pugna incipiet, 14. non pręteribit; quin de morbo prolata ſit in bonum, vel in malum iudicatio, & perfecta licet ſubſequente criſi die decimaquarta aliqua poſt illam ſuperſtes notabitur mali productio, dummodo ſummus certaminis vigor naturam inter, & morbum die deſierit 14. cum fidis victoriæ ſignis, perpetuam non tollit aphor. veritatem, cum nondum liqueat Authoris mens, an ſcilicet ex eius ſententia concludendum quòd morbus acutus die decimoquarto integrè debeat abſolui, an eius acuties, & diſcrimen tantùm remit-

ti. Continget equidem; quod natura decimoquarto erit morbum totis viribus euictura,& euincet, non idcirco,ſi quid poſt decimumquartum reliquum erit morbi, vel ſymptomatum; non euictum ob id decimoquarto die pronunciabis; ſi reuera potiſſimùm victricis naturæ ſigna per completam criſim prodierint, neque etiam vbi perfecta criſis eſt, eodem ſtatim die ſublata notantur omnia morbi veſtigia, ſed ſat eſt, vt eo die fida victoriæ ſigna eluceſcant per bonam criſim;ita quidem ſi ad decimumquartum mala ſuccedat criſis, non idcircò eademmet die decedet æger, quamuis poſſit, ſed vt plurimùm per manifeſta mortis indicia vltimam poſt naturę aggreſſionem die 14. ad 17. vel vltrò poterit interitus prorogari; quod ſi eodemmet die decimoquarto deceſſurus eſſet æger, ab ipſomet initio lethalia prodijſſe ſigna neceſſe eſt, & quantò citiùs terminabitur morbus, tantò propiora principio ſęuiſſima ſe proferent ſymptomata, & tunc non acutus ſimpliciter, ſed peracutus,aut perperacutus erit morbus, & quò tardiùs mouebitur ad iudicationem,tardior erit circa initia ægritudinis motus, celer nimirum, vel ſegnis naturæ congreſſus cum morbo, & tunc morbus dicetur acutus ſimpliciter, vel ex decidentia, vel vlteriùs productus amittet ſenſim dierum ſpectabilium dignitatem. Diligenter igitur obſeruandæ ſunt primæ naturæ molitiones, & aggreſſiones; ex quibus futuri longioris, aut breuioris iudicij ſigna poterunt decerni. Cęterum quantùm de natura acutorum eſt ſimplicium, non erit acutus morbus decimumquartum exceſſurus diem; licet hoc etiam valde dubium ſit, & anceps, ſi 19. credendum pręſentis ſectionis aphoriſmo, quòd acutorum morborum non conſtantes, & infallibiles poſſunt proferri ſententiæ, non de ſalute ſolùm, vel morte, vt ſenſus fuit Hipp. ſed multò minùs de certo dierum, & euentus tempore.

EXPOSITIO MORALIS.

Peccator acutorum more velociter moueri debet ad conuerſionem.

QVò vehemẽtiores ſunt animę morbi,ſua citiùs percurrũt tempora, & ſuam ocyſſimè properant ad iudicationem, quod Hipp.

Hippoc. innuere videtur, dum diem decimumquartum acutorum terminum ſtatuit, inquiens *Acuti morbi intra* 14. *dies iudicantur*, breui ſcilicet terminantur: vnde vehementia, & enormiſſima quæque delicta, & peccata, cum à materia ſimul fiant mobili, & lubrica, à fluxili pariter, & pręcipiti fiant potentia, citò ſuum properant ad terminum, breui ſcilicet ſpatio ſuis terminantur obiectis, & ad iudicationem ocyſſimè feſtinant, feſtinant equidem, non vt morbus in abiectiſſimam corporis iacturam, ſed in deplorabilem, & æternam animæ damnationem, cum iudicatio non in humores incidat corruptibiles per humanam naturam, ſed in ſubſtantiam incorruptibilem per Diuinam potentiam, quæ ſemel amiſſa reparari nequit altera. Celeriter igitur acuti animæ morbi properant ad iudicationis metam, ſiue meta mors ſit temporalis, ſiue perennis interitus, breui temporis ſpatio ad ſummam nequitiæ acutiem euecta ſcelera, breui debent terminari, & per pęnitentiam iudicari, aliter ad aliam feſtinanter tranſeunt iudicationem, ad abſolutam ſcilicet habitudinem, qua concepta, niſi per gratiam detur poſſe ſupremæ iudicationis effugere neceſſitatem, ſempiternam iam iudicatus cenſebitur morbus ad mortem; ſicut enim dies 14. penes Medicos terminum ſignat acutorum, ſic penes Morales, & Theologos tranſgreſſionem notat omnium promiſſorum, & per conſequens omnium plenitudinem vitiorum: vnde legitur num. 16. *Fuerunt, qui percuſsi ſunt*, 14. *millia hominum* in neglecti mandati pęnam interfecti. Diem 14. ideò Hipp. acutorum limitem decreuit, quòd natura nequeat vlteriùs morbi perferre vehementiam, ſic Deus, vel per humanas iacturas, vel per immaturam mortem breui moleſtas terminat animæ ægritudines, & grauiſſima plectit delicta, quòd culparum atrocitatem nequeat vlteriùs tolerare; nec eſt quòd te torqueas ò mortalis in perquirenda tot ærumnarum, quibus vexaris, tot tribulationum, & pręcocis hominum interitus cauſa, cum vita breuis, & anguſtiarum turbo non aliam nanciſcantur originem, quàm acutorum animę morborum irritamenta, & peccati proteruiam.

Age igitur peccator, & in acutam tuam ægritudinem fac ſedulus incumbas, tuam celeriter operare ſalutem, & quemadmodum celeriùs ideò terminat ad ſalutem morbus, quò natura promptior inſurgit in illum, ſic celeriùs nequitia terminum attinget gra-

tiæ,

tiæ, quò promptiùs anima mouebitur ad certamen cum culpa, euincet, & profligabit celerrimè totam. Ex celeri, vel tardo motu materiæ in morbis pendet breuitas, & diuturnitas eiuſdem ; ex ſegni, vel prompto criminoſæ materiæ motu expedita, vel tarda manat emendatio. Moue igitur quantùm potes, & debes ocyſſimè peccator culpas tuas, moue celeriter per internam turbationem in Ieſi Redemptoris meditatione, moue per horrendas, quæ tibi ſuperſtant pœnas: miſerere animæ tuæ, nec contra te ipſum ſaxo durior ſęuias; ſaxa enim ad crucifixi Ieſus interitum ſciſſa ſunt, terra mota eſt. Perpende quod peccando egiſti, & ſcias quod Dominum denuò crucifixiſti, quandiù viuis ante ipſum es, & Paſſionis complicem te tua accuſant crimina ; ad eius igitur aſpectum ſcinde obſtinationis ſaxum, moue animum, moue cordis duritiem, moue terram vitæ tuæ, valde velociter erubeſce, & conuertere ad Dominum, hæc enim tui morbi potior eſt neceſſitas, vt criminoſa ſcilicet breui finiatur infirmitas. Hoc pium Pſalmiſtæ conſilium, 6. quo peccatores omnes erubeſcere conſulit, & velociter conuerti: ſi dura reluctatur obſtinatio, lapidem quęras, quo cor conteras lapideum, ne fortè ad lapidem culpæ offendas pedem tuum, lapidem quęras angularem in Chriſto Domino; hoc enim ſolidiori lapide petram elides cordis tui, donec in puluerem pertriueris totum, in tui ſcilicet finis memoriam, vt ſic puluis Chriſti paſſione madefactus tuam tibi ſalutem fructificet, vt inquit D. Aug. lib. contra quinque Hæreſ. hiſce notis *Quæramus lapidem, quo percutiatur incredulus, percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur, comminutus in puluerem conuertatur, conuerſus in puluerem compluatur, complutus feratur, ſatus faciat fructum, non qui igne comburatur, ſed qui horreo condatur.* Sic enim conuerſionem tuam ocyùs operando, tuæ ægritudinis acuties non vltra decimumquartum protendetur diem, breui ſcilicet tua prauitas per bonam finietur conuerſionis criſim; at ſi dante Deo vocem ſuam mota non fuerit terra vitæ tuæ, reuoluta ſcilicet non fuerit tota prægreſſæ vitæ hiſtoria, & ægritudinis tuæ dies numerando, non erubueris velociter, & ad Dominum non fueris celeriter conuerſus breui per peſſimam damnationis criſim terminabit infirmitas, quam ſi fortè produci permiſerit Omnipotens, vt reſipiſcas, neque tamen tu pręſidia quęres, vt celeriter finiatur, ſcias deploratam ferè eſſe ægritu-

dinem tuam: ſi ad Dominum Medentium omnium tutiſſimum non confugies, rem tuam in extremo verſari diſcrimine, inquit Aug. ſerm. 4. de verbis Dom. ſic *Conferamus nos ad te, & bene nobis erit de te, malum eſt nobis de nobis, & qui dimiſimus dimiſiſti nos*. In omnibus igitur vigila, & ſtudeas, vt breui prauæ terminetur vitæ morbus; ad Euangelicas attende vigilias, primam ſcias eſſe Pueritiam, ſecundam Adoleſcentiam, tertiam Senectutem; ſi in prima vigilia vigilare noluiſti, vt inquit Gregor. ſuper Euang. Hom. 34. ſecundam cuſtodias, vt qui conuerti à prauitatibus ſuis in pueritia neglexit, ad vias vitę ſaltem tempore iuuentutis euigilet, & qui ad vias vitæ ſaltem tempore iuuentutis non euigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat; quos diù vt conuertantur tolerat, non conuerſos duriùs damnat.

DISTICHON APHORISTICVM.

Culpa reos trahit ad mortem, decurtat & annos,
Et prohibet lætos poſſe videre dies.

APHO-

APHORISMVS XXIV. SECVNDÆ SECT.

Septenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem & vndecimus contemplabilis; ipſe enim quartus eſt ſecundæ ſeptimanæ. Rurſus verò & decimusſeptimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt à quartodecimo, ſeptimus verò ab vndecimo.

EXPOSITIO MEDICA.

SIne clauo, & remis nauigat, naufragium tandem facturus, (inquit doctiſſimus Fernelius) qui nulla temporum obſeruatione Medicinam facit. Tempora, quæ Medicus exactè obſeruare tenetur, & perſpecta habere, non modò tempeſtates ſunt ab extrinſeco ex circularibus anni ętatibus, & vario Solis, Syderumque exortu, ſtatuque promanantes, ſed ſpectandus præcipuè numerus, & dignitas dierum, quibus varias in corpore mutationes parari, perficique contingit in morbis, in quorum cognitione verſatiſſimi ſint medicę facultatis Profeſſores omnes neceſſe eſt, ita vt in morborum inuaſionibus inſpectio prima ſit decubitus dies, hinc diligens dierum progreſſionis morbi computatio, iudices, aut decretorios ab indicibus, & intermedijs, ac intercalaribus diſtinguendo, idque in morbis potiſſimum vniuerſalibus, vt in febribus continuis acutis eſſentialibus, dies continenter ſingulos perpendendo, & in periodicis intermittentibus non ad dies modò, ſed & ad paroxiſmos, & particulares acceſſiones attendendo. Quaternarios omnes dies velut indices in continuis, & ſeptenarios tanquam iudicatorios, cœteroſque ſtatues tanquam intercalares, & medios, dies ſcilicet, in quibus per quartum natura pręparat, per ſeptimum molitur; in reliquis cœptam abſoluit criſim; quamobrem, quæ circa dies incidit obſeruatio in continuis, eadem mèt aptari poteſt intermittentium paroxiſmis, computatione

ſemper facta indicantis à quarta acceſſione, quę quid ſeptima futurum ſit oſtendet: tertianam idcircò exquiſitam ſeptenis circuitibus terminari decreuerat Hipp. Dignitas igitur, & numerus dierum, & acceſſionum diligenter à Medico ſpectanda hac lege, vt in acutis ſimplicibus vſque ad acutos ex decidentia dictos quartum ſemper pro indicatiuo ſeptimi, ſeptimum pro iudice ſtatuas, & vltra 40. diem ſeptenarij dignitatem non tanti facias, cum tunc vis langueſcere incipiat criticorum, & quò morbum videbis poſſe longiùs excurrere, eò minorem diebus criticis vim tribues, & facultatem, & è contra quò acutior, & breuioris motus iudicabitur, tunc etiam primis morbi diebus mens ſtatim ad indices, & criticos intendenda dies. Quartus igitur index eſt ſeptimi; mutationes ſcilicet, alterationes, & euacuationes ſeptimo futuras vtplurimùm ſignis aliquibus premonſtrans, vt nubecula die 4. in vrinis ſeptimo bonam futuram criſim ex Auctoris mente, & praxi prenunciat; ſi verò malè quartus indicet, & reliqui quaternarij reſpectu criticorum, vt 4. 11. 17. 24. & ſic deinceps ad completam criticorum metam; ſi inquam turbati fuerint quaternarij, & malis afflui ſignis, ſeptenarios è veſtigio præſagient infauſtos, & quò lethalia magis ſigna quarto proferentur die, infallibilem (prout medica ſpondet praxis, & cognitio) die ſeptimo futuram pronunciabis perniciem. Obſeruata quartæ diei in prænunciandis, & indicandis ſeptimæ euentibus energia, ſupremam mox in morbis ſeptimę dignitatem, & poteſtatem in iudicando meditaberis; cuius vim non eſt, quod celebrare nitar, cum ſat approbet experientia, quid poſſit ſeptima, quantùm excitet Medicos, & Adſtantes eius expectatio, dum malè per quartum fuit indicata; contra, quantùm exhilaret bene præſagita, ſat inquam quotidiana promit obſeruatio. A ſeptimo vndecimum ſpectabilem conſulit Hipp. tanquam ſecundę ſeptimanæ quartum, quæ ab octauo duxit exordium, indicem decimiquarti, inde 17. contemplabilem proponit, velut aliquando reſpectu vndecimi vim gerens iudicatorij; & indicis in ordine ad 20. vel 21. Vnde tota mens Hipp. in preſenti aphor. circa dies indices, & iudicatorios tantùm verſari videtur, vt tota mens etiam Medici ſit in contemplatione dierum iudicantium, & indicantium, 4. ſcilicet, & 7. in quibus natura potiſſimùm tot diſponere, tot exponere ſolet mutationes,

tationes, quarum omnium ſi quis cauſam tribuere velit aſtris; vt communis ferè omnium ſentit genius, vel humorum indoli, vel re-conditis naturę myſterijs, nihil refert: ſcias ſolùm diem ſeptimum ab Omnipotente non ſine myſterio ſibi fuiſſe ſacratum, & ſeptenarium numerum ſibi ſeruatum, ita vt quæ eximia per totas noui, & veteris teſtamenti paginas euolues à Deo facta, quamplurima inuenies ſeptenario numero abſoluta.

EXPOSITIO MORALIS.

De numeris ſpectabilibus; & præcipuè de numero 153. ex quo deprompta Sacratiſſimi Roſarij Pſalmodia, peculiari encomio celebranda.

Poſt Prothoparentis noſtri Adæ lapſum vltionum Deus naturam humanam mille dedit ęrumnis concutiendam, innumeris potiſſimùm languoribus obnoxiam, quibus tamen vniuerſis pro pietate, & genio ſua tribuit præſidia, ſua præfixit durationis tempora, ſuum ſtatuit dierum numerum, in quo maximè decernendo dies quoſdam peculiari ſignauit charactere, vt per cauſas in naturæ ſinu latentes, numeris coniunctas faciliùs, mirabiliùs, ac euidentiùs natura ſuas ederet actiones. In dierum numero quaternarium, & ſeptenarium ſingulariter ſummis inſigniuit dotibus, & abditá obumbrauit ſignificatione; quartum dedit ſeptimi ſignificatiuum in morbis, & ſeptimum naturalis omnis moliminis in morbos auctorem, reliquos veluti vacuos, & quieſcentes deditos naturæ. Neque modò numerum tradidit Dominus peculiariter ſignatum in morborum diebus, ſed & reliquis in omnibus, & vniuerſis in rebus electos etiam ſtatuit ſibi numeros, quibus opera quæque ſua abſoluerentur. Et primò ſicut Medicina tres notat dierum ſpecies verè contemplabiles, dies nimirum criticos, indices, & intercidentes, ſic ipſe Deus dies omnes in tres præcipuas diſtinctos voluit claſſes, in dies ſcilicet naturæ gratię, & glorię, in quibus omnibus ſeptenarium numerum ſibi ſacratum ſæpe ſeruauit Redemptor, numerus enim ſeptenarius cum perfectionem ſignificet, & quietem, careatque defe-

defectibus, myſticè Deum ſignificat ex Diuo Gregorio, & quemadmodum recondita ſunt arcana Dei, & imperſcrutabilia iudicia eius, ſic neque ſeptimi dignitatem per ſuas cauſas inuenire datum eſt, cum ſeptimi numeri, & aliorum, quos Deus in myſteria ſelegit, rationem quærere humana nequeat imbecillitas, & nihil afferat emolumenti;quid enim vtilitatis cauſam quærere cur quatuor tantùm ſtatuerit Euangeliſtas, quatuor anni tempora, quatuor Virtutes Cardinales? nullum ſanè, niſi cauſam referas in hoc,quod ſicut quartus eſt index ſeptimi, ſic quatuor Euangeliſtæ per doctrinę veritatem, ſeptimi, nimirum Dei indices fuiſſe. Sat ſit ſcire ſeptimum numerum, & diem Deo ſemper fuiſſe ſeruatum, & acceptiſſimum operum ſuorum terminum.

Quantæ dignitatis, & quàm frequentis fuerit vſus penes Deum ſeptenarius numerus, quiſquis ſacras, ac profanas euoluerit hiſtorias, certumque fecerit epilogiſmum abundè notatos inueniet teſtes; diebus ſeptem conditum inuenies Orbem, ſeptem in Cœlis editos naturæ moderatores planętas in Geneſi 50. *Celebrantes exequias impleuerunt ſeptem dies* Exod. 13. *Septem diebus azima commedentes*: Leuit. 8. *Præcepit Dominus ne de oſtio tabernaculi exirent ſeptem diebus* Num. 29. *Septem diebus offeretis hoſtiam*: Deuteron. 16. *Diuiſit terram filijs Iſrael in ſeptem partes*: Iudic. 14. *Fuit Arca Dei in Regione Phyliſtiim ſeptem menſibus*: Paralipom. 7. Hęc & plura veteris teſtimonia teſtamenti poſſent afferri. Referant nunc Euangeliſtæ ſeptenarij numeri dignitatem: interrogante Ieſu diſcipulos, quot panes haberent reſponderunt ſeptem: ex Marco 8. Luc. capitalia delicta per Magdalenam deteſtata recenſens inquit *De qua ſeptem Dæmonia exierant*; Et ſic paſſim millibus in textibus ſeptenarij numeri leges poteſtatem. Neque modò ſeptenarium,ſed & 12. numerum reperies ſingulariter à Deo ſignatum in 12. Apoſtolis, quorum numerus ſpectabilis eſt. Item 14. diem contemplabilem inuenies, hic enim numerus ex Doct. Bercherio perfectionis etiam ſtatum ſignificat, quod conſletur ex ſeptenario ſeptem virtutum, quatuor ſcilicet Cardinalium, & trium Theologicarum duplicato tamen ſeptenario ſeptem virtutum Moralium, quæ ſcilicet vitijs opponuntur Capitalibus, ex quibus 14. numerus componitur, qui duodenę generationi ab Abraham ad Dauid vſque virum ſecundùm cor Domini re-

reſpondet. Spectabiles igitur ſuos decreuit dies Omnipotens,quorum cauſis ignotis, venerari nos voluit myſteria, ex quibus illud effici video cuncta ferè prodigia, critica velut ſigna nobis cœlitus immitti, quæ rerum futurarum prenuncia precurrere ſtatuit Omnipotens, quibus cum tota ferè Diuina affluat Scriptura,ne prolixior ſim, quàm ferat inſtitutum, aliorum claſſe pretermiſſa, in numerum 153. totam placuit vertere contemplationem, quòd totus hic numerus in Matris gratiarum gratiam à Deo fuerit ſacratus, ex quo Sacratiſſimi Roſarij mirabilis compoſita fuit pſalmodia vt ait B. Alanus, & cum eo plurimi magni nominis Auctores.

POſt letiſſimos Dominicæ Reſurrectionis dies myſterijs cumulatiſſima fuit Piſcatio à Chriſti diſcipulis facta; Refert enim Ioannes cap. 21. cum per totam noctem piſcationibus intenti nihil abſente Domino prendidiſſent, mane iam facto ſtante Ieſu in littore,miſiſſentque in dextera nauigij rete iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium, tractumque per Petrum in terram rete,plenum inueniſſe magnis piſcibus 153. numerus ſanè contemplatione digniſſimus, nec ſilentio prætereundus. Neminem latet Summi Moderatoris ſecretiſſima Prouidentia ita ſancitum fuiſſe, vt ſingula ſuis ſint librata ponderibus, numeriſque abſoluta: diſertiſſima namque ſimul, atque notiſſima eſt illa Cœleſtis oraculi vox *Omnia in numero, & pondere, & menſura diſpoſuit*; Vnde aptiſſima rerum cunctarum diſpoſitio conſurgit; & adeo perfecta vniuerſi terrarum orbis concinnitas, vt numericum videatur præſeferre concentum, perpetuaque modulatione hymnos ſuo pangere Conditori; ita planè non ſine magno, diſcretiſſimoque conſilio Euangeliſta præ cœteris dilectus, & ſupra omnem intelligentiam Diuinis imbutus myſterijs hunc piſcium ſelectiſſimum numerum 153. precipuè commendauit, niſi quia de Chriſti pectoris ſacrario abditum aliquod deprompſit arcanum,quo Fidelium mentes eruditet ſimul, ac delectaret. Si vberioris ingenij mihi copia concedatur, conabor in Sacratiſſimi Roſarij myſteria, ad ſcopum veluti colliniare, pari enim numero Angelica hec pſalmodia conficitur, quam proinde nemo inficiabitur Euangelico illo numero præfiguratam fuiſſe, vt id,quod religioſiſſimè Fidelium pietas proſequitur, Euangelico aliquo ſtemmate clareſceret. Ecquis Virginis Roſarium aureum non

dicat

dicat rete, quo diſcipulorum ad inſtar Dominicus Diuino afflante Numine de Cœleſtis ſapientiæ ſinu, veluti de abditiſſimis freti gurgitibus 153. piſces magnos, nempe 150. ſalutationes Angelicas, & ternarium myſteriorum produxit, quibus piorum Fidem electiſſimo ſaginaret veritatis pabulo, nec erit abs re Roſarium nuncupare, & altiſſimam Fidelium Theologiam dicere, qua breuiter, dilucidèq; ſanctiora Fidei panduntur arcana; geſtorum Chriſti, Diuæ Parentis nitidiſſimam epitomem, Sibillinum volumen, Ezechielis librum, in quo carmina, lamentationes deſcriptæ leguntur; Illiadem vlteriùs dicerem, quæ relatos ab immortali Achille de hoſte triumphos, præclaraque Diuinæ Charitatis geſta paucis prope innumera recenſet. Elegantiſſimam beneficiorum panegyrim, publicam myſteriorum commendationem Roſarium ferè dixerim explanatum Euangelium, niſi placeat, & illud idem apellare Virginis citharam, & pſalterium, quo toties veluti Dauidicæ lyrę modulis Tartara deuicta, prauos genios fugatos, hoſtes perculſos, ictus eluſos, arma retuſa, iras pacatas audiuimus, mortemque pulſatam. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis* olim de ſe videtur locutam Chriſti Parentem, & ne tanta, tamque vigili ſub cuſtodia detrimentum vllum vineam fuiſſe perpeſſam aliquis ambigeret, ſubditur *ſepem circumdedit ei*; nec procul'abero à veritate, ſi floridiſſimam ſepem vocitem Virginis Roſarium. Olim Cherubim romphea armatus ignita voluptatis viridario præfecit. Heſperidum hortos draconis excubijs muniri fabuloſa finxit antiquitas; verùm ſpecioſiſſima Chriſti vinea, hac roſea ſepe munita deffenditur, aper non irruet in eam, nec quod aliàs Vates expauit vulpes paruulæ eam demolientur, quid mirum ſi myſticæ huius vineę iucundiſſimā vbertatem, ſuauiſſimaſque inhalationes tam hilari carmine Sponſus concelebrat? *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*: ſepis Virgineis roſis contextę hæc laus eſt, inde odor, inde amenitas, inde Chriſti vineæ allata ſecuritas. Verùm vt ad littus redeamus, vnde diſceſſimus, rimari præſtat, quòd Diſcipulis alijs vicibus piſcantibus ſciſſum eſt rete, hic nulla huiuſmodi ſub pleniori piſcium pondere contigit ſciſſura, *Et cum tanti eſſent* (inquit Euangeliſta) *non eſt ſciſſum rete*. In piſcium numero ſacrum innuebatur Roſarium, cuius vbi lux, vmbraue nulla præluxit, nullum patitur rete diſcrimen, ideſt Chriſti Eccleſia,

quæ

quæ ſub Sacratiſſimi Roſarij auſpicijs nullo periculo tangitur, nullo hoſte profternitur,nullo conatu deijcitur. Sęuiat ſuis horrida mon-ſtris Africa,ſuis pugnet ſtipata furoribus Thracis audacia, cruentos vibret gladios, rubentia expandat vexilla ; ignes euomat, lethales catenas paret Filiæ Sion, ſęuus Pirata Petri nauiculæ moliatur inſi-dias,Nocturnus graſſator pallium de Chriſti Dilectæ humeris exue-re conetur,contegat Mare claſſibus, minetur, aggrediatur, totis vi-ribus certet, igne, ferro, procellis, naufragijs, quid tibi profuit immaniſſime Pharao tantus belli apparatus, tam formidabiles co-hortes, tantus armorum impetus? currus tuos mare abſorpſit, tru-ce ſatellitium mors diſtulit. At vndenam quæſo tanta virtus infir-mioribus armis, & à vix profligatis præſtans adeo victoria? Inquam ego,Piſces magni exiere ad deuorandum cùm Sacratiſſimi Roſarij myſteria de lachrymoſis precantium vocibus prodiere, hinc ſa-lus, hinc virtus, hinc bellica ſors; & partus triumphus; victores igitur ouantes decet roſeis ſertis ſua tempora redimire; iſtę enim potentiſſimas veluti ſagittas, ſi quas poſſident, ſpinas in ſęuiſſimas acies iaculatæ fuere,nec dubia panduntur euentus teſtimonia, dum rubros intueor fluctus,plena cadaueribus littora, cruore deturpata quæ iam pridē aurata fulgebant nauium roſtra;barbarę gentis Otho-mana Luna ſuorū horribili clade ecclypſata erubeſcit;En quibus co-pijs, quibus vexillis, quibus pugnatur machinis, Virginea nempe Corona, vt certę victorię omen eſſet in armis, precarij Roſarij glo-buli ignitis glandibus reſtitere, Mariano hymno dimicatum eſt, ſtipati exercitus,inuictarumque legionum vices ſtrenuiſſimè geſſe-re recitata myſteria, Cęle ſti Sunamitide duce viſum fuit certari choris caſtrorum; Sacerrima Virgo Roſarij ſuis adfuit auſpicijs, in ipſa Mulierem fortem ſenſere, & militares cuneos,Diuinamq; pror-ſus vim in Roſario, cui proinde debentur proſtrati hoſtis trophæa, opimę ſpoliæ, & triumphales manubiæ. Paueat iam, & contremi-ſcat totus Infernus Chriſtiani nominis robur, & ſciat Virginis Ma-riæ Roſarium telum eſſe vincentium; Turca Domitus, Albigenſes antea funditùs euerſi omni ſęculo memorabilem faciant Virginis Roſarij clientelam, fauſtiſſimum patrocinium, omnique virtute validiora præſidia. Quod olim Cęleſtis ſponſa præ languore deffi-ciens annuebat *Fulcite me floribus*, quid aliud ſanè præſignare vi-

Ii debatur,

debatur? niſi quod Sacroſancta Eccleſia ab ipſis Mariani Roſarij floribus Diuinum ſibi leuamen immitti pollicebatur: Ita quidem ingeminare videtur quiſquis cęleſtibus inhiat Chriſtifidelibus, *Fulcite me floribus.* Fatiſcit animi vigor, Charitas tepeſcit, Spes languet, infirmatur Fides; *Fulcite me floribus.* Inſultat Mundus, titillat caro, diſtrahit; & aliò cogit ire voluptas, lex intus Diuinæ aduerſatur legi, rationi ſenſus reluctatur, intus pugnæ, foris tumultus, tartareus Prędo molitur inſidias, laqueos texit, *Fulcite me floribus*; Piaculis obruor imminent diſcrimina, pęnæ irruunt, ſalus in anguſto eſt, de ſumma agitur rerum *Fulcite me floribus.* A ſuaueolentibus Virginis Mariæ roſis quis ſibi certiſſima non attendit ſubſidia? vnde captiui libertatem agnoſcunt, ægri medelam, dubij conſilia, pauidi animum, auxilia obſceſſi, famelici alimenta, ęgeni ſubſidia, ſolatia afflicti, defuncti vitam, peccatores veniam, gratias denique vniuerſi: O Summa Sacratiſſimæ Virginis Roſarij in humanum genus indulgentia, pietas, & amor immenſus! O deſideratiſſima protectio? O roſæ ſuſpiratiſſimæ, quibus, vt anima Cœleſtis Sponſi digna ſit amplexibus, ornata refulget? O venerabilis rubus Sanctiſſimum Roſarium, in quo flagrat Dei Charitas, in quo fragrat Virginis puritas; hìc connexos in vnum video nazarenos flores, & caluariæ dumos, habes hìc faſciculum Sponſæ exhibitum, qui inter vbera commorabitur, hic germina poſſides ex vernanti radice Ieſſe producta, flores habes quibus Iſaiæ virga ſe coronauit! O viuidæ Roſæ non inſani Cupidinis, ſed Chriſti cruore purpuraſcentes, non ſilentij ementito Numini dicatæ, ſed laudibus ſacratæ perennibus! O æterni veris flores, ſpinæ vobis illæ non hærent, quibus veteris apices maledictionis inſcribuntur, ſed quæ benedicta in Chriſti ceruice fuerant infixæ, quæ tracto ſanguine abſtergunt anathemata, haſtæ verè Achilleæ vulnera ſimul, ac medelam ferentes, ſpinæ frugibus refertę, quas non damnatę frontis ſudor irrigauit! O ſuauiſſimę cuſpides, quæ non feriunt, ſed ſtimulant, & ferunt ad ſaluté, has inter ſpinas peccatoribus iter ſternitur ad gratiam! O quàm iucundum, & ſuaue has inter ſpinas, & roſas ſine dolo vernantes verſari, ſub his callidus, & vaffer ſubdolè non latet anguis, Diuinis earum fugatus halitibus, ferit has Diuina manus, lachrymarum fluentis pietas irrigat, his Diuina Mater dilecti circum-

circumduxit tempora Filij. *Venite & videte Regem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua*. Tuum fuit ò Verbum Patris pugnare; Matris verò coronare; tui ò Fili præclaris geſtis operam nauare; Matris, illa ſuo proclamare Roſario; Tu victor Ieſu, hæc triumphi Preco; Tu hoſtes ſtrauiſti Chriſte, feſtiuum Mater concinit Pæanna. Sic Cœleſti Dauid plauſus recitat ſuauiſſimo cantico Filia Ieruſalem. Sic altera Maria hoc ſacro Roſarij ſonitu Diuino gratulatur Moyſi poſt cuictas tempeſtates, iterque tumentes inter effuſi ſanguinis fluctus reſeratum: ſic lętiſſima Debora laudes Diuinæ promit Sapientiæ, quòd Iaelis ad inſtar clauis ſuis Tartareum Siſaram in cruce confixerit: ſic alma Mater Filij reminiſcitur mirabilem conceptum, inclita natalia recolit, ſuauiſſimas faſces, dulces vagitus, regalia zennia, profuſa gaudia, hilares nuptias, ſacramenta Iordanis: inde verſa cithara in luctum, cruentum repetit ſudorem, oſcula infida, flagella meditatur, ſpineum ſertum, immanes alapas, ludibria, calumnias, proditiones, innocentiam afflictam, crucifixam, vulneratam; & ſpirantem; tandem glorioſè, vt ſuum compleat Roſarium, medicatis plagis, morte deuicta, rediuiuum amplectitur Chriſtum, radijs corruſcantem, immortalitate glorioſum, victorem Cœlos petentem ſuo proſequitur cantico. O quàm Filius oblectatur hac Matris corona! O quàm lętis auribus hanc ſuſcipit ode Roſarij! O quanta inde manant gratiarum charíſmata! Vnde Roſarium Reginę Virginis dicere liceat calamum, & hamum quo de Saluatoris fontibus myſteriorum Roſarij carpimus piſces, è quorum ore, veluti de altero Petri, ingentis prætij aureum profertur numiſma, aurum iſtud eſt Redemptoris ſeptuplum purgatum, pretium, quo ſuccurritur inopiæ, & genus humanum tot annorum curriculis captiuum redimitur, fulget hoc auro Diuini verbi hæc Roſarij corona; quid inhias Theſauris mortalium cupiditas? hic aurifodina patet vbi ditari poſſunt vniuerſi; hucuſque de miſero fuimus ſeruorum grege, iam non eſtis ſerui, ſed liberi, & in libertatis veſtræ inſignia Roſarij geſtate coronas: his enim poteſtatum inferarum victores, viros inclytos; & ſtrenuę Religionis decet ornari, hæc arra, hæc ſpecies eſt alibi optatę coronę. Sed non tædeat iterum redire, vnde diſceſſimus, ad Euangelicam nempe piſcationem, in qua de myſtico piſcium numero cauſam ſcrutemur; &

effectus ; cauſam promit Euangeliſta , myſticum ſcilicet piſcium numerum tunc à Diſſipulis captum fuiſſe, cum miſiſſent retia ad dexteram, *mittite ad dextram nauigij* imperans inquit Saluator. Vos vos huc compello impijſſimarum hereſum molitores, quique ad ſiniſtram caliginoſa in errorum nocte fruſtra laborantes nihil cepiſtis, ſed ad ſcopulos dumtaxat allidentes, procul à veritatis litore errantes, omnia perdidiſtis; calamos fractos, laceratum rete, naufragaſque cimbas conſpicio;Neſtorium cerno,Eutichetem, Macedonium, Lutherum , Caluinum, & ſimilia Auerni portenta, dum malè piſcantur , fluctibus Diuinæ Maieſtatis oppreſſos, & ſubmerſos. O quàm abundè mentis ſagenam ſacris replent veritatibus, qui à dextera non recedentes Eccleſiæ ſacerrimo hoc myſteriorum numero imbuuntur! Hi verè ſapientes, & Diuinarum rerum compotes facti, quos Mariana erudit Corona , hac hæreſes profligantur, Fidei inſtruuntur Diſcipuli.

Tres ſcinditur in claſſes Roſarium, vt Tertio velut in Cœlo arcana ore pluſquam humano proferenda conſpicias , trino hoc myſteriorum complexu Triadis ambis Altiſſimam ſpeciem , complecteriſque conſilia: vnde rurſus eos dicere libet retia in dexteram mittere, qui ſacra ſępe concinunt Roſarij myſteria, quòd abſint à damnata ſiniſtra, procul ab hędis inter electas oues recenſentur, Deique filijs in auſpicatiſſimam electorum manum Virginei Roſarij inferuntur alumnis; dextera eſt vbi Roſarij fulget ſpecimen , ibi felicitas , ſors, ſalus, & vita. Quod ſi feſtiua Iudith acto de Aſſyriorum impetu triumpho victricibus redimita coronis , puellarum, Matronarumque lętiſſimos Choros coronans hilari comitatu, celebrique pompa patriam ferro hoſtili ereptam exhilarauit, vt ex Greco legit Ieranius. *Et ipſa ſuis manibus Tyrſos ſumpſit , deditque mulieribus , quæ ſecum erant , & coronarunt ſe oleagineis coronis*. Quis quęſo ſpecioſiorem vnquam typum Virginis expreſſit? ipſa quidem inuictiſſima Iudith, quæ roſeis coronis Fidelium coronat pietatem, & militanti adhuc Eccleſiæ triumphantis confert inſignia ; ſic de deuicto inferorum ſatellitio ſolemni fungitur triumpho ; ſic dies feſtos gens liberata ducit in choris, & tympanis; ſic victorum more procedunt in agone certantes ; ſic vernantibus coronis coram numine ludit,prout de ſe Virgo fatebatur *Delectabar per ſingulos dies*

ludens

ludens coram eo omni tempore, de quo luſu dulciſſimè ſimul ac grauiſſimè Rupertus *O ludum Sapientiæ, deliciorum ſcilicet, Chriſtum, & Mariam præſcire, ac prædeſtinare certum aliquem numerum Angelorum, & hominum, & in libris vitæ nomina conſcribere ſingulorum.* Præſcit, prædeſtinatque, dum ſic blandè ludens pijſſima Virgo Roſarij ſertis Fideles adornat ſuis, præbet beatitudinis æternę pignus, filiorum teſſeram, electorum inſignia. Vide Mortalis quàm myſteriosè Redemptor Euangelicum piſcium numerum pro texenda dilectæ Matris corona per dilectum ſignari voluit Diſcipulum; vide vlteriùs, & mirare, quàm piè, quàm graphicè Dominicus ſacratum numerum 153. ſacratiſſimo coaptauit Roſario eiuſque myſterijs. Quàm magni fuerint à Petro tracti piſces ad litus ſacer exprimit Euangeliſta, quàm Magna ſit Roſarij pſalmodia, & oratio B. comprobat Alanus, cui Sacratiſſima Virgo Dei Mater proprio retulit ore, *hoc genus orandi eſſe ſibi gratiſſimum & ad impetrandam Diuinam gratiam efficaciſſimum*. Quot peccatores de perditionis oceano ad ſalutis litus traxerit Roſarij ſubſidio Dominicus, non eſt quod enitar teſtari, adeat quiſque, & pro genio Mariani Roſarij euoluat portenta, innumeris ſpondeo miraculorum euentibus abſorptus fatebitur, quod viuere, & tot inter miracula Virginem Mariam non amare, amarè viuere cenſendum. Gaude igitur, tantę ſub Virginis patrocinijs tutus es, ſub huius Coronæ auſpicijs quemquam pati non patitur. Omnes in Virginei Roſarij odorem currentes ita currere ſperent, vt feliciſſimè comprehendant, & tandem cum Diſcipulis Domini retibus hoc ſacro myſteriorum numero refertis Cęleſtis Patriæ litus appellent, ibique opimè ſaginati perenniter viuent, reuelataque facie eadem meditabuntur myſteria, quæ nunc per ſpeculum in enigmate mens in Fidei obſequium captiua religioſiſſimè colit.

DISTICHON ENCOMIASTICVM.

Omnis amarus amor, qui neſcit amare Mariam,
Quæ tibi dat quod aues, ſi bene dicis Aue.

APHO-

Quartanæ æſtiuæ magna ex parte breues: Autumnales verò longæ, præſertim, quæ hyemem attingunt.

EXPOSITIO MEDICA.

PEriodicæ febres, quò diuturniores ſunt, difficilioriſq; ſolutionis, eò craſſiorem, magiſque rebellem teſtantur mineram, Febris potiſſimùm quartana, quæ à fęculenta, vel aſſata, craſſa prorſus, & tartarea fit melancholia; in huiuſce febris generationem, & diuturnitatem, prẹter temperamentum habitum, ætatem, victus rationem, regionem, multùm ſuffragare poteſt anni tempus, ex quo longiores, vel breuiores quartanas definit Hipp. in prẹſenti, æſtiuas breues, decliues alias ad hyemem longiores pronuncians; etenim quò plures ex dictis circumſtantijs in quartanæ generationem conſpirant, mutuaſque ſibi tradunt operas, producentur procul dubio magis febres, & ad annos vſque poterunt quartanæ perdurare, ſi pars aliqua potiſſimùm ex prẹcipuis, & organicis naturalibus, vel altiùs obſtructa, vel in tumorem fuerit eleuata; tunc enim chronicæ, & longiſſimæ ſuccedent febres, quæ præſertim ingruunt autumno, & nullos conſectariæ ad morbos, primas protinus exhibent quartanæ acceſſiones, quæ quidem ita incipientes eius ſunt indolis, vt quamuis æſtate prẹhendant, quo tempore breuiores ſpondet Auctor, longiores nihilominus protendi ſolent ad menſes. Breui ſanè poſſunt terminari, quæ æſtate ingruentes circa principia ambigunt, vel alijs ſuccedunt morbis, in quibus minor eſt adductorum ſignorum concurſus; & viſcera nullis labefactata vitijs illęſa ſunt, & ſalua: huiuſmodi quartanæ, ſi æſtiuæ ſint, breuiores eſſe ſolent, quòd ambientis feruor per æſtatem corpus laxando, tenuando humoris craſſitiem, diflabilemque faciens peripheriam, quartanæ mineram ſubeat altiùs, & reſoluat. Quod ſi autumnalis fuerit quartana, cum tunc temporis inẹqualia ſint omnia, ambientis conſtitutio, & humorum motus omnino varij, & humor melancholicus in ſuo ſit principatu, & figi, concludique arctiùs

ctiùs incipiat, diuturniores inde prodeuntes quartanæ ſint neceſſe eſt, ſi potiſſimùm hyemem attingant, qua tempeſtate nihil è corpore diffluit, minùſque difflantur humores, ſed torpidi, & ſegnes ad motum, non niſi per veris aduentum, & circa vernale æquinoctium poterunt diſſolui: vnde quartanæ longiſſimæ, conſtatque ferè omnes, qui medicis pręſidijs hyemalis quartanæ tędia demulcere, vel imminuere tentauerunt, deterioris indolis, longioris ſpatij paroxiſmos excitaſſe, quin immo ex ſimplici quartana in duplicem, vel triplicem, aut in deterius morbi genus commutaſſe, nec rarò in perniciem deſijſſe: vnde, cum quartanæ ex natura cancrorum ſint, melius eſt non curare, eradicatiua potiſſimùm circa initia, aut per hyemem curatione, quàm remedijs ipſam exacerbare; ſponte per aliqua ſpatia digeſta quartana à pluribus poterit morbis pręſeruare, ſi nullum potiſſimùm circa victus rationem contingat erratum.

EXPOSITIO MORALIS.

De longiori, & difficilioris emendationis crimine.

QVartana febris ideo contumax, quòd à materia fiat rebelli, & medicis reluctante pręſidijs; hęc enim plus, minùs diuturna, prout anni tempus magis, minùſue curationi obſecundat. Sunt peccatores veluti Quartanarij, qui culpis laborant difficilis inter cęteras ſolutionis, quòd ab ægrè mobili fiant materia, & diutiùs durant in nequitia, prout anni tempus ad promptam, vel tardam conducit emendationem. Contumaciſſima peccata, quartanæ ad morem, breui vtplurimùm poterunt terminari, ſi æſtiua ſint, ſi nempe corripiant dum viget æſtus, & calor iuuentutis, in qua faciliùs criminum diſſolui poterit contumacia, ſi nempe non producta, neque procraſtinata corrigantur pęnitentia, ſed in iuuentute, & exortu primo ſcelerum, dum nondum antiquata ſunt vitia: Quod ſi pertinax quartana in autumnalem feratur tempeſtatem, in ætatem ſcilicet inclinantem vlteriores ſanè producetur ad metas; & longioris euadent durationis vitia, ſi hyemem potiſſimùm, extremam nempe ſenectutem attigerint, quo tempore incorrecta flagitia in naturam conuerſa nullum, ſeu perexiguum relinquunt emendationi locum,

&

& huiuſmodi vitioſæ quartanæ longiſſimè ad mortem vſque culpis iam confectos ſenes concomitari, & peſſimo perdere ſolét deceſſu.

Contumaciſſima rurſus delicta, æſtiuæ quartanæ ad inſtar, magna ex parte breuiora, ſi feruido ambientium amicorum zelo, vel calido Sacri Oratoris conſilio, velut ab æſtiuo calore diſcuſſa, & tenuata rebelli peccati materia, obſtinatæ mentis durities remollietur; at ſi feruens amicorum ſuaſio, Sacri exortatio Miniſtri nihil poſſit craſſioris culparum materiæ diſſoluere, prẹterita æſtatis huius occaſione ſuccedet autumnus, & hyems, prima ſcilicet, & ſecunda ſenectus, in quibus ſpes minor erit inueterata emendari poſſe vitia.

Grauia vlteriùs & pertinacia delicta quartanam animæ febrem conſtituentia magna ex parte breuiora fient, ſi ẹſtiua ſint, ſi nempe hominem exerceant, in quo aliquis adhuc vigeat Charitatis ẹſtus; etenim ſi ad hyemem, quo tempore gelida ſunt omnia protrahantur ſcelera, cùm ſcilicet extincta prorſus eſt omnis Charitatis flamma, longiſſimè quidem producetur culparum febris; nam quò plus per inueterata vitia diſtat anima à Deo caloris fonte, plùs etiam protrahetur febris. Rem dilucidemus exemplo. Contumacior febris, qua veluti quartana ſolet anima prehendi, eſt ad priuatas, vel publicas rapinas genius, & ẹſtus; hic quidem materiam ſortitur adeo fixam,& rebellem, vt vix amicorum conſilio, vel aliorum hortatu aſſiduo poſſit aliquando diuelli,& ad Dominos transferri. Malè acquiſiti reſtitutio difficilis adeo eſt ſolutionis, vt quartanarum more ad hyemem, ad mortem ſcilicet vſque vtplurimùm differatur, ac ſẹpe ſẹpius nec in ipſa fiat, vel ſi fit, ritè, & perfectè non ſuccedat, cum impoſſibile ferè ſit, quæ longo tempore hinc inde ſurrepta ſunt,breui ſpatio ſua ſingulis ſingillatim Dominis diſpenſare,cum maximè neque ſuppetat rapti memoria, & callo iam mens obducta putet proprium, quod alieno fuerat ære cumulatum: vnde ſi quæ delicta contumacis, & rebellis indolis ſunt, & ocyſſimè cauſa damnationis, rei ſanè malè aquiſitæ, quæ verè quartanam ſtatuit mentis febrem, quæ quò longiores habet acceſſiones, eò diuturnior. Acceſſiones, vt alibi dictum,ſunt occaſiones, ſi quæ igitur prẹſto ſunt ad rapacitatem, & quò plures ſe ſe offerunt, & diutiùs durant, eò longiorem, ac deteriorem indicant fore febrem, in illis potiſſimùm,

mùm, qui Regijs adſtant ærarijs, & publicis incumbunt adminiſtrationibus, his equidem diuturnæ ſemper ſunt rapiendi occaſiones. Curent igitur omnes Quartanarij ſpirituales, ſi febris hęc corripit æſtate, ne vergat ad autumnum, ne attingat hyemem: ſi iunior es, & animam rapinis oneraſti, dum viget memoria, & iuniora ſunt crimina, recollige furta, diſcute quod tuum non eſt, & redde maturè, cui abſtuliſti; ſi enim ad vlteriorem protrahes ætatem, neſcies confuſus cui reddenda erunt malè parta, multò minùs, ſi ad extremum ſenium reſtituenda ſeruaueris, quæ iam proprijs vſibus accommodata, vix credibile poſſe tunc temporis dimitti, & peſſimè tibi erit ſi ad hyemem differes, ad gelidam nimirum mortis horam reſtitutionem commendaueris hęredi, cui nulla de reſtituendo, ſed arctiſſima de retinendo ſolet eſſe ſollicitudo.

Pręterea æſtiuæ quartanæ breues ſunt, ſi quartanario more rebelles filij, & in vitio contumaces reſipiſcant æſtate, dum ſcilicet viget calor, robur, & virga Parentum, & dum proles adhuc tenera creſcit, & ambienti Genitorum æſtu criminoſę poſſunt diſpoſitiones, aliàs diutiùs duraturæ, calida, & acri contrahi correctione, fierique breuiores; at ſi autumno fieri incipiant, vel hyeme, cùm ſcilicet minùs viget Parentum vigor, magis recalcitrat durior natorum inobedientia, diutiſſimæ ſuccendentur febres.

DISTICHON APHORISTICVM.

Culpa rebellis erit, quam virtus nulla reſoluit;
Quò minùs hæc feruet, longiùs illa furit.

APHORISMVS XXVI. PRIMÆ SECT.

Febrem conuulſioni ſuperuenire meliùs, quàm conuulſionem febri.

EXPOSITIO MEDICA.

SI morbus morbo ſuperueniat, vel poſterior fortior eſt priore, vel debilior; ſi vehementior ſit accedens, vel concordat cum eſſentia, & cauſa antecedentis, vel diſſonat; vel vlteriùs in eandem lęſam functionem conſpirat ſuperueniens, in quam prior intendit, vel in diuerſas: ſi morbus accedens in eandem lęſam coeat functionem cum priore, conueniat cum cauſa, partem eandem prehendat, acutiorque ſit antecedenti morbus ſuperueniens, ſemper in malam prognoſim habendus, vt ſi Phtiſicum peripneumonia, vel alio Thoracico inflammatorio affectu corripi contingat; at ſi morbus morbo ſuperueniens diſcordat cum eſſentia primigenij, vehementior ſit, cauſam nanciſcatur diuerſam, diuerſas occupet partes, & in diuerſas agat functiones, tantò deterior cenſendus, quantò magis effera cauſa fuerit, plures partes, pluresque lęſæ fuerint functiones. Contingit tamen, vt cùm plures inſunt morbi ſępiſſimè diſſoni ſint in eſſentia, & cauſa, & ita oppoſiti, vt per earum contrarietates accedente poſteriori diſcutiatur cauſa prioris, vt in pręſenti aphor. notat Hipp. dum *febrem conuulſioni ſuperuenire* ſatius eſſe fatetur, *quàm conuulſionem febri*, quod tamen non de omni, ſed de eà tantùm (inter duas pręcipuas) conuulſionis cauſa, repletionem ſcilicet, & inanitionem, quæ à crudorum, & frigidorum ſuccorum repletione fit, neruorum cauitates opplente, & annexos muſculos ad originem ſuam trahente; in huiuſmodi enim conuulſione ſi febris ſuperueniat, quę cauſam habeat materiæ conuulſionis aduerſam, per caloris exceſſum diſcuti poterit, & abſumi plenior omnis neruorum infarctus, & frigida, ac craſſa reſoluta materia conuulſiuæ compeſci contractiones; non ita, ſi conuulſio ſuperuenerit febri, quæ cum per caloris augmentum ſemper tendat in corporis exſiccationem, conſentaneum eſt ſtatuere conuulſio-

nem

nem febri ſuperuenientem ab inanitione potiùs fieri, quàm à repletione, ſi febris potiſſimùm adurens fuerit, & acuta, per quam eradicatiua roridæ partium ſubſtantiæ, & humidi primigenij ſequatur abſumptio, licet hæc cauſa rara ſit, ne dicam impoſſibilis; cum tantà fieri nequeat in viuente corpore exſiccatio, vt neruos contrahat in conuulſionem, neceſſeque ſit antequam fiat, decedat æger, quæ ſi quando fiet, lethalis eſt, & irreparabilis; Non tamen exitialis ſemper pronuncianda febribus accedens conuulſio, cum quandoque viſa ſit ſalutaris, ſi breuis nimirum ſit, & criticam aliquam ad muſculos, & neruos tranſmiſſionem comitetur, ob magnum in ſegregandis humoribus naturæ exagitamentum, motumque materiæ neruoſum genus affatim impetentem. Vniuerſim quocunque tempore ante, vel poſt febrem; conuulſio prehenderit plùs, minùſue ominoſa, prout cętera ferent ſymptomatum teſtimonia, & quamuis febris quandoq; viſa ſit curaſſe conuulſionem à plenitudine factam pituitoſa, non idcircò tutum conſilium eſt eam excitare, licet in medica manu non ita libera ſit eam ad nutum inducere, ſi quæ tamen via erit, tutum inquam minimè fuerit prętern aturalem inducere calorem, quo ſemel accenſo tales deliteſcere poſſent in corpore diſpoſitiones, quæ ipſam fouentes ad interitum vſque febrem poterunt producere.

EXPOSITIO MORALIS.

Satius eſt inopiam diuiti ſuperuenire, quàm diuitias inopi.

IN moralibus ille procul dubio conuulſionem patitur, qui contractione neruorum laborat, diues ſcilicet impius, qui ſe totum retrahens à Deo, totus contrahitur in ſeculum, omneſque contrahit neruos, vt terrenis ditetur bonis: hic equidem adunca, & rigida non minùs manu, quàm mente conuulſus aliorum ſolet neruos conuellere, vt omnes in ſuam retrahat vtilitatem, ſuoſque conferat in loculos: Qui febre laborat in moralibus, pręter allatas expoſitiones, ille poteſt aptiſſimè febricitans cenſeri, qui egeſtate velut febre deti-

detinetur, nulla enim febris ex Seneca in moral. inopia deterior. Nunc perpendamus, an ſatiùs ſit febrem conuulſioni ſuperuenire, an conuulſionem febri, an ſcilicet melius ſit inopiam diuiti ſuperuenire, quàm diuitias inopi.

Quicunque diuitijs inhiat humanis eouſque ſe torquet, & conuellit, vt bonis temporalibus ſuos impleat, & roboret ſubſtantiæ neruos, donec ad extremum repletæ domus cauitates conuellantur, & quouſque totum contrahant ad ſe diuitem, ſibimetipſi ſoli ſuadeant operari, ſibi conſulere, & Diuinarum poſthabita diuitiarum copia in omne cogant ſcelus conuulſiuo motu moueri, vt in hoc Mundo ditatus ſingulari inter cęteros emineat exiſtimatione; at miſer ad ſatietatem locupletatus, opulentiæ plenitudine conuulſus, conuulſorum mala videtur ſubire, iram nempe, luxuriam, furorem, ſuperbiam, arrogantiam, omneque ſceleris genus, & inordinatum animę motum, vt Chriſoſt. lib. 1. Quod nemo lęditur his annotat verbis *Diuitiarum ſequela eſt luxuria, ira intemperans, furor iniuſtus, arrogantia, ſuperbia, omniſque irrationabilis motus*. Et reuera ſicut inuoluntario, ac inordinato motu ſemper ſolet pars conuulſa moueri, ita diues iniuſtus, ſi quandoque reſipiſcens, recto, ac connaturali motu mentem velit in Deum dirigere, rerum humanarum copia retractus, & conuulſus neſcit ordinatè conferre, ſed eò ſemper fertur, quò turgidus, & conuulſus inclinat animus, qui cum diſtortus ſit, & obliquus, ad rectam nequit ſemitam collimare, ferrique. Conuulſionis huiuſmodi remedium larga eſt, & generoſa vacuatio, diſperſio nempe ſuperflui facta pauperibus, quam niſi quis ſponte moliatur, molietur Deus per illapſam miſeriæ febrem vt 28. Prouerb. ſpondet his notis *Qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egeſtas ſuperueniet ei*. Inopiæ febris diuiti ſuperueniens vitiosè cumulatum, & tenaciter neruis inhęrens radicitùs adeò conteret, ac reſoluet, vt genuino tandem conciliato erga Deum motu omnis ceſſabit conuulſio, & inordinatus motus ad terrena in propriam, & iuſtam remigrabit inclinationem: vnde conſtat quàm certa ſit vtilitas inopiæ in vitioſo diuite, neque modò paupertatis, quæ terminus eſt iniquæ opulentiæ, ſed & cuiuſlibet afflictionis, & ærumnæ proficua neceſſitas, cum tribulatio diuiti ſuperueniens via ſit ad miſeriam, ſubſtantiarum potiſſimùm magna iactura, nihil enim

cogna-

cognatam opulenti hominis ſuperbiam poteſt funditùs tam facilè euertere, & humiles ad motus reuocare, quàm tribulatio, & anguſtia, nihil ſpiritualem magis confert ad vitam; quàm conuulſi olim ſpiritus directio firma ad cœlos. Qui diues igitur eſt, & nimia conuulſus opulentia, non turbetur, ſi febris quandoque ſuperuenit inopiæ; *Melius enim eſt febrem conuulſioni ſuperuenire, quàm conuulſionem febri*; Melius ſcilicet eſt diuitem febre paupertatis corripi, vt humiliatus per inopiam aquirat, quod conuulſus opulentia per ſuperbiam poterat amittere, quàm per diuitias exaltatus perdere quod per humilem inopiam ſibi poterat comparare: quin immo ſi febris ſponte non ſuperueniat, liceat in hoc caſu ipſam calorifico Charitatis ſtimulo excitare, ſi non integram, & conſumatiſſimam inopiam per diuitiarum egenis erogatas profuſiones, per depoſitam ſaltem ſarcinam, quæ conuellebat ad vitia, iuſtam tantùm cumulare, & ſeruare opulentiam. Qui diues igitur eſt, ſi malè partis conſtat opulentia, & hæc conuellat ad nequitiam, malum; bonum tamen ſi ſuperueniat febris inopię, ſi diſquiſita nempe paupertatis origine te, tuaque crimina inopiæ cauſam comperies, & lęſuram protinus abijcies. Qui pauper eſt, ditari non quęrat, ne inquam per diuitias amittat, quod honeſta conſequi poterat inopia, & ſciat quicunque miſer cumulandarum opum ſtudioſus, dum ſe rebus humanis infarcire curat, vt febri ſuæ lethali ſuperueniat conuulſio, qui vacuas olim boni temporalis neruorum cauitates proſpera nititur implere fortuna, conuellitur quotidie, ſecumque tota retrahitur animi tranquillitas, tota conuellitur vitæ ſecuritas, tota ferè cœleſtis euaneſcit ſpes gratiæ, & ad innumera mala quęritur occaſio. Quantis autem ſint implicitæ malis iniuſtæ diuitiæ, breuibus hiſce notis oſtendit Boet. lib. 3. de Philoſoph. conſolid. proſap. 8. ſic *Quid enim, pecuniamne congregare conaberis? ſed eripies habenti: Dignitatibus fulgere velis? ſed donanti ſupplicabis, & qui præire cæteros honore cupis, poſcenti humilitate vileſces: Potentiam ne deſideras? ſubiectorum inſidijs obnoxius periculis ſubiaces: Gloriam petis? ſed per aſpera quæque diſtractus ſecurus eſſe deſijſti: Voluptuariam vitam degas? ſed quis non ſpernat, atque abijciat viliſsimæ, fragiliſsimæque rei corporeæ ſeruitutem*: Eſto, diuitijs plenus intumeſcas, caue ne te rumpant; omnis enim plenitudo (vt 2. dictũ primæ ſectionis in commento) minatur interitum; mortem multis

attulit

attulit opulentia, omnibus turbauit requiem. Ad extremum dones mus, diuitias habeas immenſas, vide ne habearis ab illis, ne diuitiæ tuæ ſint, ſed tu illarum, neque illæ tibi ſeruiant, ſed tu ipſis: quod ſi dicas, diuitijs affluo, quibus ſors omnis aduerſa deluditur, quantùm, reſpondeo, quantùm mallem te virtutibus abundare, quas ſors nulla conuellit: ſi demùm concludas in diuitijs cor tuum requieſcere, reſpondeo cum Bern. *Conſopiti eſtis in vepribus miſeri, grauis ſopor, qui non ſentit aculeos, venit ecce, quæ vox excitet, & exponat luce clarius id, quod Sacræ proferunt Paginæ. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.* Fateor equidem cum Leone Papa in ſerm. non minùs inſidias in diuitijs, quàm in paupertate latere, vt ille ſic habet *Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine; inſidiæ in paupertatis anguſtijs, illæ eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam, tractat ſanitas, tentat infirmitas, & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ; laqueus eſt in ſecuritate, laqueus in timore, nec intereſt vtrùm animus, qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur, an curis, cum par morbus ſit, vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſollicitudine laborare:* hęc ille. Ex quibus conſtat vtramque, inopiam ſcilicet, & diuitias ſua ſequi diſcrimina, patentiora tamen, & ad damnationem procliuiora inopi ſuperſtare diuitijs exaltato, quàm diuiti per miſeriam humiliato: vnde conſtans manet Hipp. morale commentum, & ſententia, ſatius eſſe febrem inopiæ diuiti, quàm pauperi diuitiarum ſpaſmum ſuperuenire.

DISTICHON APHORISTICVM.

Si tibi ſors ridens æraria repleat auro,
Quid? melius pro te, ſi rapit omne furens.

APHO-

APHORISMVS XXVII. SECVNDÆ SECT.

His, quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere, neque multùm formidare mala, quæ præter rationem eueniunt; plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multùm durare, & perſiſtere conſueuerunt.

EXPOSITIO MEDICA.

CVm grauia ſępius, & inſperata ſuperueniant in morbis accidentia, quæ demiſſioris animi Medicos terrere aliquando ſolent, vbi generoſioribus nullum facerent negotium; & è contra non rarò leuamina quædam contingant, quę cordatos etiam Medicos deludere poſſunt, Medica idcircò facultas non modò ſcientificos, & ſenſatos ſuos exigit aſſeclas, ſed prudentes, ac animo conſtantes expetit Profeſſores, qui ſcilicet neque nimis confidant, neque pauidi deſperent: vnde non immeritò Hipp. vtriſque conſulens in præſenti, minimè fidendum ſcribit his, qui præter rationem leuantur, neque ſi quid grauiùs in morbis contingat ſtatim metuendum; inopinatum enim leuamen ſpem ſępe minuit de morbi victoria, quum præter rationem ſuperuenit, nullis ſcilicet præuijs apparentis leuaminis indicijs, nullis confirmato vacuationibus leuamento, ſed pacatiori facto præter rationem morbo minimè fidendum pręcipit Hipp. cum falſa ſit, & fallax apparens omnis morbi manſuetudo, quæ teſtes non exhibet interni, & fidi leuaminis characteres per aliquam vacuationem morbo, parti affectę, & indigentię conſentaneam: vnde leuamina vniuerſa, quæ morbis accidunt, ab cuicta, vel imminuta ſaltem ſenſibiliter, vel inſenſibiliter cauſa morbi debet prudens Medicus perpendere, quæ ſi non appareant, nulla cuicunque ſuperuenienti alleuationi præſtanda fides; etenim ſi natura cum irrationali leuamento vegeta eſt, poterit quidem ſuperare morbum,

at non integrè, neque ſine recidiuæ metu; ſi debilis, & infirma, non item, ſed præcipitem minatur eius euentum; cùm præcipuè proſtrata adeò eſt, vt à materiæ motu ceſſans ceſſet conflictus, quo non inito omnis ceſſat ſpes ſalutis, & victoriæ: confirmato v. g. affectu capitis inflammatorio, hocque in ſuppuratum definente, cùm iam deferbuere ſpiritus, & humores, capitis dolor, & delirium remitti videntur, ægerque meliuſculè ſe habere, & tamen ſub hoc falſo leuamine ad interitum properat: vnde fidendum non eſt, repetam, his, qui ſignis omnino infidis comitati leuantur, vt inquit doctiſſimus Duretus Hipp. auctoritate fretus in coacis, vbi ſic habet *Quum in ſignis prauis leuiùs habent, quique in bonis non agunt meliùs, non fidendum*. Signis igitur totus intendendus eſt animus, & quouſq; ſingulis adhibenda Fides, ex omnium concurſu, & ſindrome dijudicandum, neque ſignorum numerus; ſed eorum vis, & in iudicando præſtantia perpendenda, cum multa bona ſigna ab vnius poſſint malitia vinci, & multa praua ab vno bono ſuperari: vnde prauis etiam ſuperuenientibus ſignis terreri protinus non oportet, inquit Hipp. ſi preter rationem, & ægritudinis ordinem eueniant; cum enim incerta ſint, & inſtabilia; diù nequeunt perſiſtere, niſi noui ſuperuenientis morbi ſigna ſint pathognonomica, tunc enim longioris eſſent durationis, per quam ab inſtabilibus ſignis in hoc aphoriſmo deſcriptis diſtinguerentur: quantum verò debeant timoris incutere, ex ſingulorum dignitate dimetiendum; ſi diem criticum præuia præcedant accidentia, & inopinatæ contingant perturbationes, quæ improuiſo videantur ægrotantem proſtraturæ, non ob id metuendum, niſi perturbatio nullo preeunte coctionis indice præſignato non proferatur die, hæc enim breui pariter ſolet per erumpentem aliquam excretionem, aut metaſtaſim terminari in melius, ſi bona futura criſis; in deteriùs, vel in exitium; ſi contra.

EX-

EXPOSITIO MORALIS.

Non eſſe cuilibet peccatoris pœnitentiæ fidendum, neque omne, quod ſuperuenit, malum metuendum.

SI quis peccati morbo diù grauatus repentinos proferat conuerſionis characteres, ac præter conſuetudinem ea moliatur, quę ſapiunt pęnitentiam, & ſpectant ad conuerſionem, non eſt ſubito fidendum peccatoris leuamini inquit Hippoc. nam cum falſa dari poſſit morbi declinatio, non omnibus ſcilicet conſtans verę declinationis notis, ſic & falſum poteſt in peccatore dari culparum leuamen non omnibus ſtipatum verę conuerſionis ſignis. Quapropter antequam certum proferatur de integra vitæ mutatione iudicium, diſquirendum, an ea, quæ Religiosè exercentur ſanctis reuera geſtis confirmentur; videndumque an ſecundùm rationem ſint, an præter eam contingant; & exactiſſimè ad opera ipſa bona attendendum, cum nonnulla ſępius edantur; quæ prima fronte pietatem redolent; cum tamen intus hypocriſis iniquitatem foueant, & contegant, ad quam maximè proſpiciendum præcipit Saluator per Luc. 1. his verbis *Attendite à fermento Phariſæorum*, *in quo eſt hypocriſis*; cuius nequitiam minatur per Matth. 23. hiſce notis *Veh vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic vos quidem foris apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.* Cor duplex, duplex facies, bilinguis hypocritę ſermo, & ſimulata bonitas cauſæ potiſſimæ ſunt; cur his, qui peccati morbo leuantur, non ſtatim fidendum, cum multis hæc leuamenta præter rationem contingant, ob ſubuerſam ſcilicet ab hypocriſis vitio rationis ſtateram; enim verò, quænam maior proteruię ſpecies, quàm ſub fucata bonitate latentem ſeruare malitiam; ſub nitida facie mentem fouere ſordidam, lupinum animum ouilla ſub pelle; ſub ſtricta veſte, & lacera latam cooperire conſcientiam? hi ſunt, qui delirantes, præter rationem ſcilicet in Deum leuari videntur, quibus neutiquam fidendum, & quemadmodum materialibus in morbis fidendum non eſt leuami-

 ni,

ni, quod ſine manifeſtâ aliquâ vacuatione cauſæ contingit, ſic neque culparum intermiſſionibus, & Peccatorum apparenti omni non eſt fidendum pœnitentiæ, ſi priùs non præceſſerit aliqua eorum criminum euacuatio, in quæ propenſior eſt peccatoris genius: Si diuité ſordidũ conſpicies, nullis dudum ſacris verſatum in operibus, mox orationibus, eleemoſynis, & pijs alijs operibus addictũ, fidendũ nõ erit, niſi bonorũ malè acquiſitorũ integra pręceſſerit euacuatio, & ab illicitis lucris præceſſerit abſtinentia; cum præter rationem leuamen hoc fit, & quamuis pia quælibet alia bona opera diſpoſitiua ſint ad gratiam; hanc tamen conſequi minimè poterit, niſi radicitùs euellatur ea culpę ſpecies; quæ maius facit negotium, & impedit gratiæ acceſſum; niſi enim ſordido Auaro lucrum vacuetur illicitum; Laſciuo pereat obiectum concupiſcentię, Iracundo deferueat vlciſcendi animus; Guloſo immodica refrenetur ingluuies; Superbo detumeat mentis inflatio, & quælibet pro genio conſueta cuicunque vacuentur vitia, repetam tertiò, etiamſi reliquis proficiant in virtutibus, & leuari videantur, fidendum tamen non erit; doloſa enim aliarum virtutum cenſetur ſindromes, vbi radicale ſcelus ſingularum corrumpit meritum, quod aliàs cumulatiſſimam adſciſceret gratiam: & hoc ipſum innuere videtur Hipp. dum aſſerit, *horum omnium multa ſunt incerta, & diù nequeunt perſiſtere*, ficta ſcilicet Peccatorum leuamina, quòd inſtabilia, & breuia firmo non hæreant pęnitendi propoſito; ſed citiùs intermiſſis, vel omiſſis omnibus iam cęptis virtutum exercitijs, in priſtinam remeant viuendi conſuetudinem, qua radicatum vitium magis efferum eouſque inualeſcit, donec in habituale firmatum, olim dubiam, ferè certam faciant deinceps animę perditionem.

Secundam diluamus aphoriſmi partem. Subdit Hipp. *nec turbaui, ſi quid temerè grauius acciderit in morbis, & formidanda mala non ſunt, quæ præter ratione euenient*: Præter rationem mala contingunt, & aduerſa peccatoribus eueniunt, vt inquit Pſalmiſta. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus*, cùm improuiſa, & inopinata proteruis contingunt mala, non protinus formidanda; etenim ſi non ſecundùm peccatoris rationem, quę nec ęrumnis gaudet aquieſcere, nec rerum aduerſarum vtilitatem noſcere, contingunt, iuxta tamen illius mentem eueniunt, qui cuncta, & vniuerſa facit ſecun-

dùm

dùm rationem, cum nihil Deus ſine ratione moliatur, ſi quando flagella vibrat, & mittit anguſtias. Scias peccator hæc omnia eſſe quidem preter rationem, & expectationem tuam; at ſi funditus inſpicias, inuenies vniuerſa, quæ te circumdant mala ſecundùm Diuinam rationem, tuamq; vtilitatem ſuccedere, & noſces ea ſæpius, & ſemper ad tuam conferre ſalutē, non minùs, quā mala, & dira ſymptomata ſalutarem præcedentia, & indicantia criſim; ſi mala quandoque tibi non acciderent, de malo corrigendo cura, menſque nulla adhiberetur. Ne formides igitur, ſi mala contingant; inſtabilia enim diù non erunt duratura, ſi tuis ſtatuens condigna flagitijs, tibi adaptabis, & equo perferes animo. At ſi quærulus, cùm tribulatione vexatus ſuperuenientium malorum cauſam rimari renues in te ipſo, non modò inſtabilia non erunt, ſed eouſque protrahentur, quouſque magis diſſitam tibi ſtatues peccandi metam. Si vis igitur nulla formidare mala, mala corrige celeriter, tunc enim mala citiùs deſinent, quò promptior erit vitę correctio, qua fideliter emendata Deo adhęrens; quęcunque acciderint mala non metues cum Pſalmiſta *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*: Hoc pręſente ſubſidio, quęcunque veniant, & irruant, formidanda mala non ſunt. Diuina comitante gratia tot atrocia non formidarunt mala Martyres; tot barbaras non timuerunt perſecutiones, contumelias, ſupplicia, & mortem, quantumuis omnes reuera noſcerent vniuerſa hæc mala humanam pręter rationem contigiſſe. Nemo igitur cum ſuperuenientia ſibi viderit mala in malis habeat, non horreat, neque turbetur, ſed hilari fronte ęquanimiter ferat quidquid grauius acciderit: non erit diuturna duratio mali, quod bona perfert conſcientia; Dominus enim ab omni liberabit malo, quem peſſimum per malum commutauerit in optimum, incredulum in fidelem, perditum in electum.

DISTICHON APHORISTICVM.

Spem timor imminuat, minuat ſpes æqua timorem,
Nec mala formides, quæ bona multa ferunt.

APHORISMVS XXVIII. SECVNDÆ SECT.

Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plùs, quàm ratio poſtulat, colliqueſcere, malum; hoc enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem ſignificat.

EXPOSITIO MEDICA.

QVid nulla, quid nimia portendat, & indicet macies in febribus, oſtendit Hipp. in præſenti, aſſerens nimiam, quàm febris indoli, & tempori conueniat colliquationem ſummam notare virium imbecillitatem, & è contra nihil per febres non leues extenuari, corpuſque in ſua molis plenitudine integrum ſeruari febris ſignare diuturnitatem. Repentina, & ſumma colliquatio in febribus certam ſemper exprimit inſiti roboris infirmitatem, vel ab intrinſeco natam, ita vt leuiſſima etiam febre ob ſpiritum, & caloris inopiam nutritiua fatiſcens facultas, plùs, quàm par ſit, corporis molem ſinat abſumi, aut ab extrinſeco ab adurente nimiùm calore corpus vniuerſum repentè colliqueſcit, vel à virulenta, & maligna qualitate, quæ breui ſumma peruadens, vniuerſam exhaurit corporis ſubſtantiam, & ſolidam, ac carnoſam continenter depopulatur molem; hæc enim quò promptiùs abſumitur, & quò citiùs colliqueſcit æger, eò maligniorem morbum, vireſque infirmiores oſtendit à vehementia cauſæ proſtratas. Ex aduerſo, ſi quis non leuiter febricitans, pro febris eſſentiæ, temporis, & ſymptomatum ratione non extenuetur, ſed ſibi conſtet, & nihil de mole, charactere, & actione prorſus amittat, certam minatur morbi diuturnitatem, non febris modò, ſed & aliorum ad proportionem morborum; ſi quis enim doloribus, vel repentinis alijs conflictatus ſymptomatis, quorum vis breui ſoleat, & debeat immutare corporis molem, & vires proſternere, integras tamen has omnes ſeruet, vel non pro iure tales, viuidumque colorem, ſi nulla appareat extenuatio, morbi, vel ſymptomatis ſęuitiei reſpondens, certè contumax

erit

erit affectio, nec citò definet, cum fixam denotet cauſam; non ſe-cus ac febres, in quibus integer, & illęſus pręter rationem ſeruatur corporis habitus; color, & actus impar; etenim febrilis calor ad cauſæ materialis diſcuſſionem ſignificatur, nec ſupra cauſam mor-bificam eſſe, propter huius copiam, craſſitiem, & ſitus profundita-tem, in quæ omnia, cum lentè febrilis agat calor, & minùs diſſipet, minùs etiam diſſipatur natiui caloris ſubſtantia; vnde moles ſubſi-ſtens, & genuina diù permanens characteris imago; hæc enim quantò plùs repentè in diuerſam alteratur, & propior eſt morborum principijs eiuſdem euerſio, minùſque morbo conſentanea, deterio-ris ſemper indolis, minùſque duraturum pręſignat affectum; quò verò ſibi conſtans magis eſt corporis moles, & ægriùs abſumitur, ac tardiùs, eò longiorem, & contumaciorem pręſagiet morbum.

EXPOSITIO MORALIS.

In peccati ſtatu permanere, malum; mala quoque vires proſternens pœnitentia.

QVicunque vario criminum apparatu non leuiter febricitantes peccatores in peccatis perſiſtunt, neque pro delictorum ra-tione debito dolore tabeſcentes in mole, charactere, & figura ſe tales exhibent, ac ſi nulla peccati febre flagrarent, incorrectæ ſanè priùs vitæ, mox malæ mortis longitudinem portendunt: quamobrē cum reuera peccatores videris omnigena peccatorum minera fe-bricitantes; qui nec in mole diuitiarum, ſi qua conſtant, extenuen-tur, nec in charactere iniquitatis minuantur, neque criminum mu-tent actiones, ſed continuata proſperitate turgentes, geſtientes, hi-lari vultu, viuido colore iucundos, geſtus edere conſpicies ridicu-los, in peccato iocari, & in rebus peſſimis gloriari; repetam, mor-bus hic duplicem ſpondet diuturnitatem, temporalem vnam, quæ vix releuato peccatore ad interitum vſque comitabitur cum culpa, & ſempiternam alteram, in qua miſer incidet febricitans, ſi nihil in hoc Mundo curet extenuari pœnitentia; & eodem met ordine pro-trahetur peccati contumax infirmitas, ac febris, in qua corpus ncu-

tiquam

tiquam pro ratione emaciari conſpicitur; ſicut enim febris hæc eò longiùs perdurat, quò minùs Corpus abſumitur, ita quidem peccator longiùs ſerpet in peccandi conſuetudine, quò totum iniquitatis corpus minùs tardè abſumetur per conuerſionem, & quemadmodum ideò febris producitur, quòd cauſa peruicax ſit, & febris illam non valeat diſcutere, ſic neque peccator diſſoluet peccati materiam, quòd ad diſcutiendos culparum apparatus calore Charitatis deſtituitur: vnde febre, & ægritudine peccati minùs excogitata, diſcuſſo minùs diſcrimine, minùs etiam per pęnitentiam excutere poterit culpæ pertinaciam, quam in ſuo ſtatu fixam permanere non minùs eſt animæ calamitoſum, quàm ſit corpori in eodem ſtatu, & tenore perſeuerans ægritudo.

Peccator quicunque contumax es, & lętabundus permanes in nequitia, ſi nulla motus ſynderesi, nulla contritione colliqueſcis, longam fore ſcias ægritudinem tuam, in hoc primùm ſęculo per habituale peccatum, in futuro tandem per interminabile ſupplicium; hoc diſcute medullitùs, hoc repete ſeriò, ſi non horres inde, neque pęnitentia emaciaris, ſpes tibi nulla ferè ſupereſt ſalutis; diuturna etenim peccati febre confectus, miſerrimè dies claudes tuos, & tunc dentibus tuis fremes, & tabeſces, cùm tabeſcere nihil ampliùs proficiet; at ſi culpæ finem funditùs reuoluens, cum Pſalmiſta tabeſcere te faciens zelus tuus, contriſtari cęperis, & terreri, mutatam breuiter ſpondeo peccatorum molem in meritorum cumulum, perditionis characterem in ſalutis notam, ſęculares actiones in ſpiritualia molimina. Diſcas igitur peccator pęnitentia colliqueſcere, antequam te tabes extrema conficiat; diſce tamen, & extenuationem moderari, ne pergat vltro virium metas, plurimùm enim tabeſcere, malum, inquit Hipp. ſi enim culpa febricitans ieiunijs, vigilijs, vel alia ſtudeas maceratione violenta curare, & eneruare naturam, malum; per collapſum enim naturæ robur fructus tollitur perſeuerantiæ; ſat bene te ipſum macerabis ieiunio, ſi pęnitens tibi amarum ſapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita; ſat rigidè contabeſces, ſi quod priùs oblectabat in corpore, hoc ipſum te cruciet in corde; ſat abundè colliqueſces, ſi quod alieno fuit ære congeſtum, pia fuerit dextera reſtitutum; ſat bene tandem te ipſum conteres, ſi ad extremam vſque maciem prauos tenuabis

affectus;

affectus ; ſalutaris namque Deo grata extenuatio illa procul dubio, qua quęlibet abſumitur criminis occaſio. Vires igitur vltra modum ne torqueas non corporis modò, verùm etiam & animi, illud immanibus deſtruens caſtigationibus, hunc futilibus abſumens ſcrupulis; ſunt enim, qui continuò anxijs animum diuexant dubijs, & leuiſſimas culpas pro maximis habentes mille voluntarijs agitantur ambagibus, ſcrupulis, & anxietatibus miſerè contabeſcentes ærumnoſam ducunt vitam; fęminæ potiſſimùm quędam melancholicæ, quæ ſcrupulorum receptacula ſunt, & Religioſorum tormenta Directorum, quos liceat monitos habere, vt cùm ſcrupuloſos audiunt pęnitentes, & tot leuia recitari ſentiunt dubia, ne vlterioribus anxietatibus exagitentur illi, & ipſi quandoque queant quieſcere blandè de dubijs, & ſcrupulis, ipſos amoueant, exhilarent deſperabundos, & planum reddant, quod pręter rationem aſperum ab ipſis putabatur. Hoc itaque linimento tot animi turbamenta compeſcentes in veram ſalutis metam dirigentur, qui priùs per dubia ad ſcrupulos velut ad ſcopulos allidentes in deſperationis oceanum poterant demergi. Tu verò, qui dubius es, & varios inter ſcrupulos iactaris, Confeſſarij tui conſilijs aquieſcas; ſi enim tumidos inter fluctus, animę tuę puppis conſilia renuit, & magiſtro deſtituta concutitur, naufragio proxima eſt, niſi tu illam, dum nondum clauus è manibus excidit, tuto aliquo, & ſalutari ſiſtas in portu, iactaque anchora tuo conquieſcas Confeſſario, priuſquàm ſcrupulorum tempeſtas oppreſſerit.

DISTICHON APHORISTICVM.

Aut nihil, aut nimiùm pro culpa frangere vires,
Quidquid ages, damnum pendet vtrinque tibi.

APHORISMVS XXIX. SECVNDÆ SECT.

Morbis quibuslibet incipientibus ſi quid mouendum videtur, moue; cùm verò conſiſtunt, meliùs eſt quietem habere.

EXPOSITIO MEDICA.

QVanti momenti ſit temporis opportunitas in medendo, preter quotidianas praxis obſeruationes ex hoc colli-ge lector, quòd ſedulus Hipp. iterata commendatione paſſim premoneat, & repetat non ſemel attendendam eſſe agendorum occaſionem; hanc primo ſtatim in aphor. genericè fluxilem dixit, vt fugacem diſcamus arripere: hinc ſpeciatim die-tetica tradens precepta, plures pro exacta cibandi opportunitate expoſuit aphoriſmos, mox ad cetera medica deſcendens preſidia; inſpiciendam in vniuerſis, nec pretereundam conſulit agendorum anſam, vt congruo arrepta tempore regulares ex voto ſuccedant curationes, quod preſenti potiſſimùm in aphor. commendare vide-tur Hipp. dum ait *Cùm morbi incipiunt, ſi quid mouendum videtur, moue; cùm vero conſiſtunt, meliùs eſt quietem habere*. Auxiliares iubet adhi-bendas eſſe manus in morborum principijs; at cùm varias hec pa-tiantur latitudines, longas, vel breues, prout vniuerſalis morbi idea longioris, aut breuioris erit durationis, ſoleantque ſemper ſingula morbi tempora ſibi inuicem proportione reſpondere; ſi morbus acutus erit, & breuioris motus, breue quoque erit principium, & tunc acceleranda preſidia, quecunque mouenda videbuntur, ante-quam natura agere incipiat in morbum; agitando eius cauſam ma-terialem; ſic enim primis diebus ſi quid mouendum videbitur, erit moliendum vel per phlebotomiam, ſi plethorica ſubſit, & leſura ſit diſpoſitio, vel per purgationem, ſi incommoda fluctuet cacochima minera, & tantò citiùs erit agendum, quantò morbus rapidioris vi-debitur motus, materia orgaſmo aliquo concitari, & res in ancipiti, vel precipiti verſari: ſi verò morbum regulariter moueri conſpicies daturum inducias, & ſpes ſit naturam fore victricem, ea tantùm va-

cuan-

cuando ſufficiet in principijs impedimenta ſubtrahere, quæ expe-ctatam remorari, vel interturbare poſſent humorum coctionem, quæ cum in morborum incrementis fieri incipiat occultè, & abſol-uatur in ſtatu, ac prope declinationis initium manifeſtè, in ſtatu quieſcendum ratio conſulit, & Hipp. ne naturæ opera prępediamus, & vires morbo, & prędidijs iam fatigatæ vlteriùs lancinentur. Si verò longior, & minùs acuta fuerit ægritudo, latius erit principium, neque ita fugax agendi occaſio, & tunc otio, maiorique commodo medica dirigentur prędidia. Principium verò eo definiendum tem-pore, quo natura à cauſis morbificis adhuc opprimitur, & cruda ſunt omnia, quo tempore non eradicatiua, ſed minoratiua conueniunt auxilia, cum Hipp. per verbum lij *Videtur* Medico committat cu-ranti, vt exactè perpendat, & ſpectet ſedulò, quid, quantùm, quo-modo, quouſque in principijs agendum, quòd morbis in quibuſdam multa, in alijs modica, in pleriſque nulla competant in principijs prędidia; in ſtatu verò genericè loquendo in acutis potiſſimùm quieſcendum, ne facultas naturalis vltro torqueatur, & præ calore febris, & pharmaci (ſi quod eo tempore propinari contingat) exa-gitata fatiſcat.

EXPOSITIO MORALIS.

Quàm metuenda ſint culparum initia, ex quibus ſæpiſſimè peſſimi fines.

C*Vlpis quibuslibet incipientibus, ſi quid mouendum videtur, moue*, & in principio antequam pronus ad malum genius iniquo magis delectetur obiecto, hoc altiùs hęreat animæ, & in habituale tan-dem migret peccatum, quod veluti conſiſtens eſt animæ morbus, in quo cum quis conſtiterit, firmatuſque fuerit in eo peccator, me-liùs eſt quietem habere, niſus ſcilicet, & conatus omnes externos requieſcere, humana reticeri conſilia, authoramenta, & hortatio-nes feriari, cum pertinax, & habitualis peccator nulla poſſit huma-na manu de mala via reuocari, validiorique ſit opus prędidio, cœle-ſti nempe Dextera, & prędentia, vt confirmatus in nequitia poſſit in

ſalutis ſemitam reduci. Euangelica non deſunt teſtimonia, quæ Diuina ſine pręſentia, gratiaque peculiari difficilem teſtatur habitualis peccatoris conuerſionem.

Lazarus quatriduanus, qui paſſim Sacris à Scriptoribus pro habitualis peccatoris figura pręſentatur, quamuis potuiſſet abſente Domino ad vitam reuocari, vt alijs Dominus ipſe conceſſerat, legimus tamen ipſummet Saluatorem ad Caſtellum pergere voluiſſe, ſuaque non ſolùm fulcitaſſe pręſentia, ſed antequam prodigium fieret ingemuiſſe, oraſſe, lachrymatum fuiſſe, & voce magna clamaſſe *Lazare veni foras*, peccator ſcilicet habitualis reſipiſce, & de pertinacię tumulo egredere.

Sordida conſiſtens in auaritia, publicuſque fęnerator declamatus Zachęus humana nulla potuiſſet hortatione de prauis contractibus ad eleemoſynas, dimidijque bonorum ſuorum pauperibus donationem faciendam reuocari, niſi bonus Ieſus ad ipſum diuertiſſet, annuiſſetque puſillo de ſycomoro ſe tranſeuntem intuenti vt feſtinans deſcenderet, quia oportebat ſe ipſum in domo ſua manere. Manſio quidem myſterijs cumulatiſſima, quæ cęteris omiſſis hoc vnum abundè ſignat, habituale ſcilicet peccatum non poſſe ſine ſpeciali Dei pręſentia à rebelli peccatore dimitti: *Oportet*, inquit Saluator, *me in domo tua manere*, vt neceſſitatem Dominicæ viſitationis oſtenderet, vbi de habitualis peccatoris conuerſione conſulitur.

Paulus inſuper totus minas, & cędes ſpirans, in Eccleſiam Dei ira furens, & in naſcentis Fidei excidium conſiſtens hoſtis, niſi à Deo proſtratus, obcęcatus, & iuſſus ne in Chriſtiani nominis odium vlteriori pergeret inuidia, non vtique potuiſſet in veræ Fidei agnitionem illuſtrari, Chriſti nomen olim exoſum in vniuerſum orbem portare, propagare, ac pro eius dignitate ſuſtinenda tanta pati, vt Vas electionis factus cœleſtes adhuc viator meruerit comprehenſorum delicias delibare.

Neque modò in Mundo conuerſantis Saluatoris potentia opus fuit, & pręſentia, vt rebelles flecteret peccatores, ſed & de Cœlis ad debellandam peccatoris proteruiam, ad pręuendam Iuſtorum conſtantiam non ſemel ſuſcepta mortalitatis figura deſcendiſſe compertum, & qui ſacras euoluerit Sanctorum hiſtorias, pluries id contigiſſe reperiet.

S. Eu-

S. Euſtachius peccator in nequitia conſiſtens dum feras inſecta-retur, & homines, non vtique de belluarum venationibus ad Cœli venatum diuertiſſet, niſi Saluator illi venanti inter cerui cornua crucifixus apparuiſſet, qua motus inſpectione idolorum cultu dete-ſtato animam didicit ad Deum totam mouere, quam priùs depra-uatis tradiderat in ſenſibus illaqueandam.

Sancta Roſalia dum ſtudiosè ſpeculum conſulebat, vt neos ab-ſtergeret faciei, concinnaretque ſuum in omnem vanitatis, regu-lam capillitium, quem per ſpeculum nos videmus in enigmate, re-uelatum vidit Chriſtum in cryſtallo: apparuit illi Saluator, exhi-buitque fęminæ leuioris obtutui caput ſpinea confoſſum corona, madentes ſanguine crines, faciem ſquallidam, & afflictam, cuius ad aſpectum omni depoſita pompæ leuitate, poſthabito Mundo, cui mira voluptate placere ſtuduerat, totum Deo ſacrauit amorem, illi placere ſtuduit Sponſa Chriſti facta, quæ ſęculares affectabat nuptias. Sed quid vlteriùs rem luce meridiana clariorem probare conor exemplis? notum adeo eſt habitualem, confirmatamque ne-quitiam, vt funditus extirpetur, plenam petere Dei Omnipoten-tiam, vt Eccleſia ipſa per Sacerdotem in ipſo Miſſæ introitu ſat apertè declaret in *Confiteor*; hoc enim dum recitat, confitetur pec-cator Deo Omnipotenti, quęro cur *Deo* ſubdit Eccleſia *Omnipotenti?* non ne ſat erat dixiſſe Deo, cum notum ſit Omnipotentiam ſoli Deo competere, & inſeparabile eſſe Diuinitatis attributum? ad quid ad-didit *Omnipotenti*? niſi vt oſtenderet, dum peccator confitetur, Diui-na opus eſſe Omnipotentia vt abſoluatur à peccatis; quod eadem confirmat Eccleſia in oratione Dominicæ 10. poſt Pentecoſtem *Deus, qui Omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Vide peccator habitualis quàm difficilis, operoſa, & ardua ſit tua conuerſio, pro cuius triumpho Diuina opus Omnipotentia. Stude igitur culpis quibuſlibet incipientibus, ſi quid mouendum videtur, protinus mouere, prauos ſcilicet affectus in exortu ſuo ſuffocare, ne grandiores euadant, & interficiant, nequiores excutere cogita-tiones, ne ſuccreſcentes ſubuertant potentiam, tentationibus acri-ter obſiſtere, ne fortè neglectæ creſcant in animæ perniciem, ſi quid mouendum, moue in principio, amoue ſcilicet, elimina, vacua, & protinus culpas iugula naſcentes, ne fluminum more, quæ ex par-

Mm 2 uis

uis fontibus orta innauigabiles ferè creſcunt in alueos, enormes au-geantur in dolos, ſciaſque paruam febriculam in magnum quandoque feruorem exardeſcere ſi negligitur, quique per initia leui poterat remedio extingui, nullo poſtea vigentem compeſci, ex parua enim ſcintilla magnum excitatur incendium. Arius in Alexandria parua fuit ſcintilla, ſed quia non protinus extincta magnam orbis partem deplorabili hereſis incendio combuſſit. Parua fuit & ſcintilla Lutherus in Germania, quæ facilè poterat initio ſuffocari, ſed neglecta tantum, tamque lachrymabile protulit incendium. Exiguus lapis ingentem altiſſimæ ſtatuæ intulit ruinam. Dauid ex ſimplici intuitu in Berſabeam balneantem duplici perijt flamma: dum paruus eſt hoſtis interficé: ne nequitiæ zizania creſcat, elidatur in ſemine; nam ex Hieron. *Paruus error in principio magnus fit in fine*; Licet enim paruum ſit initio malum, facit tamen audacem ad maius patrandum. Principijs igitur obſta, & audi quid tibi ſeruandum ex D. Cypriano, qui hęc habet, & ita alloquitur. *Quia ergo paſsiones per eſcæ ſuauitatem adhamant animum pungunt, mordent, transfigunt, veneno inficiunt, atque conficiunt, quamprimum mora omni abrupta eas tolle, confice ò homo, colubrumque non foue, dum in ſerpentem formetur.* At proh dolor! culpis quibuslibet incipientibus nihil moueri video, praui inchoent affectus, rebellare incipiant paſſiones, adoriantur, & ſęuiant tentationes, nihil mouendum videtur, finit quiſque, quò vergunt, prauos progredi affectus; vix quiſque furentes ſtudet ſiſtere paſſiones, nihil Satanæ reſiſtere, nihil prorſus incipientibus animæ morbis ad ſalutem moliri.

DISTICHON APHORISTICVM.

Ne te conficiat, naſcentem confice culpam:
Ægrius eÿcies, ſi ſobolere ſines.

APHORISMVS XXX. SECVNDÆ SECT.

Circa principia, & fines omnia leuiora: cùm verò conſiſtunt, fortiora.

EXPOSITIO MEDICA.

IN morbis, ſi quid expedit moliri, cur circa principia mouendum, in ſtatu verò quieſcendum oſtendit Hipp. in præſenti inquiens, *Circa principia, & fines omnia leuiora: cùm verò conſiſtunt, fortiora*, qua ſententia prçcipere videtur Auctor ea eſſe remedijs, & curationibus aptanda tempora, in quibus æger minùs conflictatur à morbo, quæ quidem principia ſtatuit, & fines, cùm tunc temporis remiſſiora ſe ſe offerunt omnia, in ſtatu verò meliùs eſſe quietem habere, quòd tunc fortiora pariter ſint omnia, morbus ſcilicet, & accidentia ſæuiant immaniùs. Cur autem circa initia leuiora ſint omnia, nondum motæ tribuitur humorum cruditati, in quam calor, & natura non valde adhuc agunt, quòd nondum fortaſſe aucta putredo ipſam acriter non feriat, neque naturam cogat minùs irritatam colluctationem aggredi cum morbo; ob id circa initia, cùm potiùs à materiæ morbificæ copia opprimatur, quàm motu, & concitatione proritetur, nullaq; nondum inchoata ſit humorùm digeſtio, vireſque nondum vi, vel duratione morbi exhauſtæ, leuiora ſunt omnia, & tunc ſi quid mouendum videbitur, ad grauiora tempora minimè protrahendum. Circa finem cur etiam leuiora ſunt omnia, ſat dicit naturæ victoria, quæ ſi per omnimodam criſim, & morbificæ materiæ excretionem perfecta fuerit, nihil mouendum ſupererit; at ſi deficiens, & ab imperfecta molitione quidquam reliquum fuerit, vel nulla prorſus tentata vacuatio, licèt ſubacta fuerit materia, hanc circa finem congrua præmiſſa præparatione, ſi quæ neceſſaria videbitur in vijs, aut humoris indole, vacuare conueniet, ex quo conſtat, cum circa principia, & fines omnia imbecilliora ſint, medica tunc temporis tutiùs poſſe miniſtrari præſidia: in ſtatu verò ideo quieſcendum, quòd natura maximè à morbi vehementia exagitetur, eſſe-

raque magis ſymptomata vires proſternant, licet noſtris tempori-bus non ita ſęua ſpectentur ſymptomata, quòd perquàm rarò veræ contingant criſes, quas de more tantæ præire, concomitarique ſo-lent turbationes, cum morbi vis maxima tota non committatur naturæ gubernio, vt mos erat non rarò temporibus Hippocratis, in quibus ideo tot viſę, tot paſſim in Epidemijs ſcriptæ criſes, quòd plurimi ęgrotantium ſine vllo vel leuiſſimo artis præſidio naturæ ſoliùs opera ducebantur, & materia, quam nos minuere nitimur in principijs, tota dudum nulla, vel exigua præmiſſa vacuatione in extremam ſeruabatur criſim. Aphoriſmus hic, & tota eius vis, & animaduerſio ſalutari, vel ancipiti morbo conſentaneam promit ſententiam; at in præcipiti circa principia non modò leuiora non ſunt omnia, ſed mox ab initio ſi lethalis futurus eſt morbus grauio-ra protinus ſunt omnia, ex quibus ſagax Profeſſor elicit illico pro-gnoſim ſuam inferens, & ſcientificè pronuncians, ſi hæc fiunt in viridi, quid in ſicco: ſi naſcente morbo ſęuiſſima exurgunt ſymp-tomata, quid accidet adultiori iam facto, & ad ſtatum properante? concluditque naturam certò caſuram antequam ad illum peruene-rit, ſi potiſſimùm inſita quædam notabitur virium imbecillitas, & mala ſuppoſiti conſtitutio. Vnde circa hęc initia acriter agendum.

EXPOSITIO MORALIS.

Delicta, quæ peccatores adhuc viuentes leuia puta-bant, grauia poſt mortem ante ſupremum Iudicem apparere.

CIrca *principia*, *& fines* crimina peccatoribus leuiora videntur omnia, *cùm verò conſiſtunt*, *fortiora*; à peccandi ſcilicet initio vſque ad finem leuiora proteruis apparent ſcelerá; *cùm verò conſiſtunt*, ideſt, cum extremo conſiſtunt in vitæ termino, quæ leuiora puta-ta fuerant, mox grauiora obijciuntur delicta. Peccator omnis dum viam iniquitatis ingreditur, ſi nullos interobuios offendat ſcrupu-lorum lapides, ſpinoſus nullus validè pungat ſynderesis tribulus; ſed ſibi planam fecerit peccati ſemitam, hic equidem circa princi-

pia

pia omnia leuiora cogitans, ad finem vſque ætatis ſuæ nihil graue, nihil turpiſſimum eorum eſſe ducit, quæ reuera grauiſſima, & iniquiſſima patrata ſunt, ſed leuiora credit omnia, & ſi fortè graue quidquam deprauatæ rationi ſcelus interluceat, id humana fragilitate reputans excuſatum, ſe nimis audacter venia dignum præſumit, ac quæ tracta ad inferos anima plecti debuerant delicta, ſola pectoris pulſatione, non verè contrito corde deleri poſſe confidit; at deluſus confiteri demum cogetur quidquid leue ęſtimabatur reuera grauiſſimum fuiſſe. Circa principia, ſint quantumuis maxima, leuiora tamen ſemper proponit crimina Tentator quouſque in habitualem culpam coniecerit, & affixerit tentatum, ac mox in omnem peccandi licentiam allicit, & præcipitat donec ad extremos vſque agonis conflictus in peccandi conſuetudine detinuerit, ac deuinxerit, & cùm peccator ampliùs delinquere non poterit præ tranſeuntis vitę termino. Egritudinis ſtatus dicitur, in quo grauiſſima queque ſęuiunt animam inter, & Diabolum accidentia, & colluctatio, ac pugna non impar illi, quæ naturam inter, & morbum in vigore ſtatus initur per morbos. Conſiſtenti in hoc tempore ipſemet tartareus Hoſtis, quę per anteactę vitę curſum leuiora ſuaſerat crimina, grauiora, quin immo grauiſſima deceſſuro aperiens, & altiùs inſinuans concutit, & miſerum adeo turbat moribundum, vt in deſperatam adigat animę ſalutem, ac ita pauidum ſeruare ſtudet, enormitate culpę perterritum, vt ſacris nullis exhilarari ſinat conſilijs, aureſque inclamatę Dei Miſericordię nullas aperiri permittat. Hic conſiſtens animę peccantis ſtatus eſt, dum ſcilicet in agone poſita, proximè eſt è corpore diſceſſura, quo quidem mox derelicto ſtatus alter eſt peccatoris, ſed ò quàm longè horridior! in quo conſiſtens, grauiora quidem quęcunque latuerant, & leuia inter viuos ducta fuerant delicta grauia pandi conſpiciet, dum ſcilicet tremendum ante Dei tribunal conſiſtent peccatores, hic ſanè grauiora ipſum corripient accidentia, hic tumultus non leues animę, hic pauor, hic horror, cùm de proprijs quiſque factis rationem redditurus grauia quęque leget, & audiet ea fuiſſe delicta, quę nuper pro nugis, pro leuitate, pro argutia ſuſcipienda pręſumpſerat: ò quàm miſer, & horrendus erit ſtatus peccatoris ante ſupremum Iudicem conſiſtentis! ex quo aperta quælibet audiet ſcelera, & gra-

& grauiora, & leuiora; at multò horribilior, immo & deplorabiliſſimus ſtatus erit, cùm ad peſſimam damnatorum ſtationem propulſatus, & in ęternum coarctatus, ſenſus, damnique pęna culpas plecti ſentiet vniuerſas, ſempiterna nempe ſupplicij duratione, & perpetua Diuinę viſionis iactura.

Caue igitur Mortalis, quiſquis ſis, qui peccato aſſueſcis, ne circa vitę rationalis principia vſque ad finem non ſolùm leuiores culpas nihili ęſtimes, ſed quaſlibet etiam leuiſſimas parui pendas, ne te audacem faciant ad grauiores pro magnis ſemper habeas malis, neque iniquitatem velut aquam bibere aſſueſcas facilem tibi parans, & ſtatuens peccandi viam, in hanc ne te conijcias, ſemel enim ingreſſus, vt videas, culpę delectatione captus vana meditari incipies, mox vana loqui, & poſt linguę lapſus cor obrues, & nequitia inficies, donec culparum cumulo circumuallatum peccati pondus non ſentiat, vt inquit Pſalmiſta *Si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem ſibi*. Diſce igitur peccator ſtatim circa vitę initia leuiora etiam peccata pro ingentibus habere antequam adoleſcant, & ſi fortè grandiora creuerint, grauiora dignoſcere ſtudeas, multitudinem numera, & attende pondus, vt protinus excutias cum Pſalmiſta, qui iniquitates ſuas ſuper caput aſcendiſſe videns, & grauitatem non vltro valens perferre, hoc ipſemet fatebatur pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. Vt autem culparum numerus animam non operiat, neque pondus opprimat, excute ſtatim ſcelera, neque diutiùs Dęmonis ſocietati aſſueſcas, ne porcorum grege turpior fias, & ratione minùs vtaris immundo animali, in quod iuſſu Saluatoris vix ingreſſa ſpiritus nequiſſimi legione de obſeſſo Euangelico depulſa, impetu abijt, & in ſtagnum ſe demerſit, & ſuffocatum eſt; grauitantis enim Dęmonis pondus ſenſerunt, neque perferre momento valuerunt animalia, ſed maluit grex totus porcorum in ſtagnum mergi, quàm diuturniorem tolerare Diaboli ſocietatem, quam obſeſſus diutiſſimè ſuſtinuerat, vt inquit Luc. cap. 8. de hoc loquens obſeſſo *Habebat Dæmonium iam à temporibus multis*. Hinc patet quod qui peccato aſſueſcit quotidianum Dęmonis hoſpitium factus, eius autem moleſtiam non ſentit, nec ad tantę beſtię concomitantiam expaueſcit, ſimilis fit Pro-

phętę Balaam, qui aſinum audiens ſibi alloquentem non expauit ad vocem eius, aſſuetus enim erat videre Diabolum in forma aſini, idcirco ad vocem eius non timuit: idem ferè peccatori accidit in fine vitę, vix expaueſcit grauitatem peccati, quia antea fuit aſſuetus ad peccatum, & ideo quia circa principia leuiora duxit omnia grauiora non ſentiet in fine, niſi cum in agone ſenſum aperuerit, qui per vitam obcecauerat. Cauenda igitur, inquit Ambroſ. in illa verba *In cathedra peſtilentiæ non ſedit*: Cauenda, inquam, minima ſunt initia, ne in plura deinde grauiora proſerpant; etenim ſicut hi, qui ſe in luto verſant quò magis volutantur, eò magis inquinantur, ita qui ſemel ſe luto improbitatis inquinauerit, niſi ab eo velociter exierit turpius ſibi dedecoris ſui cęnum per ſingulos dies lutulentę conuerſationis obducit.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quæ leuiora putas viuens, grauiora videbis
Crimina poſt mortem, quum patet omne latens.

APHORISMVS XXXI. SECVNDÆ SECT.

Eius, qui ex morbo benè cibatur, corpus non proficere, malum.

EXPOSITIO MEDICA.

OCtauo licet in huius ſectionis aphor. eademmet expoſita videatur ſententia, quam ſtatuit Auctor in præſenti circa conualeſcentes ſumptis cibis ægrè reſtaurabiles, diſſonat tamen præſens ab illa, quoniam illic Hipp. diagnoſim, & therapiam inſinuat, qua per ſigna cauſas inueſtigare doceamur, cur quiſpiam morbo functus bellè comedens vires non recipiat, vt cognita cauſa vacuare, vel alia pro diuerſitate illius diſcamus adhibere præſidia, vt quidquid impedit quò minùs vires queant roborari amoueatur. In hoc verò aphor. circa ſolam prognoſim verſari videtur, dum abſolutè pronuntiat, *Eius, qui ex morbo benè cibatur, corpus non proficere, malum*: aliter ſuperuacaneum foret eandem repetere ſententiam ſub expoſito iam ſenſu percipiendam. Differt ergo præſentis aphor. ſenſus ab octaui ſignificatione, quia de diagnoſi illic, & de therapia, hic de prognoſi verba facit. Diſſentit vlteriùs præſens ab octauo; in illo enim de conualeſcentibus, qui vires ab alimentis non reſumunt, in hoc verò de iiſdem, quorum corpora ſumpto cibo non proficiunt, differit, & licet vnum videatur per ſe eſſe cauſa alterius, & corpus proficere, & vires recreari ſint effectus ſibi reſpondentes eandemmet ſequentes cauſam, cum tamen quandoque ſumi poſſint alimenta, & vires quoquo modo recreari, corpus interim in charactere, colore, & actione pro ſumpti cibi ratione non proficere, diuerſa, idcirco gaudet aphor. iſte explanatione. Vt bona, fidaque ſequatur reſtauratio, ſingula pro ingeſti cibi ratione reſpondeant neceſſe eſt, ita vt ſumpto, & auidè tracto cibo corpus proficiat expedit, & ſi quid fuerit in mole, charactere, actione, & reliquis deperditum, reſarciatur, vireſque ad alimenti, & temporis proportionem reuiuiſcant; aliter corpus conualeſcentium cibo legitimè ſumpto non

proficere, malum, quoniam ſi corpus ob cibum copioſiorem non proficiat, malum. Ex pleniori itaque cibo licet vires grauatæ minùs releuentur, debet tamen quoquo pacto moles corporis augeri, licet non firma adeo, & viuida, ac ſi medioeri vteretur dięta, pręcipuè ſi nulla poſſet intus relicta materia; vel mala diatheſis inculpari, ex ſolo enim copioſiore cibo deperdita ſubſtantia, moleſque corporis debet ſemper quadamtenus regenerari: Vnde ſi nihil proficiat, malum: Malum inſuper, ſi non proficiat ab intrinſeco ob malam viſcerum diatheſim, aut ob alui, vel venarum impuritatem, nam vires ſemper notat infirmas; & cum renutritio, ac reſtituta corpori moles à viribus oblata alimenta probè conficientibus fiat, cum illæ ſemper langueant, & effętæ ſint in conualeſcentibus, ſi ſumpto cibo non refouetur corpus, neque proficit, neceſſe eſt vires ſimul imminui: Vnde quouis modo corpus conualeſcentis ſumpto cibo non proficiat, malum; etenim, ſi ex copioſiore vires oppreſſæ non reſurgent, hoc diminuto cum noua competat præ iam genitis ab vberiori pabulo cruditatibus vacuatio, vires denuo noua purgatione quoquo pacto lędi continget: Vnde malum, ſi ob relictam à morbo peccantem materiam, quam ſi purgare iterum expediat, ſine virium iactura præſtari minimè poterit, ſi ob deprauatum conualeſcentium genium, qui licet nihil delinquant in quantitate, errent tamen in qualitate, malum etiã cum mutata cibi natura corrigere ſtatutis errantem, quòd paulò deterior cibus gratiori ſit quandoque præferendus, ſine quo vix conualeſcens de cibo cogitaret.

EXPOSITIO MORALIS.

Animam ſumpto pabulo verbi Dei non proficere, malum.

Electos inter animæ cibos ſuauiſſimus eſt de Diuinis ſermo, & verbum Dei iuxta illud Euangelicum effatum *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Sapidiſſimus hic, & exquiſitiſſimus cibus duplici exponitur concinnatus forma, ſolidiori per Lectionem, & liquidiori per Prædicationem. Per Le-

ctionem quidem, vt inquit Ambroſ. ſer. 14. *Paſcua ſunt libri ſcripturarum cæleſtium, in quibus recreamur, & reficimur, cùm ea quæ ſcripta ſunt deguſtamus, vel ſummo ore libata frequentiùs ruminamus. His paſcuis grex Domini ſaginatur: carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis, carpis lilium, in quo fit ſplendor æternitatis, carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem, paſcitur os noſtrum hic, cùm loquimur mandata Dei, paſcitur oculus interior lucernæ ſpiritualis lumine, quæ nobis in hac nocte præ lucet, ne ſicut in tenebris ambulantes incertis titubemus veſtigijs, & viam veram ſalutis inuenire nequeamus*: hæc Ambroſ. Hac itaque ſolidiori Diuinæ ſcripturæ verbique Dei forma præparatum per lectionem pabulum, cùm craſſiùs, ſeriùs nutrire ſolet animam, quàm liquidiſſimum per prædicationem hauſtum; hoc enim non minùs promptè permeat ad animam, quàm corpus ſoleat tenuiſſimus ſubire cibus; ſi potiſſimùm cœleſtis hic cibus de pij, ac ſapientis oratoris ore prodeat, faciliùs penetrat, vt inquit Greg. ſuper Euang. cap. 1. ſic *Collocutionis vox corda torpentia excitat plùs quàm lectionis, & quaſi quadam manu ſollicitudinis pulſat, vt vigilent.*

Quocunque modo paratus, & appoſitus fuerit ſolemnis verbi Diuini cibus, non aliter ingerendus, digerenduſque eſt ad animæ ſalutem, quàm materiale alimentum ad corporis vitam, & robur tuendum. Quæ corpori dantur alimenta, debent priùs cuique naturæ congrua ſeligi, ſelecta maſticari, poſt à ventriculo auidiſſimè trahi, inde retineri, mox digeri, & ſuperfluum ſecerni, in ſubſtantiam demum conuerti: mutationes non abſimiles ſubire debet, & ſermo Dei, ſit per lectionem, vel prædicationem ſuſcipiendus, debet priùs ſeligi, quod ſcilicet cuique pro familiari propulſando congruat vitio, vt elegit Pſalmiſta 118. Domino concinens *Quoniam mandata tua elegi*. Electum Dei verbum pia debet mente maſticari, vt inquit Robert. Abbas in Matth. cap. 21. hom. 41. *Quemadmodum qualemcunque cibum, niſi dentibus maſticauerimus, non ſentimus ſaporem eius, ita & verbum Dei, quod audiuimus, niſi maſticauerimus ipſum tractantes in nobis, non poſſumus intelligere virtutem eius*. Debet igitur exactè ſermo Dei maſticari, hinc auidè ab anima attrahi, vt docet Regius Prophæta pſal. 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*, vertunt interpretes verbum Dei; mox debet verbum Dei attractum, vt ſubſtantificè nutriat, arctiſſimè retineri, vt inquit Luc. cap. 8.

Beati,

Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, & ideò bonus Pſalmiſta Deum rogabat anxiè ne verbum ſuum ab eo auerteret pſal. 118. *Ne auferas verbum tuum de ore meo*: Inde retentus Diuinus ſermo debet in ſuas ſignificationes digeri, ideſt examinari, ac deuota mente comprehendi, ac intelligi; vt Dauid pſal. 118. *In toto corde meo ſcrutabor mandata tua*, & alibi, *A mandatis tuis intellexi*. Dum verò digeritur verbum Dei ſuperflua debent tanquam excrementa expelli; ſi quas ſcilicet audiri, vel legi contigerit ineptias, tanquam ſuperuacaneas reijcere oportet, magiſtros declinando prurientes auribus, vt inquit Paulus, & quod reliquum erit purum, ſyncerum, & ad Fidem ſuccoſum in animæ ſuæ ſubſtantiam conuertere. Hanc animam nutrientis verbi ſimilitudinem cum corpore innuit Hilar. in pſal. 118. hiſce verbis. *Vt per os in alimoniam corporis cibos ſumimus, ita per cor ad viuificandam animam eſcas doctrinæ cæleſtis accipimus, quæ niſi amplificato, & patente corde attractæ quodammodo fuerint, non adibunt*; Et hic ordo ſit, quo nutriendus erit verbo Dei peccator.

Quas conferat dotes ſalutaris hæc animæ nutritio per verbum Dei audi quid Griſoſt. ſpondeat hom. 37. de ira, ſic alloquens. *Omnium medicinarum theſaurus Diuinæ ſcripturæ ſunt, & ſiue ſtultitiam exuere, ſiue ſedare affectus, ſiue pecuniarum cupiditatem expellere, ſiue anguſtias, & dolores contemnere, ſiue fortem animum induere, ſiue aduerſa æquo animo tolerare velimus, quamplurima hinc remedia inuenire poſſimus*: Vnde, ſi quis à peccati morbo conualeſcens cibum Diuini ſermonis ingerens non proficiat ad pœnitentiam, *malum*, inquit Hipp. etenim, ſi peccatorem quempiam ſaeris videris indeſinenter inteſſe concionibus, oratorijs, ſacris hortationibus, & colloquijs, ac pſalmodijs, & nihilò meliorem fieri, proferes cum Hipp. *malum*, ne dicam peſſimum. Cęleſtibus pabulis intentum eſſe, & terrenas non faſtidire dapes deprauatæ mentis, & rebellis indolis non fallax indicium eſt; inquit enim Ambroſ. in ſerm. 40. *Quiſquis verbo Chriſti paſcitur terrenum pabulum non requirit; nec enim poteſt panem ſæculi capere qui pane reficitur Saluatoris, negligit famem corporis qui pabulo lectionis intendit, nec curam ventris habere poteſt, qui alimentum cibi cæleſtis acquirit; ipſa enim eſt refectio, quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera, cùm de Diuinis ſcripturis cibum eloquij perennis accipimus*. Si quiſpiam igitur cibum verbi Dei capiens non proficiat ſæculi obſonijs

addi-

addictus, vel cœleſtem non maſticat eſcam, vel eam non attrahit, minùs retinet, parum digerit, nec excrementum ſegregat: Vnde non mirum, ſi nihil ad ſalutis ſubſtantiam proficiat. *Quærat igitur anima*, vt inquit Bern. ſuper Cantic. 85. *verbum, cui conſentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem*; Hac enim forma ſumpto Dei verbo peccator proficiet. Aliter, ſi quis curioſè magis, quàm deuotè Diuino pabulo paſcatur ſolis tantum aurium anfractibus recepto, nec penitiùs adeunte, ſacris ſcilicet interſit orationibus, vt lepidiſſimas audiat panegyres, concinnos tropos, & figuras ſentiat inauditas, vt peregrinas, & politiores affectet eruditiones, ampulloſas deſcriptiones, & fabulas, hi ſiquidem ita ſumpto verbo, & ſermone Dei nihil proficient: Vnde & ex parte alimenti, & ex parte aliti malum. Itaque, qui verbum Dei audiunt, nec digerunt vel negligenter, vel iocosè ſacris ſe cibant verbis, vix de ſalute ſpem aliquam promittunt, cum cibus hic ſelectiſſimus non minùs efficax ſit ad ſalutem, quàm corpus metipſum Chriſti, vt Aug. in quodam ſerm. ſic effatur, *Quid vobis plus eſſe videtur, verbum Dei, an corpus Chriſti? ſi verum vultis reſpondere, hoc vtique dicere debetis, quod non ſit minùs verbum Dei, quàm corpus Chriſti, & ideo non minus reus, qui verbum Dei negligenter audit, quàm ille, qui corpus Chriſti in terram negligentia ſua cadere permiſit*. Scias igitur, quicunque verbum Dei vel non audis, vel negligenter, aut curioſè percipis, ac Diuini ſermonis pabulum oſcitanter ſumis, ſcias, inquam, tantam fuiſſe Saluatoris cordi de verbo ſuo propagando curam, & intentam adeo ſollicitudinem, vt Matrem dilectiſſimam ignorare malluerit, quàm verbi prędicatione intermiſſa de templo exire: Refert enim Matth. cap. 12. dum Chriſtus verbum Dei prædicaret in templo quidam nuntiauit ei dicens *Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te*: ſtatim Ieſus reſpondit. *Quæ eſt Mater mea, & qui fratres mei?* hinc ſciſcitor, cur Chriſtus Matrem ignorauit, & renuit fratres? Sanctus Hyeron. reſpondet de vera circum. fatus, ſic habens *O verum myſterium, Matrem Mariam ſibi Dominus abiurat, cum extra verbi audientiam eſſet conſtituta eo potiſsimùm tempore, quo verbum prædicaretur à Verbo*, & ideo Deus Matrem neſcire voluit, quòd ſanè ipſum prædicantem

dicantem turbauerat, & auditores diuerterat, qui fortaſſe de verbo Dei minùs anxij, nec bene de doctrina, ſed perfidè ſentientes, arrepta anſa, Matrem idcirco Chriſto propoſuerunt ipſum quærentem, quia pertęſi ſolutam volebant prædicationem: Vnde quid mirum? ſi malè verbo Dei hauſto nihil proficientes pręſignatum ab Hipp. malum ſenſere ſempiternum. Perfecti ſint quantùm velint mortales, ſi nihil, vel ęgrè de verbo Dei ſolliciti exiſtent, neſciet vniuerſos Deus, qui Matrem neſcire malluit, repetam, quàm verbi prædicatione intermiſſa obuiam recipere. Vide quantum tibi ſuperſtet malum, qui verbo Dei hauſto non proficis.

DISTICHON APHORISTICVM.

Diuini verbi pingui nutritus ab eſca
Si non proficies, mens tibi fœda vetat.

EXPO-

Qui aduerſa valetudine abundè initio comedunt, nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi faſtidium incidunt: Contra, qui initio inedia vſi cibum poſtea appetere incipiunt, inualetudine faciliùs liberantur.

EXPOSITIO MEDICA.

APpetitus conſtans, & illęſa reſpiratio in morbis ſingularis ſemper ſunt ad fauſtam prognoſim momenti; appetitus tamen quandoque fallax eſt, & deludit, vt in illis, qui vix à morbo liberi, depuratoque quadamtenus ventriculo, aliqua tamen adhuc venarum impuritate ſcatentes bellè appetunt, abundè comedunt, & non proficiunt: hi ſiquidem cum firmum habeant os ventriculi cum partium appetentium robore, vt inquit Galen. in commento pręſentis aphor. longèque diſtet ab eo reſtitans impuritas, eouſque appetunt, & comedunt, quouſque grauatis, vel venarum, aut totius diffuſa illuuie labefactatis viſceribus in cibi tandem tranſeant faſtidium, deiecta prorſus appetentia nihil proficientes, qui vix recidiuæ diſcrimina effugientes, in chronicos facilè labuntur affectus. Nec conualeſcentes modò, ſed & ægrotantes omnes, qui circa initia ægritudinum opiparè nutriti nihil proficiunt deperdito demum progrediente morbo appetitu rem ſuam peiùs agunt, quàm qui circa morborum principia, vel ſponte tenui ſibi ſtatuta dięta, vel intus cogente ad inędiam cauſa ſenſim ſub finem appetere incipiunt: his equidem non ita facilè appetendi vis perit, inualetudine faciliùs liberantur, minùſque fiunt recidiuæ obnoxij, quòd materia, quæ circa initia cibi fecerat faſtidium prorſus euicta, nihilque ſupereſſe labis iudicetur, ex qua noua ſuccreſcere poſſit morbi minera: quamobrem tutior via eſt, inchoantibus, & ad ſtatum progredientibus morbis, quandiù ſordent viſcera, vel venæ, etiam ſi benè appetat æger, ipſum ſub tenuiori ſeruare dięta, ne

ni-

nimiùm comedens per initia morboſum ſaginet apparatum, huncque reſtactarium reddat; morbumque faciat interturbatis naturæ functionibus in pepaſmum laborantibus diuturniorem, vel fortè etiam de ſalutari vertat in lethalem: Vnde attentè diſquirenda Regio, in qua firmatur impuritas, ex qua ægrotantes, vel conualeſcentes etiam methodicè nutriti nequeunt proficere, vt congrua impetrata victus ratione res ita geratur, vt qui circa initia largè comedunt à pleniori arceantur dięta, & qui minùs auidè appetunt non terreantur, cum magis in tuto ſint quicunque circa initia minùs appetunt, & comedunt, circa finem tamen ſenſim appetentiam recipiunt, quàm qui plenè nutriuntùr per principia, & in moleſtum tandem tranſeunt cibi faſtidium.

EXPOSITIO MORALIS.

De ſtabili, & inſtabili peccatoris ad pœnitentiam voluntate.

SVnt improbi mortales, qui minaci, & aſpera ſorte pulſati quoties rebus anguntur, & conflictantur aduerſis, ſtatim per initia perfectioris vitæ ſtatum appetentes ſanctis mentem implent deſiderijs, pias protinus concipiunt cogitationes, ſed vix diſcriminoſo ſedato fortunæ turbine, ſibi propoſita non proficiunt in virtute, ſed paulatim in conceptæ, & pręſignatæ conuerſionis horrorem, & faſtidium incidunt voti cuiuslibet immemores, illorum ad inſtar, qui per nauigationem, infirmitatem, vel alias grauiores anguſtias in proximo vitæ diſcrimine poſiti multa Deo vouent, plurima ſpondent, ſed à periculo vindicati nihil reddere eorum, quæ vouerunt, recordantur, vel ſi fortè recordentur, cum ſępe nimis graue videatur in tuto, quod leuiſſimum cogitabatur in periculo; de voti commutatione in leuius, vel de integra abſolutione ſtatim cogitant, neſcientes quòd Deus per Prophętam vota ſingula iubet expleri inquiens *Vouete, & reddite.*

Sunt & iniqui, ac inueterati peccatores, qui ſponte nulla cogente anguſtia, de pręteritæ vitæ nequitia conſcij, & cogitabundi cœ-

leſtia ſenſim meditari incipiunt; hinc appetere mox amplecti, & tandem depoſita iniquitatum ſarcina guſtare; ſeque totos Deo ſacrare, vt planè tot teſtantur penitentium euentus. Quàm varia ſit vtriuſque peccatoris prognoſis; & expectatio; quàm ſors diuerſa, prioris probat inconſtantia, & inſtabilis emendatio, & perſeuerans poſterioris penitentia. Non proficiunt primi, qui de ſtatuta vitæ probitate decedentes pijs omnibus neglectis votis in deiectam inci- dunt rerum Diuinarum appetentiam; quòd intus venas Charitatis habeant criminoſis impuritatibus inquinatas; quibus mens in con- ſortium tracta perfidè deſpicit, & renuit, quod irreligiosè optauerat, quo fit, vt ſancto pertæſa alimento ſalutarem denuò vix queat appe- tere conuerſionem, neque cœleſtibus pabulis renutriri, ſed ſubtra- cto Diuini præſidij viuidiore alimento, orbata efficacis gratiæ ſubſi- dio æterno rerùm cœleſtium faſtidio contabeſcat. E contra pec- cator quilibet, qui poſt tritam omnem etiam nequitiæ ſemitam, & longam paſſus cœleſtis gratiæ inediam circa vitæ initia, nulla ferè proritatus penitentiæ, & conuerſionis appetentia, hanc tandem ali- quando ſponte ſentiens, voluntariè appetit, & guſtare incipit Diui- næ Charitatis dulcedinem, hic procul dubio inquit Hipp. *inualetu- dine*, à peccato ſcilicet *faciliùs liberatur*, quòd ſemel arreptam Dei gratiam nullo ampliùs deponat faſtidio, neque inſtabilis amittat, ſed arctè adeò retinet; vt cum Paulo ſemper intonet *Quis ſeparabit me à Charitate Chriſti?* Hac aſſiduò cibatus eſca, ab omni deinceps peccati recidiua ſe ipſum præſeruans, conſtanter ad finem vſque ſeruato cœleſtis patriæ appetitu progreditur, donec Comprehen- ſor beatiſſima Dei fruitione totam expleat famem.

En diuerſam vtriuſque peccatoris ſortem, eius, qui ab initio ma- gna ſollicitari videbatur cœleſtium fame, in deplorabile cibi faſti- dium lapſi, & alterius vix aliquo per initia Diuinorum appetitu ex- citati, in auidiſſimam tandem illorum eſuriem accenſi. Vnde verò ex ſimili vtriuſque peccatoris ortu ad culpam tam diſpar exitus ad gratiam, docet Hieronym. de conſenſ. diſtinct. hac breui ſententia *Quidquid neceſſitate fit, citò ſoluitur; quod voluntariè arripitur, perſeuerat*, & ideo, qui bene circa initia ſorte minùs proſpera compulſi appe- tunt, vel ſaltem vitæ perfectioris ſtatum appetere videntur, & va- rias vexato animo ſibi ſtatuunt virtutes, in cibi faſtidium, in abſolu-

tam nempe boni concepti abſtinentiam tranſeunt, quòd neceſſitate fuerint commoti, non ex intimo propoſito ducti; repetam; omnis concepta fames de Diuinis turpiter, & ocyſſimè definit in prefignatæ virtutis faſtidium. At peccator, qui poſt diuturnam à cœleſtibus abſtinentiam demum appetere incipit, guſtare, & quæ ſurſum ſunt ſapere, quòd voluntariè tam grandis ſuccreuerit appetentia, in bono firmatur propoſito; & vegetiore in dies facta Diuinorum fame, & deſiderio nullum vnquam Chriſtianis in exercitijs ſentit faſtidium, quòd nullá intus reliquerit criminis illuuiem, ex qua denuo poſſit anima in Diuinæ legis nauſeam reuocari; ſed tota depulſa, conſumptaque peccati minera, ſanctà perſiſtens in perſeuerantia inconcuſſus nullam ſentiat recidiuæ iniuriam.

Non gaudeant igitur, neque nimis iactabundi ſe efferant peccatores de ſtatuta vitæ correctione; qui humana preſſura moti, non Charitatis intimæ zelo ſuccenſi; mirificum quid molitos eſſe autumant cùm vitæ mutationem appetentes ſunt aggreſſi; hæc enim fames mendoſa eſt legitimo non facta ſuctionis ſenſu; ſed prauo, ac melancholico, deliro ſcilicet concepta ſucco appetendi organa deprauante; mendoſa nimirum non ex vero ſenſu indigentiæ, hoc eſt vitæ correctionem non appetentes vt correcti in bonitate perſeuerent, qui verus indigentiæ ſenſus eſt; ſed ideo corrigi ſtatuunt, vt à preſenti, vel imminenti vindicentur anguſtia; quæ cum ſcopus ſit emendationis, prolixioris non erit illa durationis, & breuiter idcirco in priſtinam recident atiditatem, & cibi iam non leuiter expetiti, & optati faſtidium: his equidem *Nec ara*, *nec fides*, vt adagio circumfertur, cum inſtabiles vna manu lapidem afferant, & altera panem oſtentent. Vnde Iob patientiſſimus vernaculum ſtatuit peccatoribus inſtabilitatis vitium, aſſerens *Ecce qui ſeruiunt ei*, peccato ſcilicet, *non ſunt ſtabiles*, vt Thren. *Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*: Vnde Apoſt. 1. Cor. 15. noſcens quantæ ſit perniciei inſtabilitas animæ, rogabat enixè fratres, & hortabatur aſſiduè ne inſtabiles eſſent, hiſce notis *Fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini, ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Gaudeant ex aduerſo ſtabiles, & in propoſita iuſtitia perſeuerantes, qui in dilectione Dei, victù velut in conſueto viuentes nulla

vnquam ſubuertuntur nauſea, nullum perſentiunt ex vſu quantumuis longo cibi faſtidium, ſed quò plus viuunt, plus acuentes appetentiam ſe nunquam Diuinæ legis obſeruantia ſaturos profitentur, niſi cùm plenior æternæ beatitudinis ſatiauerit eſca, in hanc intenti proficiunt, & in amore cœli perſeuerant, & ipſamet dilectionis conſtantia Deo dignos ſe prҿſtant. Perſeuerantiæ igitur ſtudium cæteras inter animi anxietates ſemper vrgeat, ſine hac nemo ſaluus erit, cum cœlum perſeuerantiæ prҿmium ſit, & laboris haud intermiſſi optabilis finis, & meta.

Perſeuerantiam ſtatuas in lege Domini; & nil formides; quid enim perſeuerantiæ ſtudioſo ſunt anguſtiæ? quid flagella? quid martyrium? quid denique mors ipſa? niſi deliciæ, ſuauitates, & gaudia, quæ de breui huius vitæ ſupplicio ad ſempiterna ducunt ſolatia? Proba igitur te ipſum antequam per initia, ſtatim ac aliquo pulſaris infortunio, cœleſtes eſurias eſcas, meditare funditus quod ſtatuis, & internam diſcute aptitudinem, ne tibi contingat, quod nonnullis euenit, qui vix in doctrina facultatis alicuius initiati primas ſtatim appetunt eiuſdem dignitates, quas cùm attingere, mandere, &, vt allegorico vtar ſtylo, comedere cҿperint, vix ſuſceptum munus explere ſunt aggreſſi interna ſe videntes ad illud habilitate orbatos, in ſuſceptæ dignitatis faſtidium incidunt, quòd exercentes, quid agant, neſciunt. Ita quidem tu ipſe cum interna cares diſpoſitione ad vitæ mutationem, magnus te tamen accendit vindicandæ prauæ ſortis æſtus, aut diſcriminis euadendi flagrat deſiderium, caue ne vitæ melioris ſtatum appetere, & exercere incipias, & vix primam delibans eſcam in ſuſceptæ virtutis perſeuerantiam pergere tҿdeat, & in cibi faſtidium incidas, fiaſque Diuinitatis irriſor; Deus enim non vult irrideri, vt Prou. 3. habetur. *Abominatio enim Domini eſt omnis illuſor, & ipſe enim deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Falſa fames cœli, ſi vi, non ſponte mouetur;
Incipit hac grandis, poſt minor, inde perit.

APHORISMVS XXXIII. SECVNDÆ SECT.

In quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum; contraria verò, malum.

EXPOSITIO MEDICA.

QVò digniora ſunt ſigna, & de partium nobiliorum integritate magis enunciatiua, eo prognoſis latior ad ſalutem. Bona igitur, quæ per ſigna traditur ab Hipp. in pręſenti aphor. duarum principum partium, & facultatum incolumitatem indicantia, animalis ſcilicet, & naturalis, dum inquit: *In quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum*. Naturalem, animalemque facultatem morbis in quibuslibet integram ſeruari multùm ſpondet ad ſalutem; quomodo autem vtriuſque incolumitas, vel lęſio dignoſcatur, ex proprijs cuiuſque ſignis eliciendum, quorum ſyndrome prętermiſſa ſola mentis conſtantia animalem, & firma appetentia naturalem firmam ſignare videtur Hipp. facultatem; at hiſce duobus tantùm poſitis ſignis reliqua ſimul examinanda non excludit, dum enim mente conſtare pro nota ponit incorruptæ facultatis animalis, alia etiam ſigna comprehendere intendit, quæ de eadem facultate poſſunt ſignum ferre, non ea modò, quæ ad totam vim rationalem ſpectant, ſed & ad organicas omnes partium animali ſubſeruientium diſpoſitiones, in neruis, membranis, ſpinali medulla, ductibus, glandulis, proceſſibus, in partibus denique ſingulis totam conſtituentibus animalis organi, & facultatis armoniam, quas omnes in morbis ſemper ſaluas eſſe, bonum: Bonum, etiam ſi facultatis animalis integritatem ſequatur è veſtigio naturalis incolumitas, cuius bene valentis characteres omnes licet non exponat Hippoc. ſub ſigno, tamen ab appetentia integra deducto cętera ſubintelligi putandum.

Illęſam in morbis omnibus ſeruari ad ea, quæ offeruntur appetentiam, licet pro ſigno ponat pręcipuo, quo bona poſſit prognoſis pronunciari, per ſe licet ſummè indicet, non tamen integerrimè: Vnde

Vnde alia ſubnectenda de eodem facultatis ſtatu ſignificantia, & dum Hipp. ait *bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur*, *bonum*, illatio non idcirco facienda certæ ſalutis, cum poſſit æger prauis cum integro appetitu ſignis perniciem portendentibus comitari: Vnde ſignorum omnium concurſus perpendendus eſt, ſingulorum grauitas, & in ſignando prçſtantia æquo pendenda iudicio, vt quod ad bonam, vel malam prognoſim ſpectat noſcatur; nam *mente conſtare*, *& bene ſe habere ad oblata* licet in morbis acutis, & ferè omnibus bene ſignent,& de ſalute plurimùm promittant ſi cum bonis coeant ſignis, non tamen bonum ſignum ſunt ſi cum prauis, quamuis minùs ſemper, & mitius faciant malum. *Bene* inſuper *ſe habere ad oblata*, licet totius naturalis facultatis integritatem per ſaluam appetentiam indicare videatur Hipp. ſub ea tamen complectitur etiam animalem, cum multa animalis ratio appetat, quæ tamen oblata renuuntur à naturali, & pleraque ratio ipſa ingrata apprehendat, quæ naturalis amplectitur: Vnde vt bene indicet appetentia debet duplici appetitu integrari, animali nempe, & naturali, ita vt non erret in electione animalis, neque proprio in munere naturalis. Vniuerſim igitur, ſi æger *ad ea* omnia, *quæ offeruntur*, *bene ſe habeat*, non reſpuat ſcilicet alimentum, ſed appetat, retineat, concoquat, inutile excernat, bene nutriatur, & bene ſimul ad medica ſe habeat prçſidia, *bonum*; *contraria verò*, *malum*, inquit Hipp. ſi nempe cibum nec appetat modò, ſed auerſetur adeo, vt vel ad eius horreat aſpectum, vel in aliqua circa functiones naturales noxa contingat, *malum*: Si vlteriùs mente motus æger quouis modo ſibi non conſtet in animali aliqua errans potentia, *malum*; quòd vtriuſque principis facultatis eſſentialem, vel ſympaticam lçſionem ſignificet. Cur autem Hipp. de naturali tantùm, ac animali potentia hic prognoſim inſtituerit, nullo de prçſtantiſſima vitali pronunciato verbo, tribuendum crediderim quòd vitali facultati, cum cçterarum nobiliſſima ſit, plures decreuerit aphoriſmos, vt paſſim, & frequenter occurrent per ſequentes aphor. claſſes.

EXPO-

EXPOSITIO MORALIS.

Quomodo quilibet ad ea, quæ à Deo, & Mundo offeruntur, ſe habere debeat.

IN quouis tentationis, & peccati *morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum*, inquit Hipp. Vniuerſas inter Dęmonis tentationes, ſi in qua mente conſtandum, & inconcuſſo animo reſiſtendum, ſanè, & procul dubio in ſuggeſtis circa Fidem dubitationibus,quibus mens pronior ad vacillationem, & ad lapſus facilè poteſt diabolicis fraudibus irretiri. Dubitatio circa Fidem, quam cęcutientibus mortalium mentibus Tentator efferus obtrudit, morbus eſt, & pugna, in cuius medelam valida opus eſt mentis conſtantia,& fortitudine,vt ad ea, quæ offeruntur Nequiſſimi phantaſmata, bene ſe habeat Mortalis, ſtrenuè nimirum dimicet, hoſtis elidat inſidias, ne ſubuertatur. Hoc ipſum monet Petrus Apoſt. vt reſiſtamus fortes in Fide, ne ſupplantemur in pugna, inquiens *Fratres Aduerſarius veſter circuit, cui reſiſtite fortes in Fide*, circuit, ideſt varijs dubijs veſtras mentes in girum exagitat, vt vertiginoſas ad lapſum diſponat. Tentatus igitur, & circumactus quiſque circa Fidem mente conſtet expedit, & vigilet, vafri Tentatoris noſcat dolos, & ad oblatas quaslibet dubitationum ambages bene ſe habeat, vt generosè ſcilicet, & fortiter Fidei columnis hęrens curet ne cōcidat,neque à vera Chriſti Fide nūquam impellente quouis dubio, quauis furente tentatione deflectat, quin immo ſcuto ipſo Fidei refractis Satanæ ſagittis, repercuſſis in Cacodęmonem telis, ad tartara inanem protrudat, & ita in dilectione legis triumphans ex pugna victor Mortalis feruentior euadat. Hoſte fugato, victiſque circa Fidem tentationibus, debellandus vlteriùs in reliquis, quaſquas obtulerit peccandi ideas, mente ſemper conſtando, potentias nempe ſingulas in peccati faſtidium, & horrorem intendendō, ita vt tota ratio, mens tota,intellectus totus ſit in iudicanda peccati enormitate, & atrocitate pęnæ. Hoc roboratus modo Mortalis in Fide conſtans tartareos omnes deludet niſus, mens parata ſemper erit ad bene ſe habendū ad ea,quæ offeruntur,& quidquid cęlitùs,vel à ſę-

culo

culo erit oblatum, bonum recipiet. Quàm bonum autem ſit vniuerſos bene ſe habere ad ea, quæ de cœlis, & de terra offeruntur ſacræ paſſim teſtantur hiſtoriæ. Subditos mente, fideque conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur à Principibus, tributa ſcilicet, decreta, edicta, & interdicta, bonum. Filios in dilectione, & obedientia Parentum mente conſtare, quod eos ſcilicet debent venerari, & bene ſe habere ad ea, quæ ab eiſdem offeruntur circa educationem, & obtemperantes eſſe, bonum. Milites mente conſtare, ideſt fortiter, & fideliter pro Principe, & patria pugnare, & bene ſe habere ad Ducum, & Prefectorum iuſſa, bonum. Religioſos, & Clauſtrales in ſuſceptæ regulæ obſeruantia mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur à Superioribus, ieiunia ſcilicet, orationes, ſui abnegationes, & quaslibet alias Religionis obſeruantias, bonum. Chriſtifideles mente conſtare in Fide, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur à ſummo Pontifice, Decreta, Synodos, Conſtitutiones, & ad cetera oblata animarum errantium preſidia Religiosè, & inconcuſsè obſeruare, bonum. Vniuerſos denique mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur ab Omnipotente Deo, bonum; voluntatem nempe ſuam Diuino ſiſtere beneplacito, bonum; ſi tribulationes offerantur, anguſtiæ, lites, infirmitates, egeſtates, perſecutiones, bonum; hęc enim omnia pro tua offeruntur ſalute, nec perferre pigeat; ſi dignitates obtulerit, ſanitatem, diuitiaſque dederit, gratias agere ne dedigneris; qui enim dedit, momento poteſt abripere: Ideo, ſi diues es, & authoratus, quod ſupereſt, Superis redde, & per pauperum manus ſurſum mitte.

Contraria verò, malum, inquit Hipp. ſubditos enim mente non conſtare, neque debita erga Principem fide, & non ſe bene habere ad ea, quæ ſeruanda offeruntur, malum: Hinc ſeditiones, bella ciuilia, priuatæ, & publicæ calamitates, fracta conſortia, atrocia rebellantium ſupplicia, & vicinis hoſtibus commoda palmarum congeſtio. Milites mente non conſtare, & non bene ſe habere ad Ducum mandata, & ad militarem diſciplinam, ignauos ſcilicet eſſe, & non obtemperantes, malum: Vnde ſubuerſa militaria iura, contempti ordines, à quibus claſſium cędes, hoſtium victoriæ, famæ iactura, & armorum ignominiæ.

Clau-

Clauſtrales, & Religioni addictos mente non conſtare in ſuſceptæ regulæ obſeruantia, & non bene ſe habere ad ea, quæ à Superioribus offeruntur, malum: Hinc ſcandala, regularum laxationes, contentiones, religioſæ pacis turbationes, Sęcularium deriſiones, intermiſſa, vel non pro debito reddita Deo obſequia, morum corruptela, & deplorabile Religionis opprobrium.

Filios mente non conſtare, & ad Parentũ mandata ſe malè habere, malum: Vnde licentiæ, impudentiæ, neglectus cultus ſcientiarum, Diuinus poſthabitus timor, deſpecta virtus, vitiorum triumphus, & vitæ laxitas ad perditionem, & ad effręnem omnem inſolentiam procliuitas.

Chriſtianum quemlibet mente non conſtare, nec bene ſe habere ad Fidei myſteria, nec ad ea, quæ offeruntur à Summo Pontifice, malum: Hinc ſciſmata, prauæ doctrinæ propagatio, hęreſis, & irreparabilis errantium animarum, Vrbium, ac Regnorum iactura. At quod maius facit negotium eſt mente non conſtare, nec ad ea omnia, quæ cęlitùs offeruntur bene ſe habere, quod malum frequentiſſimum, quum quis ſcilicet ærumnoſam ducens vitam, preſſus infortunijs, mente conſtans non eſt in ferendo, ita vt quidquid mali patitur, æquo, ac forti non ferens animo Diuino renuat beneplacito conformari, ſed ad humana, & minùs idonea diuertens ſubſidia nihil curat de cœleſti, neque quod oblatum fuit infortunium ſibi, ſuiſque imputat demeritis, malum, ne dicam peſſimum; hic enim nunquam de miſeriæ gurgite emergens, perpetuò querulus, de Diuina diffidens Prouidentia, ſępe blaſphęmus obmurmurâns, nec caput erigens ad Conſolatorem optimum, terrenis nimis fidens ſolatijs, terrenus moritur.

Nouit equidem Euangelicus Latro in extrema poſitus anguſtia mente conſtare, & bene ſe habere ad oblata, dum memoria conſtans, & ratione nouit oblatæ crucis cauſam ſibi ipſi imputare, cùm pendens de patibulo ad crucifixum Ieſum conuerſus, ſui accuſator factis digna ſuis recepiſſe confeſſus, Diuino implorato ſubſidio, ſupplicium ſuum temporis momento in cœleſtes commutare meruit delicias. Hac eadem ſorte dignus non fuit alter Latro, qui blaſphęmabat Deum, & increpatus à ſupplicij ſocio, monituſque de Redemptoris innocentia, & de opportunitate indulgentiæ, hanc blaſ-

phęmus contempſit, & damnatus interijt æternis temporali ſupplicio ſuccedentibus pęnis.

Diſcas igitur quiſquis aliqua ingemiſcis afflictione, cùm perfida vexaris ſorte, acta vitæ tuę recurrere, quę ſi criminoſa fuiſſe comperies, corrige te ipſum, argue, confiteare ſtatim culpas tuas Deo, ipſius placito te totum ſiſte, ipſe enim cauſam tuam ſuſtinebit, ærumnas auferet quando placuerit ad vitæ correctionem, quòd ſi tranſactæ repetitis vitę geſtis te fortè iuſtum credas, & querulus nihilominus, quòd Deus innocentiam tuam exerceat ęrumnis, neque arriſerit Latronis hiſtoria, quòd eius vias non perambulaueris, placere tibi ſaltem decet innocentiſſimi Saluatoris exemplum; mente enim pro Mundi Redemptione conſtantiſſimus oblatum paſſionis calicem ſumpſit, hauſit, & quamuis pars inferior per verbum *tranſeat* renuere videretur, ſuperior tamen illud auidè bibendum conſuluit, & ęterni Patris placito conformari per verbum *Fiat ſicut vis*. *Fiat ſicut vis* intonet, & Deo repetat vniuerſa afflictorum claſſis, & in omni afflictione mente conſtans Deo dicat, *fiat voluntas tua*; ſic bene ſe habebit ad ea, quæ offeruntur.

DISTICHON APHORISTICVM.

Cœlitus oblatum calicem bibe lætus amarum;
Sic placuiſſe Deo dulce leuamen erit.

APHO-

APHORISMVS XXXIV. SECVNDÆ SECT.

In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori magis congruit morbus, quàm quibus in nullo horum affinis exiſtit.

EXPOSITIO MEDICA.

TEmperamentum quodlibet, ſiue pro temperamento natura morbis licet omnibus obnoxia, cognatas tamen habet ſpecies aliquas, in quas magis pronus, minùſque diſcriminoſus eſt lapſus, ſuas habent etiam peculiares, & minus ominoſas morborum ſpecies, ętates, conſuetudines, & tempora: Vnde ſi quempiam contigerit morbo corripi, qui eius naturæ ſit congener, ætati affinis, & conſuetudini, temporique conſentaneus, minùs certè periclitabitur ægrotans, quàm ſi nulli ex dictis notis congrueret affectus, & periclitabitur ſanè magis qui morbo magis, ætati, & reliquis diſſóno laborabit, quòd longiùs naturali diſtet à ſtatu, à quo quantò magis quis recedit, tantò propiùs habet diſcrimen. Igneum temperamentum, ætatem iuniorem, habitum graciliorem ſi pro conſuetudine calidus apprehendet morbus, cui Cœli ſtatus, anni tempus, regio calida obſecundent, morbus hic naturæ conſentaneus cum ſit, ætati, conſuetudini, regioni, habitui, & tempori familiaris, minùs periculi portendit, quàm ſi diſſonus morbus eſſet in ſingulis; quòd ſi contingat diſparem morbum minùs cum præfatis conſentire, itaut cum temperamento non concordet, minùs cum ætate, & conſuetudine, minimè cum tempore, & reliquis, periculoſior ſanè cenſendus, quòd violentam nimis arguat cauſam, quæ ſingulis oppoſita naturæ famigliaribus diſpoſitionibus celeriter ipſam & immutare poterit, & perdere. Frigidis totius ſuppoſiti naturis, & temperamentis calidas, igneis verò frigidas ſuperuenire ægritudines, malum: Malum item, & periculoſum

riculoſum particularibus partium ſingularum conſtitutionibus morbos non conformari, calidiori enim, ac ſicciori cerebro ſoporoſos accedere affectus, æſtuans hæpar hydropem contrahere periculoſius, quòd vtraque ægritudo cum peculiari partis temperamento non concordet. Frigidum ſenem febre ardente, vel quouis acuto corripi morbo, periculoſum. Calidis aſſuetum morbis, vt criſipellati, & alijs à bile natis affectibus in frigidas delabi ægritudines, malum, cum non conſentiant conſuetudini; conſueta namque mala minùs infenſa. Obeſum, & pinguioris corpus molis in tabem incidere, malum, quòd diſpoſitum morbus non inuadat habitum. Hyemali tempore graſſari febres ardentes, malum, quòd gelida cum tempeſtate non concordet febris eſſentia, & ſic de reliquis, quò magis temperamento, ætati, habitui, tempori, conſuetudini, regioni diſſimilis erit morbus, eò periculoſior, ſi periculum, vt docet doctiſſimus Duretus, referatur non ad virium imbecillitatem, ſed ad magnitudinem cauſæ, ſymptomatum acutiem, & curandi opportunitatem, collatione ſemper facta vnius morbi cum duabus naturis oppoſitis.

EXPOSITIO MORALIS.

De culpis magis Animam labefactantibus.

Q Vamuis accepta nulla ſit coram Deo criminis excuſatio, & plena periculo ſit omnis patrata iniquitas, crimina tamen quædam ſunt, quæ naturæ inclinatione, vel ætatis impulſu, aut conſuetudinis propenſione, vel temporis aptitudine minoris videntur periculi, & leuioris ſunt ſcandali; etenim, ſi mores ſequuntur temperamentum corporis, vt Philoſofico docemur axiomate, & ipſamet inſtruimur experientia, ex varietate temperamenti varias inde emanare diſpoſitiones ad vitia; minùs ſanè criminabiles erunt, minùſque periculoſæ culparum ſpecies, in quas prona magis peccatoris complexio, ætas, tempus, indoles, & conſuetudo præcipitat, quàm illæ, in quibus exarandis ſtudioſa magis concurrit voluntas. Minùs, inquit Hipp. periclitantur, quorum naturæ, ætati, conſuetudini, & tempori morbus magis conſentit, ideſt peccatum genui-

genuinos ſequens naturæ motus minùs habet diſcriminis; quàm quod naturæ prorſus eſt oppoſitum. Cholerica natura, ſi frequentiùs exardeſcat ira, & leui ſit occaſione indignabunda, cùm moribus hic, & vitium naturæ magis cognatum ſit, minùs affert diſcriminis, & damni, quàm ſi frigidum temperamentum pertinax ira comitaretur; bilioſi enim morbi promptè ſuccenſi, & celeriter extincti, vt facilè iraſcentium excandeſcentia, qua ſi pituitoſum corpus excandeſceret, longè maius ſubeſſet diſcrimen. Iuuenis, & ſanguineus ad venerem procliuis, cum morbus hic ſit ætati magis affinis, minùs portendit mali, quàm ſi ſenex libidine ęſtuaret. Bacchanales inter voluptates (quo tempore lætitia diffluunt vniuerſi) ſi quis plus iuſto comedat, liguriat, & inter epulas quandoq; inebrietur, cum morbus hic reſpondeat temporis conſuetudini minoris eſt periculi, & ſcandali, quàm ſi inter quadrageſimalia ieiunia, & dicata macerationibus tempora, ſpretis Eccleſiæ præceptis, liberè nimis, & ſordidè indulgeret gulæ. Si quis luſorijs artibus aſſuetus, aut obſcęno loquendi profluuio de more deditus, grande licet ſcandalum, minùs tamen periculoſum, quòd conſuetudinem ſequatur ſuam, quàm qui inaſſuetus ſe ludis implicaret illicitis, & turpi loquacitate Deum laceſſeret, & homines. Minùs igitur periclitantur peccatores, quorum naturæ, ætati, tempori, conſuetudini culpa magis affinis.

Verùm ne ad lapidem ſcandali allidamus, diſtinguamus quæſo periculi ſpecies, & tempora. Pericula alia intentionalia ſunt, & ab ipſa emanant peccatoris mente, ita vt qui peccat, & labitur in culpas non prorſus libero incidat aſſenſu, ſed propter naturæ analogam ad peculiare vitium propenſionem, vel ob procliuem ætatis indolem, vel conſuetudinis, vel temporis, & occaſionis prolectamento; & licet hæc crimina ob vehementiam obiecti commiſſa actualia reuera ſint, minoris tamen eſſe periculi cenſenda ſunt. Alia actualia pericula ſunt omnibus integrata peccati partibus illius completam eſſentiam ſequentia: Primo periculo minùs periclitantur peccatores illi, qui veluti allecti, & quaſi non attendentes ad vim peccati, neque integro concurrentes voluntatis aſſenſu, & malitia in Dei lęſioné minùs ſunt intéti; hi ſiquidé minùs periclitátur, quàm qui libera errant voluntate, & ſeria ratione ſcientes Diuinam lædi

Ma-

Maieſtatem, & nihilominus lædere malunt, quàm à cognito decli-nare criminis periculo; minùs quidem illi periclitantur, fateor, quòd comparatiuè digniores Diuina videantur Miſericordia: Ha-bent tamen & ſua etiam pericula actualia, ac præter Diuinæ Maie-ſtatis læſionem, licet reſpectiuè leuiorem, duo maxima ſuperſtant illis in hoc ſæculo diſcrimina, ad quæ natura, ætas, tempus, & conſuetudo paratos facit, reſurgendi ſcilicet à peccato difficultas, ne dicam impotentia, & ſi dabitur correctio, lubrica, & ferè co-gens ad relapſum propenſio, vt inquit Gregor. ſuper Euangel hom. 31. de peccandi conſuetudine ſic effatus. *Vſitata culpa obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſsit ad rectitudinem, conatur, & labitur, quia vbi diù ſponte perſtitit, ibi, cùm noluerit, coacta cedit*, & Tertull. de Vir-gin. veland. *Lex peccat violentia conſuetudinis, qua trahitur etiam inuitus animus*. Natura etiam propenſi ad crimina minùs periclitari viden-tur læſione prima, & prauo in Deum corde magis ſecunda. Ætatis inſuper incitamenta, licet minùs grauiter in illis periclitari videan-tur peccatores, & quadamtenus excuſabiles efficiant culpas, ſua tamen ſunt, & in illis pericula. Tempus idoneum, & culpis oppor-tunum mortales alliciens ad crimina, leuiora licet quoquo pacto conſtituat ſcelera, ſuo non caret etiam periculo: Vnde neutiquam fidendum, nec momento etiam quieſcendum, etiam ſi quid ha-beas, vnde culpam leui licet tegere poſſis excuſatione: Vbicunq; te, cùm peccaueris, ambient pericula, inquit Hipp. *minùs pericli-tantur*, ideſt de Diuina bonitate, & clementia magis ſperabundi; at periculum idcirco non excludit, minùs enim non adimit totum, ſed maiorem totius partem ſupereſſe ſignificat; etenim, ſi Paulus vas Dei electum pericula ipſis etiam in virtutibus, & in pęnarum, ac ſuppliciorum conſtanti tolerantia metuenda monuit, quid tu vas perditionis, qui naturam, ætatem, tempus, & conſuetudinem pro prauæ mentis delictis ad defenſionem producere præſumis, & nihil vltro? Quid hæc omnia, niſi vana ſubterfugia, quibus te mi-ſeratione dignum nimis audacter præſumis? ſi natura te pronum nimis facit ad crimina, diſce ſuperare naturam euitando diſcrimi-na vt Ambroſ. in lib. de Ioſeph his hortatur dictis, *Vince naturam di-ligentia, exclude torporis ſomnum, naturam nobis formare non poßumus, poſſumus diligentiam; ſi conſuetudo communem te rapit in criminis vſum,*

moribus

moribus oppoſitis vince praua conſuetudinis pericula, mores muta, vel ſolum quære contrarium, ne pereas in conſuetudinis vitio; ſi te ſollicitat ætas ad ſcelera, vel ſenilis hæc eſt, & ſenili debes ætatem comitari prudentia, vel iuuenilis, & effrenis, & ſeniorum debes præcurrere iudicium, vt ab imminenti te vindices periculo; ſi tempus incitat ad culpas, huius declinanda nequitia, cum omni tempore in hoc verſari tibi vel nolenti contingat, vt Paul. ad Cor. primo ſic habet: Fratres periclitamur omni hora. Si ergo omni periclitamur hora, omni nos hora in tutò ponere ſtudeamus, maius, minus, & omne vitando criminum diſcrimen, quia non vtile in pericula ſe conijcere; periculum enim, quod à natura ſubis, vel ab ætate, conſuetudine, & tempore peccandi, licet minus ſit, tantum tamen eſt, vt te poſſit in tartara protrudere; quid enim refert, virtus hoc, an illo pereat periculo? idem ferè eſt leui perijſſe, ac graui, cum par ferè ſit vtriuſque finis, æternæ nempe damnationis ſupplicium. Periclitamur omnes quandiù viuimus in peccato, & vnaquæque virtus ſuum periclitandi tempus habet, & obiectum, vt inquit Bern. in ſerm. *Periclitatur Caſtitas in delicijs, Humilitas in diuitijs, Pietas in negotijs, Veritas in multiloquio, Charitas in hoc mundo.* Leuiora igitur euitare diſcamus pericula, quæ natura nobis obtrudit, ętas ſuggerit, conſuetudo conſulit, tempus inſinuat, regio imprimit, habitus contrahit, ne grauiora ſubeamus diſcrimina. Sint quantùm velint cognata naturæ, ętati, & reliquis delicta, licet Hipp. his aliquid condonandum dixerit, & nos metipſi condonanda præſumamus, ſemper erimus periclitantes.

DISTICHON APHORISTICVM.

Si fluit ad culpam genius, mos, tempus, & ætas
Sana tot impulſus mens ſuperare poteſt.

APHO-

APHORISMVS XXXV. SECVNDÆ SECT.

In quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes craſsitudinem habere melius eſt: Harum ſiquidem extenuatio, & tabes mala, ſed ad purgationes per inferiora non parum tuta.

EXPOSITIO MEDICA.

IN morbis vniuerſis, etiamſi partes totam facultatis naturalis officinam conſtituentes non laborent, longèq; diſtet ab eis morbus, morbique minera, ſemper tamen & mente, & manu, & oculo explorandus illarum ſtatus eſt, & diſpoſitio; etenim, ſi morbus diſiunctus ab illis ſit, parteſque omnes naturales bene ſe habeant, ſpes ſemper in morbis, quiqui ſint, maior ſalutis affulget; at ſi aliqua ex precipuis malè affecta ſit, aut plures ex alijs, etiamſi ipſas morbus grauior, & magis principalis non occupet, illum tamen ſemper grauare magis ſolent, tanquam minera, à qua, veluti à cauſa antecedenti, ſeparatum ab his affectum exordium ſumpſiſſe ſuſpicandum, vt ſi quis febre continua eſſentiali, vel particulari aliquo vexetur affectu; & malè diſpoſita ſint viſcera naturalia, deteriùs ſemper habebit, quàm detentus eiſdem morbis, & illęſis conſtans viſceribus. Et quamuis Hipp. in pręſ. aphor. ab vmbilico ad imum ventrem totum dumtaxat dirigendum ſuadeat ſcrutinium circa naturalis regionis ſtatum, tradàtque quomodo ſecundùm naturam ſe habere debeat circa huiuſmodi infimam regionem, crediderim tamen de tota Hipp. ſenſiſſe totius naturalis officinæ diſquiſitiſſima obſeruatione, tactu, viſu, & ratione abſoluenda, num ſcilicet pręter partes ad vmbilicum attinentes hyppochondria benè, vel malè habeant, num aliquis in eis æſtus, tumor, durities, dolor, & inęqualitas deprehendatur, ſint ne muſculi omnes abdominis epigaſtrij, & hipogaſtrij tractabiles, ſuccoſi, & tegumenta carnoſa ſint, & omnia prout cuiuſque temperamento, & habitui congruere putabitur bonæ craſſitudinis, vt ex his conſtituta ven-

ventris inferioris externa mole, internæ quoque regionis benè, vel malè valentis ſumantur indicia; vlterius inueſtigando quidquid intus erratur per ſigna ſingularũ naturalis facultatis organa cõſtituentium partium diſpoſitiones indicantia: Cęterum quod ad æternam ſpectat partium imi ventris ſimmetriam, & bonam conſtitutionem, pręcipuum in pręſenti argumentum elicit Hipp. ex partium circa vmbilicum, & imum ventrem craſſiori, pinguiori, ac ampliori mole, inquiens. *In quouis morbo partes ad vmbilicum attinentes, & ventrem craſsiores eſſe præſtat*, & reuera tales expedit partes ſeruari, quales à natura non errante conditæ. Totam ventris inferioris ſtructuram ad cuiuslibet vniuerſalis temperamenti proportionem craſſam, carnoſis obtectam muſculis, ſolidam, probique ſucci plenam natura progenuit, vt partes omnes naturales, & imi ventris membranoſæ, minùſque inſita craſi calentes externa velut culcitra fouerentur, & calor illarum innatus, (à quo functionum omnium vis, & energia) minùs difflatus ſingulis abſoluendis nutritiuæ facultatis muneribus vegetior ſeruaretur. Vnde, ſi quo morbo contingat partes ſupra, vel infra vmbilicum, laterales, vel medias, illa ſcilicet, & hippochondria à natiua deflectere craſſitudine, extenuari, deprimi, & contabeſcere, vel inęqualia, aut dolentia deprehendi, malum, inquit Hipp. quòd fatiſcentem, vel impeditam, aut grauatam indicet naturalem facultatem, ſubuerſamque nutritionis partem functionis pręcipuam, qua neq; coctiones, neq; diſtributiones, neq; ſecretiones ſecũdùm naturæ leges fiunt non elaborato, vel denegato hiſce partibus alendis nutrimento. Quamobrem vel marcor, & extenuatio pręcipua, & peculiaris tantùm eſt huiuſmodi partium, vel vniuerſalis, & licet vix fiat, vt cõtabeſcentibus hiſce partibus, carnoſa moles integra ſeruetur in toto, poteſt tamen inculpata in reliquis ſeruari, vel non ita minui carnoſa ſubſtantia, ac in ventre: Vnde medica opus eſt diſquiſitione, quæ iudicet, & diſtinguat num partium inferiorum extenuatio ex ſe ipſa cęperit, an ad alios ſucceſſerit affectus, vt ad febres chronicas, vel ſummè adurentes, vel ad immodicas excretiones, & alui profluuium, ex quibus minus malum, niſi ab hectica febre, in illis enim colliquatio partium huiuſmodi cauſam ſequitur vniuerſalem, & vniuerſalis ferè ſemper extenuatio, qua reparata in toto depreſſus venter in priſtinam redire poterit craſſitudi-

nem, at in particulari non ita facilè, vt in confirmatis hippochondriacæ paſſionis morbis, in quibus venter ſemel depreſſus, & conſumptus ferè ſemper talis, & vix poteſt in priſtinam reſtitui molem. Quomodocunque venter exſuccus fuerit, & extenuatus, malum,& ægrè ſemper feret per inferiora purgationes, cum partes debito rore deſtitutæ,& exhauſtæ medicamenti vim ferre nequeant, ſed areſcentes magis, ſymptomatis varijs, torſionibus, cordiogmis, vellicationibus excruciabunt ægrotantem.

EXPOSITIO MORALIS.

Quàm ſit conueniens, & debita ſubordinatio inferioris ad ſuperiorem.

HVmanum corpus quid compoſitum eſt, varijs conſtans partibus, diuerſis inſtructum facultatibus, quæ omnes in tres pręcipuas veluti moderatrices, non ſecus, ac corporis indiuidui facultates diuiduntur tribus inſidentes pręcipuis partibus, vt cuique erudito conſtat, in Animalem ſcilicet, Vitalem, & Naturalem.

Animalis vices gerunt Reges, & Principes, ac ſupremi quique Dominantes,qui veluti tot capita vniuerſo ſuperſtant corpori.Vitalis munus abſoluunt Magnates, Miniſtri, & proximè ſubalterna Principum corona, qui cordis vices explent, ſpirituſque Principum dicuntur, quorum conſilijs velut à ſpiritibus irradiati Dominantes Regitiuam diffundunt in ſubditos lucem.

Naturalis officium ſeruile exercent demiſſiores quique ſubditi, plebecula, & abiectiſſimum vulgus, quod ventris inferioris munera, & partes omnes exprimit; nam ſicuti venter partium omnium corporis promptuarium eſt, ſic plebs vltima, & vniuerſa operariorum, ac ruſticorum turba, dum ſeminat, plantat, colligit, & varijs operatur artibus, & partibus omnibus ſuperioribus victum parat, & veſtitum, alterum veluti humani generis promptuarium: Vnde ritè plebs, & infima claſſis hominum ventri perbellè aſſimilatur. In omnibus igitur morbis partes ad hunc ventrem attinentes benè ſe habere, & natiuam conſtitutionem ſeruare, ita vt nec ſummè exſic-

cen-

centur, vt in atrophia, nec ſupra modum intumeſcant, vt in hydrope, & alijs tumoribus, bonum; ſic plebs, & claſſis vltima populi ſi debita ſe gerat fide, & obſequio erga Deum, & Principem ſuum, ſeruetque ſibi à natura, vel à Deo inditam craſſitudinem, artibuſq; ſuis exerceatur, ſibi, ſuoque Domino, & Principi inſudet, bonum; at ſi nimis incraſſata, vel opulentia, vel alia ſe ſe extollens ſorte ſuperbè intumeſcat,& petulanti infletur arrogantia,ſpretoque Dei, & Principis cultu in omne ſceleris,& inſolentiæ genus temerè prorumpat, diſruptis fręni retinaculis nec humana, nec Diuina poterit lege coerceri, neque per inferiora quæque correctionum pharmaca purgari, & niſi per cęlitus immiſſa flagella Diuino concurrente ſubſidio detur poſſe corrigere, vix humana vi, vel conſilio poterit domari. Neque modò plebis venter erga Principem bene ſe habeat expedit, ſed multò ſubmiſſiùs prȩſtat erga Deum in morbis omnibus, in delictis ſcilicet vniuerſis ſe gerat, & potiſſimùm in his, quæ ſpectant ad Fidem, in quibus expedit Plebem, Ruſticos, & Idiotas craſſiores habere ventres, ideſt in ſua cognitionis craſſitie permanentes id omne recipere, credere, & ſuſtinere, quod Sancta præcipit Eccleſia; etenim ſi plebs ita ſe habeat, bonum; ſi verò macies imum conſumpſerit ventrem per Pſeudoprophetæ alicuius tumultuariam tubam,& erronea doctrina infimam inquinauerit hominum gentem, malum; nihil enim magis conducit ad hȩreſis originem,& propagationem, quàm per initia in ignarum vulgus, & idiotas iacta zizania, quæ cum in ſolum cadat fruticandæ prauitati aptiſſimum; quid mirum, ſi vix infimam iactum in plebem falſitatis dogma breui tam copioſo germinet incremento? nec deſunt (proh dolor!) proxima in Germania, Belgio, & alibi ſerpentia, & fixa Caluini, Lutheriq; ſceleſtiſſimorum hominum hȩreſis Authorum exempla: Hi ſiquidem,& quotquot hæreticales ſtatuerunt ſectas primum errorum ſuorum ſemen in idiotarum aures, velut in fertile ſolum fructum ſtatim intentæ prauitatis producturum iecere, mox laxioris vitæ iacta libertate,ſenſim in altiores ſerpſit error potentias, donec ad offuſcandas ſanas Principum mentes acceſſerit, nec vltro valuit ipſos per inferiora tentata purgatio ad priores,& puriores reuocare conceptus, cum parum tuta ſucceſſerit, & ſingulis ſuccedat hæc diſcriminoſa pharmaci propinatio: Vnde niſi per ſuperiora datis pȩni-

tentiæ medicamentis illuminentur, nihil ſupereſt illis de ſalute ſperandum. Error hinc totus, à quo tot deliria, tot S. Romanæ Eccleſiæ contemptus, tot Catholicæ Fidei perturbationes exortæ, quòd partes ad imum generis humani ventrem attinentes, Ruſtici ſcilicet, Plebs indocta, & vniuerſa Idiotarum turba non benè ſe habuerint ad ſuos Superiores, nec in ſua mineruæ craſſitie perſtiterint, ea omnia deuotè colendo, quæ ſancta, & orthodoxa Fides indubitatè credenda ſtatuit. Hinc etiam tot per vulgum errores, tot peccandi licentiæ, quòd partes ſuperiores cęleſtibus diſciplinis inſtructæ, & ſacris ſępius nutritę pabulis viſæ ſint à proprio munere deflexiſſe, quòd Principes, & eorundem Miniſtri plerumque de Diuinis minùs ſolliciti peſſimum viſi ſint tribuiſſe inferioribus exemplum; quapropter velut ipſa etiam facultas naturalis vitali non irradiata ſpiritu, minùs ſuffulta animali errare ſimul cum ipſis compellitur, ita quidem infima Plebs tanquam venter inferior craſſior, & minùs edocta, nec Principis exemplo, neque Miniſtrorum conducta zelo prauos ſępiſſimè labitur in errores, ſuſtinet, & Fide tandem, quam Deo profitebatur poſthabita, ſacratum etiam Principi ius violare contendit, quod non paucis extra Regiones noſtras eueniſſe compertum, vbi gens vulgaris, & plebs vilior Religionis mutationem affectaſſe viſa eſt, & in præſenti hæreſim pro veritate ſuſtentat. At noſtro ſub Cęlo, Dei gratia, ab ipſius orthodoxæ Fidei ortu in præſens vſque ſolido adeò pietatis alimento per Regios Duces quouis tempore nutrita fuit Catholicæ Legis integritas, vt ad ſummam iam dudum creuerit Euangelicę obſeruantię proceritatem, & vegeta nunc ſub feliciſſimo floreat Regalis Celſitudinis imperio VICTORII AMEDEI II. & Regiæ Matris MARIÆ IOANNÆ BAPTISTÆ, qui incorrupta Fide, zelo, pietate, & ſanctitatis exemplo ſubditos populos Chriſtiana licet in Religione firmatos, verbo tamen, & opere firmiores in Euangelico roborant cultu, nec quidquam, quod Romana pręcipit Eccleſia non obtenebrandum modò, ſed neque mente concipiendum permittunt, & ſi quæ deprehenderetur in Religioſiſſimis populis hęſitandi procliuitas, (quæ cum nulla extet, quòd nullam ſuis didicerint à Principibus) acriter plecterent; inconcuſſus ob id in ipſis Catholicę Fidei cultus, ac veneratio triumphat.

Expoſi-

Expoſitionem noſtram altero claudamus aſſumpto præfato non abſimili, in quo ſicuti humanum corpus tres diuiſimus in claſſes, liceat in eo imperantem animum tres etiam in partes dirimere, vt priſci diſtinxerunt Philoſophi; quarum primam in Palladis arce, hoc eſt in cerebro locauere vitæ humanæ moderatricem cęleſtem, ſerenam, ſemperque Deo proximam, vbi tranquillæ, & honeſtę habitant voluntates; cęterarum duarum alteram in pectore, vbi iraſcibilis viget potentia, & eiuſdem acuuntur impetus; alteram ſubter præcordia, & in ventre inferiore, vbi concupiſcentiæ, & libidines accenduntur. In hac poſtrema, in imo ſcilicet ventre, vbi concupiſcentiæ ſedes eſt, liceat verſari, vt ſingulis innoteſcat partes iſtas ad imum ventrem attinentes craſſiores ſemper eſſe oportere, non tenues; & emunctas animi ſcilicet concupiſcibilis motus in hoc, vel illud illicitum obiectum promptè euolantes, ſed caſtas, & craſſas in omnibus luxuriæ ſuccendiculis, & tentationibus eſſe ſeruandas; aliter ſi libero nimis genio, & corde in omne placitum excurrentes ſe figent, tabe tandem concident emaciatæ, qua non modò tutæ medicę reuera ſuccedent per inferiora purgationes, ſed & quęlibet etiam per ſuperiores exhortationes; & pias monitiones propinata purgatio irrita, & fruſtatoria nihil proficiet. In omnibus igitur morbis, tentationibus ſcilicet ad luxuriam caue ne partes ad imum ventrem attinentes amittant craſſitudinem, ideſt ne animi concupiſcibilis motus ſancta deſtituantur conſtantia, qua quidem deperdita totus effluet ſpiritus, & Charitatis ardor ſine fructu totus euaneſcet, nihil ſacra proficient conſilia, quouſque mala plurima ſuadeant quam increpantium zelus conſequi non valuit correctionem, vt Prou. 21. dicitur. *Liuor vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribu s ventris.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Lex hominum, Superumq; ſimul manet integra ſemper,
Si ſuperæ meritum pars dabit ima locum.

APHO-

APHORISMVS XXXVI. SECVNDÆ SECT.

Qui ſalubritate corporum ſunt præditi, ij purgante hauſto medicamento ſtatim deficiunt, vt qui prauo vtuntur cibo.

EXPOSITIO MEDICA.

Non eſt opus valentibus Medico: Redemptoris eſt oraculum, quo tota huius aphoriſmi abſoluitur explanatio. Sana corpora medicamentis exagitanda non ſunt, non modò in latitudine ad perfectiorem ſanitatis gradum proxima, ſed & quæ à medio ad minùs perfectam accedunt, vt qui prauo vtuntur cibo, ſani tamen ſunt: In vtroque ſuppoſito ſuſpecta, ne dicam calamitoſa purgatio; ea potiſſimùm, quæ validioribus expletur pharmacis, quòd ſanitate primigenia, vel à morbo ſuperſtite gaudentes epoto medicamento deficiant. Primò namque, qui numeris omnibus abſoluta fruuntur valetudine hauſto cathartico deficiunt, quòd epotum ſemel pharmacum cum feriari nequeat, neque ſuo fruſtrari poſſit fine, prauus interim, & analogus nullus occurrat purgandus humor, quem trahat; & educat, corporis inuadit ſubſtantiam, viſcera incendit; pungit, ſanas acrimonia ſua ferit partes, benignos exagitat ſuccos, impellit, trahit, & nullo delectu, quod non erat in vitio, ſanguinem plerumque ipſum, vi, turbationeq; non leui prolicit, torſiones, cordiogmos, anxietates, & exolutiones excitando. Quamobrem malè agunt, qui vt meliùs degant, vix aliquo, aut nullo, ſeu leuiuſculo tacti incommodo voluntariam protinus adeunt purgationem. Qui liber eſt, & ſano corpore, nullis ſe purgationis legibus deuinciat, nec ad leuem quamlibet ſanitatis læſionem ſtatim de purgatione cogitet; peſſima enim praxis eſt, vbi corpora ſana ſunt, leui de cauſa anniuerſarijs ſe ſubdere purgationibus, quæ ex Hipp. conſilio illis tantùm competunt, quibus ſtatutæ per annum de more ſuperueniunt ægritudines, quos vere, & autumno purgandos conſulit; vere quidem qui per

ęſtatem ægrotare conſueſcunt, autumno verò, qui per hyemem in morbos incidunt. Exoluuntur vlteriùs, & ſumpto purgante defi-ciunt; qui prauo vtuntur cibo, quòd prauis ſcateant humoribus, nullam tamen vim naturæ inferentibus; quandiu ſub illius fræno ſunt, quos ſi purgante medicamento quandoque moueri contige-rit, etiamſi pharmacum eouſque validum non fuerit, vt profuſio-rem ciere poſſit excretionem, impetu tamen ſuo data porta, ple-rumque laxo adeo ruunt motu, vt repentinam protinus excitent exolutionem; ex commota namque veluti camarina exhalantes prauorum humorum ſentinæ præcordia vapore feriunt, ſenſiles partes permeando mordacitate ſua lancinant, & doloroſas inferunt defectiones, in quas facilis eſt lapſus ob virium in corpore prauis ſuccis referto, & cacochimo inſeparabilem imbecillitatem, qua ſæpe ſuademur in purgationis indicatione ipſam moderari, & ſum-mam vitioſi ſucci molem mitioribus, & repetitis pharmacis ſenſim demoliri, quàm repentina, & validioribus medicamentis vires conterere, corpus, & humores valido motu concitare.

EXPOSITIO MORALIS.

Laudabiliſsimum eſt diſsimulare, & parcere iniurias.

AMara inter pharmaca, quæ menti dantur propinanda illa-tæ certè iniuriæ ſunt, quæ medicamenti ad morem ſuauiſ-ſimos corrumpunt innocentis animę guſtus, quibus hauſtis ſępe in iracundas paſſiones exoluitur, delinquit, & deficit, non ſecus ac ſana corpora purgante ſumpto medicamento: Hæc ſiquidem, & quæ prauo vtuntur cibo epoto cathartico ſtatim deficiunt, ſic in-nocens animus, hauſto iniurię medicamento ſtatim delinquit, & exoluitur, ille potiſſimùm, qui prauo vindictę pabulo vti decernit. Durum (fateor) inculpatè viuentes nec patratas, nec fortè vnquam excogitatas culpas ſibi imputatas audire, vel experiri: Vnde quid mirum? ſi tot inter lęſos innocentes occurrunt pauci, qui hauſto iniuriæ pharmaco non delinquant, ac in vlciſcendi voluntate non deficiant; inditus enim adeò eſt, & congenitus à natura ad vindi-ctam ſtimulus, ęſtus, & libido, vt ſtatim ac quis iniuriam ingra-tum

tùm veluti pharmacum indignabundus ebibit, illud nec momento retentum per reciprocam iniuriam in contumelioſi faciem expuere, & eructare contendat; hæc vlciſcendi prompta propenſio prauus eſt victus, per quem delinquunt animæ, & in peſſimam damnationis defectionem deuoluuntur. Iniuriæ pharmacum in mentem cadens inculpatam, cum familiare non inueniat vitium, in quod inuehat, nihilque obuium, quod in contemptum trahat, ſępe ſanguinem per rixas, & contentiones elicit, & effundit: Vnde quicunque iniuria fuerit affectus, prauo non ſtatim nutriatur vindictę pabulo, ne ſcilicet opprobrij medicamentum ſtatim in illatorem vindex reijciat; ſi neque deficere, neque exolui peroptat, ſe non aliter muniat, quàm ſumpto pharmaco ſe prętueri ſolent ægrotantes, qui ne protinus hauſtum reijciant purgans, ex Medici conſilio os clauſum ſeruare ſuadentur, nec liberè nimis loqui, donec medicamentum ad ima ventris deſcenderit; ita quidem, qui iniuriam acceperit, ne protinus vlciſcens ipſam in hoſtem reijciat, ex conſilio Chryſoſt. ſup. Matth. 5. poſt aſſumptum hoc inſuaue iniuriæ catharticum os claudat, ſileat, & abundè vindicatus erit, ſic ille ſpondet hiſce notis *Si vindicari vis, ſile, & funeſtam inimico dediſti plagam*, nec liberè loquatur, niſi cum iniuria de mente ad imum obliuionis deſcenderit; *Glorioſius enim eſt* inquit Greg. in moral. *iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare, & ſi ſeruus conuicium dicat, iuſtus taceat, ſi infimus iniuriam faciat, iuſtus ſufferat, ſi pauper criminetur, iuſtus non reſpondeat.* Hæc reticendę, & retinendę iniuriæ, medicamenti ad inſtar methodus eſt tutiſſima, confirmata Redemptoris exemplo, qui ſaturatus opprobrijs, tot falſis accuſatus teſtibus, tot execrandis laceſſitus iniurijs, tanquam Agnus ad occiſionem ductus, non aperuit os ſuum. Aſſumptum pharmacum quid quæſo boni poteſt moliri, ſi mox hauſtum eructetur? quid inde leuaminis? quid emolumenti ſubſequitur? nihil ſanè, niſi inanis corporis, & humorum commotio, & virium iactura; quid ſimiliter epota, & non retenta iniuriæ medicina poteſt in animæ ſalutem operari? quid, ſi confeſtim per reciprocam exploſa contumeliam, proderit? nihil certè niſi fruſtraneam animi excandeſcentiam.

Doles (video) quòd innocens cum fortè ſis, per contumeliam nequam reputeris: In querula lamentatione ne pergas vlteriùs, ver-

te mentis oculos ad Chriſti, quem ſequeris, innocentiam, & nihil horum formidabis, ſed delectaberis in opprobrio. Audi attentè ex prefato Chriſoſt. ſuper Matth. 5. hauſtæ, & non reiectæ iniuriç emolumentum: ſic ille *Quidquid à quolibet hominum paſsi fuerimus iniuſtè, aut remiſsionẽ capiemus omniũ peccatorũ, aut ſi tanta in nobis delicta nõ fuerint, clarioribus honorabimur coronis*. Quod ſi accepto iniuriæ pharmaco, tuum ſcrutatus animum, culpabilem fortè deprehendes, hoc ſolum pro demulcendo acceptæ plagæ dolore ne ſtatim deficias, & patienter feras, vtiliſſimum erit linimentum, vt Greg. in moral. *Patienter illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortaſſe in ſe habeat, in quo ipſe etiam debeat tolerari, & quaſi aqua ignis extinguitur, cùm ſurgente animi furore ſua cuique ad mentem culpa reuocatur*. At *ſi iuſtus es, & malediceris*, inquit Aug. ſuper pſal. *hoc tibi præmium reputatur*.

Caue igitur quiſquis iniuriæ pharmacum innocens hauſiſti, caue (repetam) ne in tantam exoluaris animç imbecillitatem, vt lçſus ſtatim de vindicta cogites: Hoc prauo vtens victu deficies, quando vitioſis refertus vindictç ſuccis poſtremo, & horribili mortis calice purgandus eris, & commouendus; vindictam ſcias dexterç Excelſi fuiſſe ſeruatam, nec humanis Deus illam patitur manibus exerceri: *Mea eſt vltio*, inquit Dominus; *& ego retribuam eis in tempore*; Hoc igitur tempus expecta, vt ſine te ille vindicet, qui & offendentis eſt Dominus, & offenſi; nulli malum pro malo redde: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*, inquit Apoſt. ad Rom. 12. Da, ſi furit, iræ ſpatium; da conſilio tempus, fræna impetum; differ; deſinet hæc, vel leniteſcet, breuis hora iratum ſedat mare, neque pigeat amarum opprobrij calicem haurire, neque hauſto deficias, nec exoluaris in conſtantia, non deficias in amore, non exoluaris in conſilio, non deficias in venia, nobiliſſimum enim genus vindictç eſt parcere.

Hauſtum iniuſtè contumeliç pharmacum fateor varias intus animi procellas excitare, & eoſdem ferè motus inferre, quos propinatum ſano corpori catharticum; nec me latet iniuriç virus eſſe omnes commouere potentias, iraſcibilem primò ſuccendere, vindictæ aculeis appetitiuam concitare, memoratiuam dolorifica recordatione lancinare, ratiocinatiuam per vlciſcendi modos circumactá in vertiginem obducere, voluntatem triſti irritatam lçdentis obiecto

ɛ̃o in odium figere, totam denique facultatum animalium œconomiam hoc hauſto potu turbari, impelli, ſubuerti, & exolui: fateor hæc omnia vnius iniuriæ incitamenta notari, & incommoda; at hæc non omnia ſequuntur in omnibus, neque ſemper; ſciſcitor tamen, ſi quando fiant, quibus in animis, quo in pectore tot potentię tumultus, in illis reſpondeo, qui ignauo, abiecto, & terreno ſunt animo, & nihil grandis, nihil ſapiunt magnanimi, nec ſibimet norunt imperare, & ſic nec quotquot obtruduntur iniuriæ impetus moderari. At quibus excelſior animus eſt, & vt ita dicam Diuinę ſuę eſſentię conſcius, non ita facile laxatis furori habenis, in tot turpes, & abiectas actiones ferri prohibet potentias. *Inſuperabili loco ſtat animus*, inquit Seneca in epiſt. *inexpugnabilis eſt, quem multis iniurijs laceſſitum fortuna non transfixit*. Quò maiores iniurię ſunt, & quò magis nos commouent, eò magis prudentię munus eſt iuſtam indignationẽ iudicij maturitate, vtilitatis, ac proprij, vel publici cõmodi cõſideratione moderari; *Victor enim ſui primam meretur coronam*.

Iraſcibilis ęſtuat potentia? ſine lęſione deferueat, ex Pſalmiſtæ methodo *Iraſcimini, & nolite peccare*. Vindictæ feriunt deſideria? coerceat effatum Eccleſ. 28. *Qui vindicari vult à Deo inueniet vindictam*. Si vindictam lęſio memorię ſuggerit, conſopiat obliuio; nulla enim generoſior obliuio, quàm offenſę: vt Prou. 31. ſic habetur *Bibant, & obliuiſcantur*, bibant ſcilicet iniurię catharticum, & obliuiſcantur vindictæ, vt etiam in Leuit. 19. ſic habetur *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Vertiginoſa circuit ratio, vt pro malo malum retribuat? vitioſum compeſcit motum Paul. 1. Theſſal. 5. hoc monens effato *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper, quod bonum eſt, ſectamini*. Si facultates denique ſingulæ propter acceptam iniuriam tumultuariæ concitantur, motus omnes compeſcit Paul. orans, & hortans, vt impleamini agnitione voluntatis Dei in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali: Voluntas autem Dei præcipua, non conſilium, ſed decretum vim legis habens, vt inimicos diligamus, & fratribus iniuriam ferentibus de corde dimittamus, ſi peccata noſtra coram Patre ſuo omnia dimiſſa volumus.

DISTICHON APHORISTICVM.

Deficit illatam ſumens mens integra noxam,
Vltrix accepti ſi velit eſſe mali.

APHO-

APHORISMVS XXXVII. SECVNDÆ SECT.

Qui integra ſunt corporis valetudine, medicatione ægrè, moleſtèque ferunt.

EXPOSITIO MEDICA.

VErnaculus Hipp. mos eſt, vt ſingulis patet illius opera percurrentibus, vt particulari poſito exemplo de vniuerſali ſit ſenſus, & quoties iam prolatum axioma denuo repetit Auctor, ſcias hoc ſummi ſemper eſſe ad rem medicam momenti: Vnde non mirum, ſi proximè expoſitam ſententiam reſumit, & roborat in pręſenti; fas enim erat tantæ neceſſitatis, & vtilitatis ad therapiam pręceptum nouiter exponere; ingeminat equidem veritus fortaſſe antecedentem aphor. particulari nimis lege arctatum, dum ſana corpora, prauoq; vtentia alimento, hauſto pharmaco, in ſyncopes, & lipothymias exolui inquit, alia non proferens incommoda, quibus bene valentia corpora, ſumptis purgantibus, proſterni poſſunt, & fatiſcere, vt in pręſenti generali magis propoſitione oſtendere videtur, dum vniuerſim ſana corpora medicationes ægrè, moleſtèque ferre pronunciat: Medicationes inquit, genericè omnia medica complectens pręſidia, quòd plures ſanis corporibus medicamento purgatis ſuperuenire poſſint ægritudines ſingulis debellandæ medicis inſtrumentis, vel quòd ſalubritate corporis gaudentes ſingula reſpuere teneantur remedia, & reuera, ſi ſumptum catharticum non habeat in quod agat, conſtat ſanè nihil conferre, niſi ad euertendam totius corporis œconomiam, viſcerum pręcipuè naturalium, quæ integras purgantis vires, & virus ſuſtinent prima, quibus alteratis, & agitatoria purgatione fractis, quot ſuccedere poſſint incommoda, nuper abundè demonſtratum. Medicationes igitur omnes ſanum corpus non curet, Chirurgicas ſcilicet, Pharmaceuticas, & Dięteticas omnes horreat materias, licet hæc poſtrema minori cum diſpendio ſuſcipi poſſit & exerceri, quàm reliquæ, cum morbi ferè omnes ab vna repletione ſua ſumant primordia, cui è directo moderata competit inędia. Cęterum re-

petam quod mox protuli, qui ſanus eſt, nullam cum medicamentis ſocietatem ineat, neque anniuerſarias quęrat purgationes, neque enematum frequentiam, neque aliud quidquam, quod ſuauem ſanitatis armoniam poſſit euertere; frequens enim clyſteris vſus, & medicamenti naturam tandem adeo torpidam conſtituet in excernendi munere, vt niſi ſollicitata, excretionem vix aggredi contendat. Pharmacorum etiam familiaris vſus viſcera tandem detonat: Vnde liberiùs in pharmacia verſandum non eſt, niſi quis aliqua detentus cauſa nec motus libertate, nec aeris acceſſu frui poſſit; huic enim exercitationis vicem, & leuia eccoproſtica, & clyſteres, & cucurbitulæ poterunt compenſare, vti excelſæ cuidam Matronæ in pręſenti inclita Vrbe conſuetudo eſt aluum frequenti laxare clyſtere, vel ſubducere pharmaco: Huic equidem quoquo modo condonandum; ſana equidem cum omnino non ſit, & ambientis occurſu manifeſtè lędatur, ad hęc omnia coactè magis, quàm voluntariè compellitur, neque criminandus mos eſt, ſi ter, quaterue in hebdomada clyſtere detergenda viſcera curet, vel cathartico. Sunt etiam qui phlebotomiam leui quęrunt occaſione, vix turgidas inſpiciunt venas, corpus rubens, æſtus aliquos, & totius corporis incaleſcentias, vt ſtatim de miſſione ſanguinis decernant; futiles quidem arreptæ occaſiones, quibus in tantam ſenſim creſcunt phlebotomiæ libidinem, vt refrigeratis viſceribus, in deplorabilem tandem tranſcant hydropem, vt nobili cuidam ex Taurinenſibus fęminis eueniſſe compertũ,quę vt pallorem faciej ad venuſtatem ſibi conciliaret, ſanguine ſępiſſimè extracto,innatum adeo viſcerum calorem exhauſit, vt hydrope tandem ſubmerſa miſerè perierit: Hæc itaque iunior intra 45. annum deceſſit, cui bis centies ex iuſta computatione toto vitæ ſpatio ſanguis fuerat eductus, & aliquando cum celebrata fuiſſet eius venæ ſectio, ſanguiſque ad optatam non fluxiſſet copiam, poſt Chyrurgi diſceſſum ipſamet mucronato ligno inciſionem venæ dolorosè adeo dilatauit, vt præ dolore, & affluente ad exhauſtam partem ſanguine introducta totius praua diſpoſitione, parte debilitata, & eiuſdem natiuo diſſipato calore, breui ſpatio brachium horrida detentum necroſi cum toto corruiſſet, niſi celeri adiuta fuiſſet Chyrurgico pręſidio, cuius ope per quatuor adhuc annos ſuperſtes euaſit; at mirum dictu! nec

hac

hac abundè ſatis inſtructa lectione, in prauo ſuo perſiſtens delirio, pluries deinceps phlebotomata tandem interijt: Sanguis enim vitæ fons, & theſaurus eſt, neque audacter nimis debet extrahi, niſi magna præſens, vel imminens cogat occaſio; at cùm in vitio eſt, quouis modo peccet, infeſtiſſimus hoſtis eſt, & larga pro cuiuſque viribus manu debet euacuari; at quandiù ſanum corpus, & ſanitas viget omnibus integrata bonæ valetudinis partibus, ab omni abſtinendum medicatione tanquam noxia, & difficilis tolerantiæ.

EXPOSITIO MORALIS.

Pœnas ab innocenti ægrè, & moleſtè tolerari.

Repetit Hipp. repetam & ego antecedentis aſſumptum. Iniuriam pharmacum diximus innocentis palato valde amarum, quo ſumpto exolutiones ſequi, & his præcipuè, qui prauo vindictæ pabulo vtuntur. Peſſimus reuera cibus animæ vindicta, & qui hac nutriuntur eſca in ſyncopes facilè delabuntur, in præcipitem ſcilicet virium lapſum. Qui enim vindictam appetit, & verè vindex explet manu, vel lingua, quod mente conceperat malum, hic virium omnium, animæ, corporis, facultatum, & æſtimationis facit iacturam: Animæ quidem, dum per vindictam gratiæ dono amiſſo, quod per tolerantiam & conſeruare, & conſequi poterat, animæ vim, roburque deperdit, quinimo latiori facta per vltionem ad vlteriores culpas ſemita, altioribus obrutus flagitijs deficiet. Quantùm verò vltor omnis exoluat etiam corporis vires, ſatis ſignant tot, quibus vindices pro explenda vindicta ſubire non formidant noxas, nec inediæ, nec ambientis inclementiæ, nec alijs parcentes ſanitatis, & vitæ periculis, in quæ non raro ruit impauidus vlciſcens; nec facultatum, nec opulentiæ vires integræ ſeruantur vlciſcenti, ſed ſuas etiam patiuntur exolutiones; nam præter rem ipſam, quæ pro conſequenda vindictæ palma diſperſa conteritur, ſequitur ſæpe poſt expletam vindictam virium omnium rei domeſticæ lapſus, ſi vindictæ potiſſimùm fames aduerſarij ſanguine fuerit ſatiata, tunc enim certiſſima per fiſcum vniuerſæ iactura ſubſtantiæ, qua purgatus in deplorabilem incidet miſeriæ ſyncopem, quinimo ſi cum facultati-

bus

bus fiſco dabitur poſſe vindicem coarctare ſanguinarium, non opes modo, ſed æſtimatio, fama, & vita ipſa exemplare patietur deliquium. Vide quanta ſubeat vltor animæ, corporis, ſubſtantiarum, & honoris diſcrimina, quàm breui horum faciat omnium iacturam. Contraho rem noſtram, & reſumo, ſi ſanus es, & iuſtus, cum, velut pharmacum, potandam tibi dederit proximus iniuriam, hanc bibe libenter, nec te torqueas ad vindictam; peſſimus enim hęc cibus eſt, quo ſumpto in ęternum deficies.

At propiorem accedamus ad pręſentis aphoriſmi expoſitionem: Inquit enim Hipp. diffuſa, & generaliori ſententia eos, qui integra fruuntur valetudine, hauſto pharmaco, non modò in deliquia, & exolutiones incidere, ſed vniuerſim: medicationes omnes à ſano corpore ęgrè, moleſtèque ferri pronunciat medicationes in pręſenti, cęteris ommiſſis, pro peccati pęna, & delinquentis correctione ſumamus, vt eluceſcat aphor. veritas in his, qui de culpa plerumq; corriguntur non ſua, deque vitijs arguuntur, quibus non ſunt inquinati: Hi ſiquidem auribus hauſtum correctionis pharmacum ęgrè, moleſtèque ferunt, inconſultum correptoris zelum minimè ducentes exoluuntur, non ſecus, acſi potandam daret iniuriam, & correptorem redarguunt, repercuſſaque corripiunt increpatione. Quocirca antequam fraternam quis aggrediatur correptionem de fratris vitio certiſſimus ſit, nec aliorum acquieſcat inſtantiæ; inuida enim ęmulatio res frequenter effingit, & molitores correctionis quęrit falſa perſtita corrigendi anſa, & ita ſępe denigrata exoluitur innocentia.

Qui vlteriùs integra corporis gaudent valetudine, iuſti ſunt, quibus medicationes omnes moleſtæ, qui nempe innocentes delicti pęnas ſubeunt non patrati. Quàm ęgrè ferant miſeri nec ipſis debita, nec emerita ſupplicia, rabioſa teſtatur nonnullorum deſperatio, qui falſó accuſati, vel tormentorum atrocitate quaſi cōactè ſcelus fatentes non commiſſum, vel longa, & immani carceratione vexati, ęrumnoſam vitam cum morte mutare flagrantes non acta confitentes flagitia, vel iniquiſſima teſtium depoſitione oppreſſi, opprobrioſo virium omnium lapſu è vita violenter ſublati ſunt. Sana huiuſmodi corpora tot ſubijſſe pęnas, tot iniqua pertuliſſe opprobria ęgrè, moleſtèque ferunt non mortales modò, ſed & Superi, qui

miſe-

miſeri iniquè damnati innocentiam noſcentes, infamem mortem ęterna coronant gloria, illorum perfidam deprimentes inſcitiam, qui non cognita medullitus Rei cauſa damnationis vota perſoluunt. Caueat ergo vniuerſa Iudicum claſſis de ſuppoſito criminoſo ſententiam, votum, ſenſumque prolatura, ne quandoque probationes falſis inhęreant teſtibus, ne alterius metu, ſpe, aut vindicta iudicetur. Caueat in ſcrutandis Rei partibus, ne quid ad eius leuamen, & integritatem conducens ſubticeatur, vel reticendum curetur; hanc enim medicationem ſano, & innocenti animo adhibitam ægrè, moleſtèque feret Deus, Princeps, Detentus, & omnis humanorum Iudicum cętus, & cum Daniele de mala iudicatione conquerentur.

DISTICHON APHORISTICVM.

Inſontem pœnas ægrè tolerare videmus:
Corporibus ſanis ſic medicamen obeſt.

APHO-

Paulò deterior cibus, & potus, ſed ſuauior meliori quidem ſed ingrato præferendus.

EXPOSITIO MEDICA.

Aegrotantium palato, quamuis ad abſurda ferri videatur, laxanda quandoque Medici indulgentia; indiuiduales enim ſunt ſingulorum naturæ, & proprietates eius ſpecificas integris notionibus aſſequi humanum non eſt, talia plerumque genius appetit, quæ ratio damnoſa iudicat, cùm tamen aſſumpta internis amica diſpoſitionibus per ſalutares innoteſcunt effectus, vnde guſtibus ad examen etiam deprauatis nonnunquam indulgendum, præferendaque ſunt iuxta mentem Hipp. in prçſenti paulò deteriora, ſed iucunda alimenta melioribus, ſed ingratis. Verùm priùſquàm ad deteriora laxetur auctoritas diſtinguendæ ſunt, quantùm humana poteſt perſcrutatio, alimenti, & appetitus ſpecies; vel enim, quę auidè expetuntur potiones, vel epulę ſunt naturę familiares, & ęgrotanti antequam infirmaretur olim conſuetæ, neque diſſonant ab alimentis toti congruentibus ſpeciei, & tunc Medicus laxiori poteſt gratia indulgere, ſi potiſſimùm intenſior ſit appetitus vis, & tanta, vt conſtans ſit ęger, & ſollicitus, ac valde auidus in expetendo, tunc tametſi deterior fuerit cibus poterit in præferentiam melioris permitti, dummodo ſeruetur Auctoris cautio, vt ſcilicet paulò deterior ſit, hoc eſt non multùm lęſurus, & facilè reparabilis ſit lęſio, aliter non indulgendum, & tantò minùs gratificandum, ſi quidquid expetitur, non intensè, nec conſtanter appetatur; hic enim appetitus, cum animalis velleitas potiùs ſit, quàm genuinus ab intrinſeco naturę motus, gratioſa non erit libertate abſoluendus, & multò minùs, ſi, quod appetitur, neque familiare ſit ſpeciei, neque peculiari arrideat temperamento. Cęterum ſi appetitus verſetur circa conſueta, & naturæ communi, vel peculiari familiaria, dummodo morbi conſtitutio illa non omnino prohibenda ſuadeat, & leuior putetur, vt diximus, inde

inde emanatura leſio, deterior, ſed iucundior meliori, ſed ingrato poterit preferri, quòd ventriculus auidiùs trahat, contineat arctiùs, meliùs conficiat, ocyùſque deſiderata diſtribuat alimenta. Languet adeo plerumque appetendi vis, vt niſi aliquo, etiam rudi, excitetur cibo, vix ad appetendum erigi poteſt potentia: Vnde ſepiſſimè acetaria, vel alia permittimus obſonia, ac alimentorum preparationes tales, & talibus concinnatas delicijs, vt diſpoſitionis modus, licet quoquo pacto deterior, ſopitam poſſit excitare appetentiam. Diſtinctione igitur opus eſt antequam ad deteriora egrum laxemus alimenta; at quod non rarò Medicis ſpectandum diſtinctio ipſa eſt, quam ipſemet exprimit egrotans; etenim ſi verè propenſus, & auidus ad abſurda naturæ motus eſt, facilè diſcernitur edendi modo, vitioſa ſcilicet ne ſit, & falſa appetentia, an à natura ipſa intenta; ſi namque dum manditur cibus, nihil, aut languidè ventriculus trahat, præconceptuſque non reſpondeat guſtus, ſed lenta, ac inſuaui maſticatione ingerendi vis langueat, auerſantis adhuc ventriculi, & naturæ ſignum, arguitque appetitum animali magis, quàm naturali proritatum incitamento; ſi verò in ipſa maſticatione, vel ſorbitione aliquod præſentiat eger delectationis titillamentum, & præmanſum vlteriùs cibum ventrem perſentiat auidè trahentem, tunc ſanè genuine, & verè naturalis appetentiæ ſumet indicium, nec erit illa primis explenda cibarijs, ſed ſat erit, vt facta cibi gratioris, ſed minùs boni experientia attendatur vtilitas; etenim, ſi debito interiecto temporis ſpatio, horarum, ſi ſemel indultum fuerit, dierum, ſi pluries, ſi nihil damni ex malo prodijſſe cibo comperies, in alias iterari poterit cibationes, & eouſque, quò vires ex amica nutritione recreari videbantur, corpuſque proficere; at ſi deterior cibus oblatus ad melioris preferentiam, veluti ſuauior deludet vtilitatis expectationem, ſubtrahendus mox erit, etiamſi viua perſeueret circa eundem appetentia; ſi noxa tamen leuis fuerit, & emendabilis, prima nihilominus perſiſtat cibi deterioris auiditas, poterit ſemel iterum offerri, & attentè quid euenerit inſpicere; ſi leſio denuo aliqua prodierit vel in laborioſa, vel tarda coctione, vel in oppreſſione, vel alio moleſto ſymptomate, vnde ex deteriori dato cibo deteriùs egrotantem habere deprehendes, omnis erit indulgentia protſus interdicenda.

De varia verbi Dei miniſtratione, & de mali toleratione.

VErbum Dei animę pabulum diximus ſeruandis, & amiſſis animę viribus recuperandis efficax, & opportunum, nullamq; vt conſtat, hoc pati differentiam, quòd in ſua eſſentia, & per ſe ſemper optimum ſit, & laudabiles vbique proferat ad ſalutem effectus. Si quam tamen patitur Diuinus ſermo differentiam, hanc penes præparationis, & expoſitionis modum nanciſcitur, vt in pręſenti oſtendere eſt animus à materiali alimento ſumpta ſimilitudine. Hęc enim eadem ſpecie, & ſubſtantia diuerſa diuerſis arrident parata modis, alijs pura probantur, & ſimplicia nullis inuoluta mixtionibus, alijs compoſita iucundo aliquo condita ſucco; quibuſdam caro placet elixa, alijs aſſa, alios ſaccharum, alios delectat acetum, alijs cibus placet, qui guſtum feriat, alijs nihil arridet mordicans. Ita quidem verbum Dei alij ſimplex quærunt, & purum, nulliſque ornatum figuris, fabuloſis nullis intertextum locutionibus, nec rethoricis dulcoratum illecebris; ſed aſperum, vel lene qualequale ſit, quod apponatur, hauriunt placidè, retinent, & in propriam vertunt animæ nutritionem. Alij tamen delicatioris guſtus pura renuunt, & ſimplicia Spiritus Sancti alimenta, verè ſubſtantificum reſpuunt pabulum, quod artificioſa careat præparatione, & auerſantur tanquam nimis auſterum, neque ſuis obſtrepere libenter auribus ſentiunt illud Pauli *Argue, Increpa*, neque ex illis eſſe curant, de quibus Apoſtol. 2. dicitur, quod *ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis*, ſed ſaccharo rethoricæ ſuauitatis dulcoratos Diuinos ſemper amant ſermones, & niſi fabulis, argutijs, enigmatibus paratum proferatur verbum Domini, Diuini eloquij alimento nullo ſciunt vnquam refici, quòd huius præparatio minùs iucunda ſit, & deprauatis auribus moleſta, neſcientes miſeri, quòd delectatio ex fabulis certum eſt incredulitatis indicium, vt inquit Apoſt. ad Timoth. 2. *Fabulis delectantur increduli*, & 1. ad Thimoth. ipſas iuſtis exoſas eſſe debere fabularum eſcas.

Has

Has patitur differentias verbum Dei ſecundùm variam pręparationem : vtraque præparatio eſt eiuſdem alimenti , effectus tamen vtrinque diuerſi , vna quidem deterioris præparationis , ſed ſuauioris , quæ ſcilicet euaporabili florum ſucco condita profertur, altera melioris ſucci fructibus referta , ſed rudiori apponendi modo inſuauior . Videamus nunc an præſtet quandoque deteriorem cibum , ſed ſuauiorem eloquij Dei ſanctioribus , ſed minùs gratis anteponere ſermonibus . Conſtat ſanè eodem ordine procedendum in animæ cibatione per verbum Domini (dempta tamen huius præſtantia) quo progredimur in nutritione corporis , ſeruarique poſſe paritatem aliquam ſpirituales inter , & corporales epulas . Cùm languet appetentia in ęgris, indulget non rarò Medicus expetito alimento, etiamſi deterius ſit , & leuiter certò lęſurum, quòd ſuauiùs arrideat ęgrotanti , quo ſumpto vegetior aliquando ſuſcitatur appetendi vis , & proſtrata diù appetentia in intenſam quandoque vertitur eſuriem . Ratione non abſimili ſunt peccatores , quibus Diuini verbi ad pabulum deiectus adeo appetitus eſt , vt quod expetunt verbum , licet deterioris ſit præparationis , minùſque fructuoſum , ſuadendum , & apponendum tamen eſt ; hoc enim delibato , licet in ſe minùs contineat roboris , & energiæ ad eliciendam peccatoris conuerſionem , fieri tamen vix poteſt , quin tot inter leuitates zelus aliquis ad correctionem non interſeratur , & fortaſſe poſt auditas fabulas , iteratas & ipſe faſtidiens ineptias, à fabulis auditum auertet , & adaucto ſenſim Cœleſtis doctrinæ , purioriſque Diuini verbi appetitu ad veras epulas conuertetur , quas ſibi familiares ſtatuens , & conſuetas , ſaturatus roborabitur in Fide , & ſanctis Virtutum proficiet incrementis , quibus non vtique ornaretur , ſi gratum , licet deterius non hauſiſſet pabulum .

Sed pergamus vlterius in explanando aphor. ſenſu , qui dum Medicam erga ægrotantes ſonare videtur indulgentiam in paruis, ne delinquant in maximis , de gratioſo Medici ingenio dicamus , vt inde moralis eliciatur expoſitio ; quemadmodum enim Medici munus eſt, quantùm fieri poteſt , maiora ſemper totis viribus arcere mala, & potiones, ciboſque plerumque iucundos ęgris, quamuis deteriores permittendo indulgere potiùs , quàm ſubtracta con-

 niuentia ,

niuentia; curationis impatientes medicis reluctentur mandatis, grauioreſque committant errores, ſic Prætores, & Præſules ęgris ſubditis nonnulla quandoque diſſimulant, etiamſi mala, & conniuent in multis, ne prorſus contumaces, & refractarij euadant; & ſic maiora euitent mala, ne in grauiora ſcelera irruant præcipites, ſi à leuioribus arctè prohibeantur, vt inquit Caſus lib. 1. cap. 7. ſferę Ciuitatis. Quapropter in aliquibus Regionibus tolerata lupanaria meretricum, vt maiora arceantur ſcandala, & licet nec facienda, neque conſulenda ſint mala, vt eueniant bona, iuxta Theologicum axioma, ſi mala tamen ſponte erumpant, & certa ſit euidentia minore tolerato maiora certò poſſe præcaueri mala, aliquando tolerantur, & quamuis tolerentur, non ob id probatum, & laudabile malum, licet minus ſit; cenſendum erit. Vnde Pererius comm. in Geneſ. tom. 3. fol. 183. ſuper cap. 19. ſic habet, *Nec licitum modò, ſed laudandum videtur, homini omnino volenti, & parato facere ingens aliquod ſcelus, ſuadere ei aliud minus, & leuius, ſi ex ratione à magno illo crimine patrando reuocari nequeat:* Vnde bonus Loth ſodomitas videns execrandum, & nefandum illud contra naturam ſcelus committere paratos, præcauere ſtuduit oblatione filiarum vt D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 6. ſic effatur *Offerebat S. Loth. filiarum pudorem, tametſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, tamen minùs erat ſecundùm naturam coire, quàm aduersùm naturam delinquere, præferebat domus ſuæ verecondiæ hoſpitalem gratiam etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.* Nec ob id Sanctus eſſe deſijt Loth ob minus malum inuito propoſitum, vt Tirin. fol. 11. ſuper hunc locum ſic loquitur. Veroſimilius eſt Loth hac oblatione filiarum non peccaſſe, quia à ſcriptura etiam poſt hoc factum vocatur iuſtus. Vnde ſi quę Mortalibus ſuperueniunt mala, ſciant hæc omnia cęlitus immitti, vt maiora præcaueantur, non in hoc ſęculo modò, ſed multò magis in futuro; Deus enim peccata, & mala permittit, vt inde bona aliqua ſuccedant, ſed hæc permiſſio non eſt cauſa peccati, ſed ideo permittit, quòd ex eo bona, quæ ſtatuit, elicit Omnipotens; ſic permiſſio peccati ex D. Th. perfectionem reddit Mundum quæſt. 22. art. 2. ad 2. habens, quod permiſſio peccati mala non ſit: quod peccatum permittere, & velle non idem ſunt, ſed illud ex permiſſione bonum velle, quod Deus ſtatuit

tuit ſubſequi debere permiſſionem peccati. Sed hæc omnia, cum altiorem exigant Mineruam, Theologis ſcrutanda remitto, mihi ſat ſit, Medici ad exemplum, oſtendiſſe Eccleſiaſticos Præſules, & Sæculares quandoque tolerare leuiora, ne ad grauiora ferantur delinquentes.

DISTICHON APHORISTICVM.

Ægros vt Medicus, tolerat ſic Præſul iniquos
In leuibus, veniant ne grauiora, malis.

APHORISMVS XXXIX. SECVNDÆ SECT.

Senes magna ex parte minùs, quàm iuuenes ægrotant; ſemel autem diuturnis morbis correpti ferè vnà moriuntur.

EXPOSITIO MEDICA.

Vlti ſunt ſenes, at non ſenilis in omnibus temperantia, neque circa victus rationem eadem in omnibus moderatio, magna tamen ex parte prudentes ſenes debita ſe gerunt erga ſe ipſos cuſtodia: Et hi ſanè ſunt, qui minùs ęgrotant, quàm iuuenes, non ob probum viuendi regimen modò, ſed ob frigidius, ac ſiccius temperamentum congeneis ſcatens humoribus concipiendæ putredini, & motui minùs obnoxijs, tum etiam quia, cum ſenes adſtrictam habeant, denſamque corporis totius peripheriam externis iniurijs excipiendis minùs ſunt idonei, quàm iuuenes, quorum intemperantia fęcunda poteſt morborum Pandora cenſeri: Morbis ob id frequentiùs analogis; acutis ſcilicet opportuna iuuentus eſt ob calidos, furenteſque ſuccos mobiles, & facilè inflammabiles; non ita ſenes, quorum moderatio eos ab omni ſolet ægritudinis acceſſu præſeruare, vel ſaltem benignioris indolis morbos progignere, cum acutis rarò ſenes ęgrotent, quòd calor natiuus exiguus, ſanguinis, eiuſque crudioris paucitas magno nequeat incendio pabulum miniſtrare, neque acutorum poſſit eſſe minera morborum, quibus tamen ſi fortè ſenes corripiantur, malum, ex Hipp. & experientia. Vt autem aphoriſmi veritas magis eluceſcat nonnullis inuoluta dubitationibus, diſtinguendum, & comparandum ſenes inter, & iuuenes temperamentum, & victus ratio. Senes alij ſunt, qui per lapſas ętates, & anteactę vitę ſpatia integram, & nullis culpatam erroribus ſeruarunt victus rationem, alij verò, quorum pręgreſſa vitæ tempora nulla prætererierunt ſeruata viuendi regula, omni incontinentię dediti. Geminos inter hos ſenes morboſus vnus, ſanus alter eſt obuius, & diſcriminis ratio, quòd

vterque diuerſimode proprię conſuluerit ſaluti, & licet validam, paremque duxerit à primordijs corporis conſtitutionem, praua tamen vitæ ratione ſubuerſus in vno, & ſaluber ſeruatus in altero corporis ſtatus, certè primus ſenectam ducet morboſam, ſaluberrimam alter, quòd dum iunior eſſet vnus, exacto viuendi ritu, quale à natura acceperat, talē cuſtodierit temperamentum, alter verò labefactauerit, & mille deſtruxerit laxamentis: Vnde primus ex ſenibus erit minùs, quàm iuuenes ægrotans, alter frequentiùs, & quamuis ſenes minùs reſiſtant, quàm iuuenes, & à leuibus lædantur cauſis, & idcirco frequentiùs, quàm iuuenes ęgrotabiles videantur; minor autem licet ſit reſiſtentia, maior tamen præcautio in ſene, quam in incauto iuuene: Vnde minùs, quàm hęc morbis obnoxia ſenectus: porrò, cum ſenes leuibus etiam lędantur cauſis, ſi quibus ipſos ęgrotare contigerit, cum leues ſint, leues & inde, ac facilè curabiles ſuborientur affectus. Vniuerſim magna ex parte cauti ſenes morborum magnitudine, & frequentia minùs, quàm immoderati iuuenes ęgrotant; ſi quo tamen chronico, & contumaci morbo ſenem corripi contigerit, ad interitum vſque comitari, & vnà cum ipſo mori pronunciat Hipp. Morbus nimirum, qui pertinax à frigidiori materia prognatus, cuius in ſenibus non ſperanda per reſolutionem, & diſcuſſionem ſolutio, cum calor natiuus reſolutionis, & rarefactionis author primarius effętus ſit, & langueat in ſenibus, in quibus vix ad coctionem poteſt ſufficere, quæ ſolutioris via in ipſis aptior, & facilior, non decrepitis tamen. Si ergo tumores, aſthmata, vertigines, Arthritides, & alia huius cenſus mala cauſam nacta frigidiorem ſenem prehendant, ad interitum vſque ab ipſo inſeparabilia vt plurimùm feruntur, & idcirco Hipp. renum, & veſicę vitia in ſenibus nulla poſſe curatione debellari cenſuit aph. 6. quòd contumacem, & vix emendabilem mittentium, & recipientium partium diſcraſiam ſignent, & morboſæ materiæ rebellem arguant indolem.

Quò culpa antiquior, eò difficilior correctio.

SEnes cęteras inter ætates facillimè ieiunium ferre à peccatis 13. diximus in morali primę ſect. aphoriſmo meum probat aſſumptum Hipp. in præſenti, dum ait ſenes minùs, quam iuuenes ęgrotare, minus ſcilicet in crimina ferri, quòd ſenes proximi termini memores, obuerſantis ante oculos mortis præſentia eruditi, ac rigida appropinquantis Iudicij extremi diſquiſitione perterriti, quidquid æterno dignum ſupplicio iudicant vniuerſum præcauent, boniſque iugiter operibus intenti animam nulla, aut minima ſinunt ęgrotare nequitia, ipſam ſemper ad cęleſtem præparando ſalutem: ſenes potiſſimùm ſenſati, ac prudentes & Diuinæ gratiæ cupidi, qui non ſecus ſeduli, ac illi, qui corporali conſulentes ſaluti rectam, & integram ſeruant victus rationem, ſecundùm mandata Dei ritè adeo viuunt, vt nunquam, vel perquàm rarò in peccata fluxiles ferantur: Vnde minùs, quàm iuuenes ęgrotare dicuntur, quòd hi propter ętatis ęſtum obuijs lapſibus magis opportuni, non ratione, ſed libidine ducti frequentiùs incidant in peccati foueas; vt inquit Ambr. de Vid. cap. 1. *Vicina eſt lapſibus iuuentus, quia variarum æſtus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis*. Quid mirum igitur, ſi iuuenes frequentiùs, quàm ſenes culpis ægrotant ob mobilem voluntatis genium, & liberum nimis materię criminoſæ acceſſum, tum etiam propter raram, fugacemque mortis memoriam, quæ effreni, ac præcipiti inclinationi ponat habenas, cum, vt ait D. Th. mors iuuenibus poſt humeros ſtet, & retro ſequatur, vbi nullus mentis oculus intueri poſſit eius inſidias, quas inopinatò plures incautis tendit iuuenibus, quàm circumſpectis moliatur ſenibus; frequentiùs idcirco, quàm ſenes, & grauiùs ægrotare conſueſcunt, hoc tamen diſcrimine, quod iuuenes dum peccati morbo corripiuntur, cum proximiores ſint delictorum exordijs, faciliùs poſſunt conualeſcere, quàm ſenes, qui ſemel diuturnis morbis detenti ferè cum ipſis moriuntur inquit Hipp. hoc eſt, ſi ſenes ętatum pręteritarum vitia ſecum deportauerint in ſenectutem, conſeneſcent & ipſa ſimul, nec ante deſinent, quàm ipſi è vita deceſſerint.

Remanent, etiamſi ſenes ſimus, antea ctę ętatis vitia, non rarò etiam puerilia, vt Caſſiod. in epiſt. 16. ſic *Adhuc enim non pueritia, ſed puerilitas ipſa remanet, & hoc quidem peius eſt, quòd authoritatem habemus ſenum, vitia verò non puerorum tantùm, ſed & infantium*. Antiquata ſenum delicta, & habitu confirmata diuturno vix, aut nunquam emendantur, cum hoc difficillimum ſit, propter rebellem; & tenacem peccati materiam Chriſtianis omnibus reluctantem præſidijs, deprauata ratione fixam, & ſubuerſo bonæ voluntatis temperamento in dies ſuccreſcentem: Vnde calor inſitus Charitatis effętus, & fatiſcens nullam ſinit per pias meditationes, & intimam culpę ſcrutationem peccati digeſtionem elaborari, quo fit, vt ſenes vitijs non minùs, quàm ętate confecti minùs reſiſtant, & ſi quando aliquis ipſos correctionis ſtimulus incuſſerit, leui pulſati tentatione de concepta recedunt pœnitentia, in habituali perſiſtentes nequitia. Quamobrem peccata quęlibet cum ſenibus ſeneſcentia Diuinam, vt corrigantur (ſicuti diximus) exigunt Omnipotentiam, nec ſine ſpeciali, validoque cęlitus immiſſo ſubſidio ſpes eſt habituatum peccatorem à peſſima poſſe peccandi conſuetudine reuocari. Rem ſacris elucidare liceat aſſumptis.

Creaturus Omnipotens hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ex limo terræ totam, & admirabilem momento erexit eius corporis machinam, parteſque ſingulas ſuis diſpoſuit ſedibus, ſuis donauit officijs, pedes in ima repoſuit damnatos tanquam vectarios toti ſubſidere machinę; ventrem etſi ſaginarius ſit, vorax iuge celebret ſcilicernium, deſtinàuit, tamen in nutritionis promptuarium: rurſus huic prępoſuit ſpiritualem arcam, cor inquam in vitæ ſacrarium, idque interiecto diaphragmate à naturalium viſcerum profanatione vindicatum: Sanxit tandem ſedes capiti pręexcelſas, exquiſitiſſimæ nempe ſenſationis, & rationis ſcriniolum nobiliſſimum ſublimiorem erectum in proſpectum: partes reliquas tanquam miniſtras, & ſubſeruientes ſuis quaſque locis diſtribuit, & functionibus, vt totæ ſibi totis cohęrentes, in totius corporis fulcimentum, & animæ obſequium collimarent vniuerſæ. Tanta diſpoſitis armonia principum, & eiuſdem ſubſeruientium partium ſedibus, & officijs vltimam, & perfectiorem ſtructuræ ſuæ tribuit formam Omnipotens per inſufflatum, in eam ſpiritum, ſimplici

animans, & viuificans ſpiraculo, vt Gen. 2. *Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*. Hoc quidem ſpiraculo vitalis facta ſpectabilis hęc moles ex ſimplici inſufflato Creatoris ſpiritu vitales protinus erecta, motaque fuit ad functiones; non ita facilè, nec ſimplici inſufflato ſpiritu à Domino per Ezechiel. 37. animata fuere arida Iſraelitarum oſſa diſperſa per campum, non leuibus auris reuixiſſe legimus vniuerſam domum Iſrael, ſed quatuor cardinalium opus fuiſſe ventorum flatibus, vt vitales reſumerent animas; cur autem diuerſa in vtriſque animandi methodus, cur varia inſufflatione reuixerint Adam, & Iſraelitæ, quare blanda, & lenis in Ada animando, vehemens in Iſraelitis, cur rurſus in Adæ faciem inſufflatus tantùm ſpiritus, in Iſraelitis non in faciem modò ſed totum perflatum corpus, res quidem plena dubijs, & referta myſterijs. Videtur equidem, quòd minùs vehementi potuiſſent oſſa Iſraelitarum ſpiritu reuiuiſcere, quòd iamdudum fuerant vitalia, neque propria ſingulis hominibus deerat anima, licet ſeparata, quàm corpus Adæ, quod nondum fuerat animatum, & ita plus in Adæ faciem ſpiritus fuiſſet inſufflandum, quàm in Iſraelitarum oſſa; at ſi dubitationem pio ſenſu diluimus, & noſtro aptamus commento myſterium, dixerim ideo leui exſufflato in Adæ faciem ſpiraculo protinus animatum fuiſſe, quòd recens creatus, nihilque diſtans à primordijs Diuino ſpiritui excipiendo aptior erat, & magis diſpoſitus; e contra inueterata nimis, ſicciſſima, & neglecta Iſraelitarum oſſa ferè carie conſumpta, à ſuis multùm diſſita principijs, validioribus ideo flatibus, & quatuor ventis fuerunt animanda, quia minùs Diuinis halitibus attrahendis apta erant, & diſpoſita. Ita ſanè peccatores recenti laborantes culpa gratiæ ſolius ſufficientis afflatu poſſunt iterum animari ad ſalutem; at duriores, vt oſſa Iſraelitarum, pertinaces, & antiquati nôn quauis ſimplici inſufflata gratia poſſunt reuiuiſcere Deo, ſed efficaciſſima opus eſt, vt inueterata dimittantur vitia, & non niſi vehementi inſufflante Diuini Spiritus aura, vitales iterum reuocari queunt ad motus, ſed inueterata ſecum delicta ferè cum ipſis commoriuntur, vt inquit Hippoc. & confirmat Paulus ad Rom. 8. ſcribens *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: Et in peccato veſtro moriemini*, minatur per Ioannem Saluator

tot ſeneſcentibus in culpa mortalibus . Videant igitur, & attentè perpendant habituati peccatores, quàm laborioſa , & difficilis ſit animæ per peccatum mortuæ reſurrectio , cum facilius fuerit , & expeditius Adam creare , quàm mortuos iterum animare populos : Vnde non abs re cor culpa defunctum Dauid Deum rogabat vt nouum crearet, quòd viderit innatum criminis veneno mortuum difficulter poſſe ad gratiam reuiuiſcere, ſic effatus . *Cor mundum crea in me Deus* .

DISTICHON APHORISTICVM.

Præcaueas Iuuenis, ne tecum culpa ſeneſcat;
Sæpe etenim ſolùm te pereunte perit.

APHORISMVS XL. SECVNDÆ SECT.

Deſtillationes, & raucedines in valde ſenibus coctionem non admittunt.

EXPOSITIO MEDICA.

QVæcunq; pars in valde ſenibus natiuũ amiſerit tonum,non ita facilè poteſt in priſtinam reſtitui eucraſiam, ſi potiſſimùm fluxionis impetu de bona fuerit diatheſi depulſa; deſtillationes enim in valde ſenibus difficiles, & ad coctionem rebelles exponit Author, & incurabiles idcirco ferè omnes inde promanentes affectus, raucedinem potiſſimùm, & affines huic morbos ex deſtillatione in fauces aſperam arteriam, & in organa ſpiritualia decumbente progenitos, vt Aſthma, Phtiſim, licet hæc cognata ſenum paſſio non ſit, & alia huiuſmodi, quæ coctione nequeunt in prouectioribus ſenibus maturari, multoque minus diſcuti reſolutione; cum calor impar ad coquendum ſat eſſe nequeat ad reſoluendum, tum etiam quia materia coctionis incapax frigida, & viſcida non poſſit eſſe ſequax ad diſſolutionem: Vnde deſtillationes omnes, & raucedines à fluxione prodeuntes coctionem non admittere meritò ſcribit Author; à fluxione inquam prodeuntes, cum fieri poſſit in ſene raucedo ſimplicem ſequens aſperæ arteriæ, aut partium ſpiritualium frigidam intemperiem ſine humoris affluxu, ſolo ambientis vitiò ſuborta; quæ debitis adhibitis pręſidijs, per ſubtractum primò aeris acceſſum, congruis dein calefacientibus datis bechicis,non ita difficilè poſſit emendari. Cęterum quidquid in antecedenti proximo aphor. ſancitum confirmat Hipp. in pręſenti, morbos ſcilicet chronicos ſenes ad tumulum vſque comitari, aſſumptum propoſito probans deſtillationis, & raucedinis exemplo; quas ægritudines in valde ſenibus incurabiles pronunciat; & ideo quòcunque irruerint in ſenibus fluxiones immedicabiles ob vnam natiui caloris pauperiem, qua vix tantum ſpiritus ſubeſt, vt viuant, non qui coquendæ materiæ ſufficiat, cum frigidum corpus ſenum ſit, & quicunque non à deſtillatione modò, verùm

etiam

etiam ex alijs cauſis orti fuerint affectus fine vitæ diſcrimine non valeant emendari.

EXPOSITIO MORALIS.

De vitijs quibuſdam, ad quæ procliuior eſt ſenectus.

NOn abſtruſa videatur aſſertio, ſi ſuis & animam deſtillationibus obnoxiam proferamus; etenim, ſi quis attentè fluxionis ideam perpendat, peccatum appoſitè per fluxionem definiri poſſe comperiet; quid enim fluxio, niſi deprauatus humoris motus à parte ad partem? quid peccatum, niſi motus animæ peruerſus à parte ſupera ad inferam? conuerſio ſcilicet hominis à Creatore ad Creaturas, & auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile ex D. Aug. lib. de liber. arb. In fluxione materiali motus attenditur termini à quo, ad quem, & ſpatium per quod, humor fluens, & cauſa impellens: In peccato etiam motus attenditur à termino à quo; qui Deus eſt, à quo diſcedit peccator; ad quem, qui creatura eſt, ad quam conuertitur; ſpatium per quod, quod idem eſt ac in fluxione naturali, ſpatia ſcilicet inania, illicita nempe media, & vetita quęlibet occaſio, humor fluens, qui voluntas eſt peruerſa, & cauſa impellens; quæ Dęmonis eſt tentatio: Vnde quoties quis peccauerit poteſt appoſitè deſtillatione laborans cenſeri, & peſſima fluxionis ſpecie; quæ ſcilicet à capite in ſubiectas partes quaſlibet decumbit, in pectus potiſſimùm cor obruens, à Supremo omnium capite Redemptore noſtro in ſubditas Deo creaturas inclinans, quibus tenaciter hęrens, ſummo poſthabito bono, omne profert malorum genus, non ſecus, ac materialis deſtillatio, quæ malorum omnium fons, & origo cenſetur. Hac igitur deſtillatione ſi ſenes corripiantur, & deſtillatio fauces garrulitate, vaniloquijs, mendacijs, falſæ doctrinæ ſermonibus diutiùs occupauerit, & ad Diuinas laudes, ac beneficiorum officia raucas reddiderit, inueterata hæc fluxio, & ferina raucedo nullam per correctionem coctionem admittet ob rebellem, & contumacem materiæ indolem, & puſillum deuotionis igniculum elaborandæ magni criminis digeſtioni vix parem; ſenes enim diuturna peccati fluxione laboran-

tes,

tes, vt ſupra tetigimus, niſi per vitæ deceſſum curari vix poſſunt, & ex centenis pauci admodum longa culpæ deſtillatione vexati conualeſcent.

Sed vlteriùs procedamus, & inter ſenum vitia videamus, quibus de more frequentiùs ſoleant ad fluxionis ſimilitudinem ſenes laborare. Conſtat, omnibus in claſſem reuocatis; nulla ſenibus fluxilia magis occurrere, quàm ſuſpicionem, & zelotypiam, quæ paſſiones in ſenibus, non ſecus, ac deſtillationes in corporibus coctionem non admittunt. Circa ſuſpicionem ætas nulla magis ad hanc prona, quàm ſenectus; paſſio quidem domeſtica, & inſeparabilis; ſenes enim ex Ariſt. omnes ſuſpicioſi. Enim verò cum ſenes longo rerum vſu humana edocti obſeruatione medullitus mortalium vitia noſcant, & propria non ignorent, cum varia contraxerint, eadem ſemper alios pice infectos ſuſpicantur, qua ipſi ſordeſcunt, vt inquit Chryſoſt. ſuper Matth. ſic. *Sicut difficile eſt aliquem ſuſpicari malum, qui bonus eſt; ſic difficile aliquem ſuſpicari bonum, qui ipſe malus eſt. Omnis homo ſe æſtimat alterum, fornicarius neminem putat Caſtum, Caſtus de fornicario non facilè ſuſpicatur, ſuperbus neminem putat Humilem, Humilis neminem putat eſſe ſuperbum*. Vnde Iſidor. de ſummo bono lib. 3. ſic effatur ad rem noſtram. *Faciliùs vitia vniuſcuiuſque, quàm virtutes intendimus, nec quid boni quiſque geſſerit agnoſcere, ſed quid mali egerit perſcrutamur*. Hinc fluxionis ad inſtar humanus concitatus intellectus huc, illuc vana percitus libidine in diuerſas fertur alieni criminis ſuſpiciones, & quæ fortaſſe malà in aliorum nunquam mentes irrepſerant, ipſi ſuſpicantes facta tenent, & infallibilia.

Zelotypiæ fluxione ſenes etiam de more ſolent torqueri, non modò mares fęminis nupti iunioribus, ſed & fęminæ antiquatæ viris copulatæ non ſenibus. Ferina deſtillatio zelotypia, quæ cor exagitans vix vllam in ſenibus coctionem admittit, ſed quò diuturnior eò tirannico more immanior, & turbans adeo zelotypi mentem, vt quidquid audit, id protinus vel ſibi imputet, vel de zelato ſuſpicetur prolatum, vt inquit Chryſoſt. in cap. 2. ſuper Matth. ſic. *Sicut vir, qui zelat vxorem, aut vxor virum omnem auditionem turpem credit de illo, & ſi non ſit auditio digna, & idonea, vt credatur, tamen fidem auditionis Zelus commendat*. Quot, & quantas fluat zelotypus in partes, vt zelatum obſeruet obiectum, quantùm torqueat animum; fidem

facit

facit Caius Sulpitius penes Valer. Max. qui vxorem ſuam repudiauit, quòd aperto capite ædes egreſſa eſſet, lex, inquiens, meos tibi vnius oculos prefinit, quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his eſto ſpecioſa, non aliorum oculis placens. Hoc idem fatebatur Alfonſus: *Matrimonium tranquillè exigi poſſe ſi vxor cæca, maritus autem ſurdus fiat.* Annuit autem fœmineum genus eſſe zelotypiæ obnoxium, & hinc rixas oriri, & querimonias, & rurſus marito moleſtam eſſe vxoris garrulitatem, qua moleſtia carebit, ſi ſurdus fiat. Quot mala pullulent ex zelotypiæ deſtillatione, norunt, qui tam immani morbo dementati ſe ipſos, & rem zelatam funeſto perdiderunt euentu: Vnde *dolor cordis, & luctus mulier Zelotypa. In muliere zelotipa flagellum linguæ* Eccleſ. 26.

DISTICHON APHORISTICVM.

Suſpicio, & zelus triſti eſt cognata ſenectæ
Fluxio, quæ nulla tollitur artis ope.

APHORISMVS XLI. SECVNDÆ SECT.

Qui frequenter, ac fortiter ſine cauſa manifeſta exoluuntur, ij derepentè moriuntur.

EXPOSITIO MEDICA.

INter facultatis vitalis læſiones, & vitia nullum hominibus exitiale magis, & adſtantibus horribilius ſyncope, & exolutione, qua de medio repentè tollitur, & vnico ictu & aſſidentium ſpes, & ægrotantis vita, in illis potiſſimùm, qui citra manifeſtam cauſam ſępe, ac vehementer ſolent exolui, vt inquit Hipp. qui ſcilicet nec ſpiritus inopia, nec oppreſſione, nec corruptione linquuntur animo; nec euidenti alia deficiunt cauſa, vt dolore, animi anguſtia, vigilijs, labore, inędia, ſudore, hemorrhagia, vel alijs quibuslibet immodicis euacuationibus vires reſoluentibus, ſed ex interna latente cauſa labuntur. Neque vlteriùs in illis, quibus ſuffocati non tranſmittuntur ad organa ſpiritus ab humorum copia, craſſitie, crudorum ſuccorum vbertate ſtrangulati, vt in principijs morborum à vaſorum obſtructione, interceptione viarum, & prohibito cutis effluuio, ex omnibus denique anguſtatiuis animi pathematis, calorem ad exteriora ferri prohibentibus ſuffocati vel denique, quibus corrumpuntur ab intrinſeco ſpiritus, ſumpto, vel intus genito veneno; ſicuti ab aere peſtilenti, vel venenata in febribus malignis aura cor ipſum obruente, qua ſolent promptè ſpiritus exolui; ex his itaque cauſis manifeſtis poteſt ſyncopes excitari eò vehementior, & periculoſior, quò vehementiores iſtæ contigerint, & cauſam nactæ deteriorem: & quamuis metuenda minùs ſit inde promanans ſyncopes, quòd à cauſa fiat manifeſta, non idcirco ſuo caret periculo, hocque tantò euidentiore, quantò fortiùs, ac frequentiùs ægrotantem proſtrauerit; quòd ſi nulla ex pręfatis cauſis in ſerie notarum expoſitis accidat, & æger ſine cauſa manifeſta frequenti, ac forti corruat exolutione, vitali tandem fatiſcente facultate mors ingruet repentina, cuius cauſa ſi non ſe prodierit morbum aliquem organicum cordis, & vitalium

partium, vel quid preter naturæ ordinem intus ſine noxa diutiùs deliteſcens, mox affatim erumpens repentinæ necis cauſam fuiſſe putandum, vt ex diſſectis cadaueribus ſępius innotuit, & quæ nunquam fuerat excogitata morbi cauſa, deprehenſa, vel in tuberculis pulmonum, vel adnata in cordis ventriculis caruncula, vel in exundante pericardij aqua, vel in cordis ipſius hydatibus, & veſiculis exiſtens, quæ protinus enecare conſueuerunt, vt Galen. cap. 2. lib. 5. de locis affectis palam demonſtrat. At ea quæ promptè perimit exolutio, debet tribus potiſſimùm prefatis in aphor. conditionibus integrari, quòd nempe ſit frequens, fortis, & ſine cauſa manifeſta; etenim quò frequentior erit exolutio, ſyncopes, aut lypothymia, quò fortior irrepſerit; ita vt vix omni preſtito artis ſubſidio difficilè poſſint ſpiritus recolligi, & qui correptus ægrè valeat reuiuiſcere, & quò magis latuerit exolutionis cauſa, eò certior erit de repentino interitu preſagitio, quòd ſpiritus, & tota vitalis facultas nequeat frequentioribus, & vehementioribus inſultibus diutiùs obſiſtere, & neceſſe ſit violentiam cauſæ violentum denique è veſtigio ſubſequi effectum, & ægrum tandem concidere, ſi potiſſimùm natiua totius, aut cordis concurrat imbecillitas, quæ cauſas ſyncopis productiuas, vel proferat, vel augeat intus conceptas.

EXPOSITIO MORALIS.

De lethali animæ ſyncope.

SVas & anima patitur exolutiones, & deliquia, & ijſdem deficit cauſis, quibus vitalis in corpore facultas per ſyncopem; hæc enim tribus potiſſimùm de cauſis ſolet exolui, vel ſpiritus inopia, reſoluta eiuſdem ſubſtantia, vel oppreſſione prouenientе à copia, & plenitudine, vel à corruptione, extincta ab aſſumptó, vel intus genito veneno tota ſpiritus forma. Hiſce tribus etiam de cauſis anima ſolet in deliquia exolui, cùm vitali infirmata facultate, quæ Fides eſt, cum ex Fide viuat, in deplorabilem herefis ſyncopem precipitat.

Primò præ ſpiritus inopia delinquit anima, cùm caret ſpiritu erga Deum, eò quòd ſanctis non nutriatur alimentis per ſacros Miniſtros,

ſtros, Parochos, aut per Parentes minimè in vera diſciplina miniſtratis, vel quòd etiamſi docuerint, negligant iſti, quo fit vt animus nullo, vel impari pietatis zelo nec inſtructus, neque per conſequens iuſtè viuificatus liberè nimis delabatur in dubia, & in Fidei deliquia frequenter incidat.

Secundò deficit, & exoluitur anima, cùm præ dubitationum copia, & myſteriorum Fidei plenitudine mens oppreſſa, & obrutus mortalium intellectus, quòd manifeſtam non videat caligante oculo Fidei rationem, Euangelicæ acquieſcere renuit veritati, neq; volens vlterius impatiens dubijs torqueri, iniquas incipit doctrinas meditari, inde aſſentiri, mox ſectari, demum prędicare,& ita ſenſim à Dei dilectione auocata voluntate,oppreſſa veritate, in pręcipitem Fidei lapſum ſolet exolui.

Tertia denique cauſa, qua deficit anima, cenſetur, cùm forìs aſſumpto, vel intùs genito veneno tota vis animæ corrumpitur, efflat, & euaneſcit, cùm ſcilicet quis indita per Parentes infidelitatis virulentia, vel aſſumpta, nempe prauis lectis, vel auditis doctrinis, & falſo dogmate per Miniſtros, aut damnatos libros hauſto in deterrimam labitur hęreſim. Si quis igitur frequenter, fortiter, & ſine cauſa manifeſta exoluitur in Fidei dubitationes, peſſima hęreſis morte moritur in hoc ſęculo; vix enim aliquis in Eccleſia Dei viuens in peſtiferam cadit hęreſim, niſi qui tribus in pręſenti aphor. propoſitis conditionibus animo linquitur, qui nimirum frequenter, vehementer, & ignorata occaſione deficiunt,repentè moriuntur.

Repentè moriuntur, qui frequenter quidquid arduum ſe prębet in Fidei myſterijs nimiùm ſcrutantur, & iugiter Fidei arcanis reuoluendis nimis attenti mentem quotidiè inani fatigant diſquiſitione, quâ cum nihil proficiant, cum non capiant, capiuntur, & in dubia labentes, quid credant neſcientes, ſpreta Apoſtolorum, & Prophętarum doctrina, ac Euangelica auctoritate, Diuinaque tota neglecta ſcriptura, incredulitatis peſte interfecti repentè Deo moriuntur, & Eccleſiæ, quia plus ſapere, quàm ſapere oporteat, ſtuduerunt, & in arcanis Dei ſe ſe nimiùm inuoluentes, in pręcipites errorum lapſus ruere ſemetipſos ſinunt, vt inquit Leo Pontifex Summus lib. 24. art. 3. hiſce notis *Quid autem iniquius eſt, quàm impia ſapere, & ſapientioribus, doctioribuſque non credere; ſed in hanc inſipientiam*

tiam cadunt, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad Prophæticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, non ad Euangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt.

Repentè præterea Deo moriuntur per lapſum Fidei ſpiritum, qui fortiter in falſa doctrina delinquunt, conſtanterque prauas ſuſtinent ſententias, damnataque dogmata defendunt, pertinaces in concepta prauitate diutiſſimè perſiſtunt, qui correcti, & idoneis adhibitis per hortationes, & pia conſilia præſidijs de correctione non curant, ſed acriter vrgentes in correctores inuehunt, violentiam tandem facturi, vbi falſas iam vident ſuſtinere minimè poſſe ſententias; vt D. Auguſt. contra Manich. ſic habet *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, prauumque quid ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtant contumaciter, neque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt*, ideſt in præcipitem virium omnium, bonorumque ſpiritualium lapſum animam deturbantes à Deo, Gratia, Fide, & Eccleſia ſeparati repentè moriuntur, vt inquit Chryſoſt. in 23. Matth. hom. 46. ſic habens. *Sicut membrum à corpore præciſum viuere non poteſt, neque ramus arboris viridis eſſe, ſic omnes hæretici præciſi à corpore vnius Eccleſiæ nec vitam Chriſti in ſe habere poſſunt, neque gratiæ viriditatem.*

Repentè denique moriuntur, qui non modò frequenter errant, & fortiter erratum in Fide ſuſtinent; ſed & qui ſine cauſa manifeſta delinquunt, & in extrema Fidei deliquia procumbunt, iam non ſimplices, increduli, & infideles, *quorum* inquit Dauid, *tecta ſunt peccata*; ſed & incredulitatis magiſtri, & publici defenſores fiunt, & Catholicæ Fidei barbari perſecutores; vt proterua Apoſtatarum turba, qui ſtudiosè prauo, & iniquo ducti genio, poſt frequentes in praua dogmata lapſus, poſt receptas diutiùs, & tenaciter falſas retentas ſententias, palam proferre, & docere geſtientes, Diuina poſthabita lege, in hæreticas ſe ſe recipiunt Vrbes; vbi ſine cauſa manifeſta, non attenta ſcilicet inferi Tentatoris verſutia, & doloſæ ſuggeſtionis impulſu, ac termino, poſt præcipitem virium omnium Gratiæ lapſum, in amiſſo Fidei lumine, & ſpiritu excæcati, ac proſtrati, in ſyncopem concidunt æternam, in tartara ſcilicet ruentes exo-

exoluti, vbi per cruciantis flammæ vim acutiori mentis acie, quas perditionis cauſas noſcere neglexerant inter viuos, manifeſtam diſcernent inter mortuos ſempiternos. Equidem, in quibus omnes integrantur aphoriſmi conditiones ſine cauſa manifeſta factæ exolutiones, & ſyncopes repentè procul dubio moriuntur. Sine cauſa manifeſta, inquam, ſi ſcilicet non vi, non metu, non amore, nec odio, nec inuidia, neque vindicta, nec alia qualibet externa manifeſta cauſa proritante, ſed tota intus vrgente perfidia, & iniquitate Fidei ſpiritus amittunt, & non ſecus, ac ſyncope perculſi, Diuina omni Charitate extincta frigidiores, veluti deplorati maligno corruunt deliquio, & quamuis etiam cum manifeſta cauſa ſyncope correpti, & Fidei deliquia paſſi moriantur vniuerſi, ſpes tamen maior affulget eis, qui cauſa deficientes manifeſta à Chriſti Euangelio recedunt, poſſe reuiuiſcere, quàm qui virulenta animi proteruia, & latente mortifera intus labe, nullo extrinſecus impellente ſtimulo, ſpontè de Catholico exeunt ouili: Hi ſiquidem vix dimiſſo, & derelicto electo grege in Lupos incidunt infernales, de quorum faucibus niſi magno Dei portento non poſſunt amplius educi; reliqui verò, qui vel tormentorum atrocitate, vel premiorum, aut dignitatum illecebris, vel quauis alia ducti occaſione hæreſis deliquia patiuntur, cum fortaſſe labefactata non ſit vſque adeo totius mentis ſubſtantia, quin intus adhuc aliqua mordeat ſynderesis, vel aliqua interluceat quandoque Charitatis ſcintilla, hæretici licet ſint, Spes tamen altior eſt, quàm in reliquis poſſe ſemel pœnitentia ductos ad Chriſti ſequelam iterum reuocari.

Vniuerſim ſit manifeſta, ſit latens hæreſis cauſa; quicunque ſæpe, & fortiter in Fide delinquunt, repentè moriuntur, ſuperuenit ſcilicet omnibus, quod Iſai. 47. ſpondet his verbis. *Veniet ſuper te repentè miſeria, quam neſcies*, ſuperueniet, ferè omnibus, quod Luc. cap. 21. minatur ſic alloquens: *Superueniet in vos dies illa repentina*, & ſuper caſu tuo, ac ſyncope repentina mirabuntur omnes attoniti, vt inquit Ezechiel. ſed & miraberis altiùs & tu, qui ſæpe, fortiter, & ſine cauſa manifeſta delinquens, cùm te inter pœnas receptum deprehendes, vbi non frequenter, ſed iugiter, nullo ſcilicet interpoſito quietis ſpatio, fortiter atrocibus nimirum cruciatus

ſuppli-

ſupplicijs ſine cauſa manifeſta, ſubtractus ſcilicet à viſione Dei lęſi manifeſta tuæ pęnæ cauſa, interminabili ſyncope de medio viuentium ſublatus ſempiterna patioris deliquia.

DISTICHON APHORISTICVM.

In Fide ſi conſtans non ſis, ſed ſæpe vacilles.
Hæreſis infectus peſte repentè cades.

APHO-

Apoplexiam fortem ſoluere impoſſibile, debilem verò non facile.

EXPOSITIO MEDICA.

Syncopes, & Apoplexia facultatis Vitalis, & Animalis vehementiſſima, ac breuiſſima ſunt ſymptomata terrore, & periculo plena, propterea Hipp. expoſita in antecedenti ſyncopis prędictione, ad apoplexiæ prognoſim ſtatim, nullo interpoſito ſpatio, conuerſus, in pręſenti fortem apoplexiam incurabilem, debilem verò non facilis ſtatuit curationis: Ex quibus autem depromantur debilis, & fortis apoplexiæ argumenta docet vniuerſa Medicorum ſchola, à tribus potiſſimùm fontibus diſtinctiua ſumens indicia, à vehementia ſcilicet ſymptomatum, quæ pręcipitem comitari ſolent affectum, à ſede affecta, & à cauſæ vehementia; in ſerie ſymptomatum, cum ſenſus, motuſque priuatione, & reſpirationis læſione integrari ſoleat apoplexiæ quiditas, & vehementia; quò pęnitiùs ſenſus, motuſque fuerit amiſſus, ac altiùs impedita reſpiratio, effera magis, & vehemens erit apoplexia, cuius quatuor poſſunt pènes reſpirationis læſionem ſtatui differentiæ: Grauiſſima, & acutiſſima prima, quæ ſpiritum funditùs intercludit, & ſtatim iugulat: Vehemens, in qua violenter cum ſtertore, & intermiſſione ſpiritus exploditur: Minùs grauis, qua non coactè adeo, & violenter, ſed inordinatè, & inęqualiter ſpirare cogitur æger: Omnium mitiſſima, in qua ſeruatur aliquis reſpirationis ordo, ſenſuſque obſcurus, motuſque torpidulus relinquitur. Prima omnium deploratiſſima, quæ nec cogitandi præſidij locum relinquit, ſed momento, veluti fulmen, priùs perimit, quàm proſternat; hanc equidem curare impoſſibile, vt quæ ſubſequitur propter integram ſpirituum vitalium interceptionem, & animalium ſuffocationem; reliquas pro maiori, vel minori ſenſus, motuſque, ac reſpirationis offenſa ſpes amplior, vel anguſtior concipi poteſt de curatione.

Secun-

Secunda fortis, aut debilis apoplexiæ differentia ex ſedis affectæ dignitate, & officio definienda, & quamuis cerebrum ſit omnis apoplexiæ ſedes, cum pluribus conſtet partibus, in quibus variam ſtatuunt apoplexiæ ſedem Auctores, videndum, quęnam inter ipſas laboret, cum nondum planè conſtet an cerebri ipſius ſubſtantia, an ventriculi, an plexus ſolus retiformis, an carotides arteriæ pręcipuam teneant ſedis affectæ rationem; quò plures tamen ex his partibus lęſas coniectare quis poterit; eò fortior putanda apoplexia; & de curatione minùs ſpondendum, ea tamen vehementior, qua plexus choroides obſtruitur, in quo ſpiritus vitales recipi, & in animales elaborari communis eſt ſententia, licet etiam alijs ex partibus apoplecticus prodire poſſit affectus, ex obſtructione potiſſimùm arteriarum carotidum, ventriculorum, cerebri, infarctu ſubſtantiæ eiuſdem ab oppletione, oppreſſione, compreſſione meatuum quorumcunque cerebri, per quos ſpiritus in organa ſenſuum, & motus ferri ſolent.

Tertia vehementis, aut benignioris apoplexiæ differentia ſpectatur penes humoris, & materiæ illam procreantis indolem, cui poſſunt & plures aliæ ſubnecti circumſtantiæ, ætas nempe, habitus vitæ ratio, anni tempus, & cętera, quæ magis opportunos ad apoplexiam valent ocyùs proſternere, quibus omnibus inter ſe collatis, ſi ſingula in ſtatuendam apoplexiam fortem vniuerſa collimare videbuntur, incurabilis protinus conclamanda: Sin minùs, quò ſigna diſſona magis, & diſſita longiùs ad leuem, vel leuiſſimam propendere ſpectabuntur, non ſtatim deſperanda res erit, ſed de difficili, vel operoſa nimis curatione, ac diuturno remediorum vſu pronunciandum, cum debilem apoplexiam curare non facilè fateatur Hippocr. Spectandus igitur humor, an bonæ ſit indolis, vel prauæ, multus, an paucus, ſanguineus, an pituitoſus; ex humore enim benigniori, veluti ex ſanguine, faciliùs per ſectam venam poterit debilis apoplexia curari, vt in Athlętis, quàm ex pituita: item apoplexia à flatibus temulenta dicta, in ebrijs excitata, faciliùs ſolui poterit, quàm ab alia quacunque fixa materia, cum facilè diſſolui poſſit vapor, non item tenax humor.

De vitanda mentis inflatione ab inani gloria.

DAmnabiles inter affectiones, quæ apoplectici inſultus ad inſtar animam ſenſu, motuque repentè poſſunt priuare, ampulloſa ſanè ſuperbia eſt, & iactabunda ambitio; nec alia inter animi paſſiones poteſt aptiùs apoplexiæ generationi, & eius effectibus accōmodari; mutua enim ſibi reſpondent opera, & ſimilitudine ſuperbia, & apoplexia: Si generationem ſpectemus, apoplexia fit à vapore, vel humore viſcido, aut multo repletis cerebri ventriculis, & impedito ſpiritus animalis in organa motus, & ſenſus influxu. Ambitio, & ſuperbia fit prǫſtantiæ, & magnitudinis conceptu, & immoderato dignitatis æſtu deprauatis animæ potentijs, & impedito Dei, ſuique cognitionis in organa rationis influxu; & eiuſdem in opera pia quǫlibet acceſſu, ne ſcilicet ſentiat anima, quæ de Deo ſentire debet, ac de Proximo, & de ſe ipſo concipere, prohibens vlteriùs ne ad ea, quæ ſcienda, & intelligenda, ac inueſtiganda ſunt moueatur. Apoplexiæ morbus horrendus, & vehementiſſimus ægrum repentè quatiens, & proſternens; non minùs efferа, vehemenſque paſſio cenſetur ambitio, quæ fortiter exagitat animum, & mortales ſǫpe repentino prǫcipitat caſu: In apoplecticis reſpiratio inǫqualis, & violenta; in ſuperbis inordinatus, & violentus tractandi modus modò ficta humilitate demiſſus, modò violenta petulantia elatus. Apoplexiam fortem curare impoſſibile; vehementem ſuperbiam corrigere vix ſperare licet. Apoplexia licet mitior ferè ſemper in paralyſim deſinit, ambitio depreſſa rebus aduerſis in mentis ſtuporem degenerat: Perbellè adeo, & graphicè ambitionis paſſio naturam ſequitur apoplectici inſultus; vt ſuperbiæ ideam tam immanis morbi ſimilitudine placuerit adumbrare: Nec aſſumptum ſacris caret exemplis: Hoc vnum arrideat, quod Eſai. ipſe cap. 14. in ſuperbiæ prototypo Lucifero proponit; delineet ipſe veram fortis apoplexiæ imaginem. Inflatus ille, & ſupremæ dignitatis æſtuans deſiderio, forti ambitionis apoplexia proſtratus in profundum lacus cum nequiſſimis aſſeclis depulſus eſt verè ſedem, materiam, & effectus referens apoplexiæ *In cœlum conſcendam*, inquit ille, *ſuper aſtra*

Dei

Dei exaltabo ſolium meum : Ecce caput proprium ſuperbiâ, Diuinum iniuria læſum. *Sedebo in montem teſtamenti* : Ecce cerebrum deſiderio obſtructum prauo, & fixa repletum materia. *Ero ſimilis Altiſsimo*: En vitioſa caput tumens inflatione, qua deprauatis omnibus cerebri potentijs, impedito Diuini ſpiritus ad organa mentis, & cordis acceſſu, omni deperdito Angelici ardoris motu, & ſenſu, ac demum ſuffocata, & ſublata neceſſaria ad Beatificam viſionem, & ad æternam vitam reſpiratione de cęlis in tartara repentino corruit percuſſus apoplexiæ fulmine, vbi cum horrendo ſtertore ſempiternus viuens apoplecticus obtruditur; ſuperbis omnibus formidandũ exemplum, vt à tam diro, & immani caueant affectu, antequam in altiores extuberet inflationes, ne ſpiritum Charitatis impediat, ac in pręcipites,& ferè incurabiles apoplexiæ morbos animam proijciat; cum malorum omnium radix vna ſit ſuperbia, vt inquit D. Bern. in ſerm. quadr. *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli arbitra, mater hypocriſis, liuoris parens, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos, ex medicina generans languorem*. Caue igitur quiſquis ſis, qui tam pręcipiti detineris morbo, qui ſcilicet in diuitijs tuis ſuperbis, iactaris in dignitatibus, intumeſcis in doctrina, extolleris in formoſitate, in omni denique benigna inflaris ſorte; caue, inquam, ne altiùs te efferas, ne ex apopletico caſu lapſu grauiore ruas; terra enim, & cinis es, quid tibi in tanto malorum cumulo ſuperbiendum? ſi enim malis omnibus, & vitijs ſolutus, & liber virtutum omnium alis te extolleres, hac vna concepta ambitione dotes corrupiſſes omnes; ſcias, nihil Deo deteſtabilius ſuperbia, & ambitione, per hanc enim pulcherrimus ille, quondam inter creatos apoplectico veluti morbo perculſus ſtatim corruit, vt legiſti: Quid per eam geſtis aſcendere peccator? ſi tantum ob hanc vnam iactantiam illi accidit ſupplicium, quid per hanc alijs adiunctam culpis tibi euenturum arbitraris? grauiſſimum ſanè pondus ſarcinis tuis impoſuiſti. Audi vocem Paulr ad Coloſſ. 2. vbi in primogenitis Fidei apoplecticum metuens lapſum, zelo ſcribens Apoſtolico, ſic habet *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, & nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei*, attende ſcilicet, & pro-

ſpice ſedulò: ne te ſeducat ambitio, & in ſenſu carnis tuæ inflatus caput tuum ſanctis potiùs replendum virtutibus inani implens glo-ria, ac ampullofis turgidum ſpectris in apoplexiæ diſcrimina cor-ruat obſtructum. Quid,queſo,in ſuperbam euehi iactantiam? quid gloriari? quid tanto intumeſcere faſtu? ſi oculos in te ipſum tota intentione reflexeris, an non te mortalem? an non aſſiduè fatiſcen-tem? an non peccatorem? an non apoplecticis animæ caſibus ob-noxium, incerte ſcilicet, & ſubitaneæ neci ſubditum comperies? ſcire velim, quid te horum potiſſimùm ſuperbire faciat, an fragili-tas membrorum, an breuitas vitæ, an cęcitas animi ſpes inter vaniſ-ſimas, metuſque perpetuò fluctuantis, an vlteriùs inflatum faciat animum pręteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac pręſen-tium, an hoſtium inſidiæ, an amicorum deceſſus, an aduerſitas per-ſeuerans, an fugitiua proſperitas? hæ non aliæ tibi ſunt, quàm ad ſu-perbiam ſcalæ, quibus ad ruinam conſcendis. Atqui cętera homi-num pericula, & ſi iniuſtam, aliquam tamen habent excuſationem, ſuperbia nullam habet, ſicuti & correctionem vix vllam, cùm fortis potiſſimùm fuerit capitis inflatio, in incurabilem ferè apoplexiam animam pręcipitans illos pręſertim, qui diuitijs, & honoribus (quę pręcipuæ ambitionis cauſæ ſunt, & fomites) turgeſcentes, & im-modica ſuperbia protuberantes exiſtunt: Sciant iſti honores, & diuitiarum copiam quid ſimile cum fungis habere, ſed peius obti-nere; ingeſti enim fungi ventrem tantùm inflant, & aliquando mentis partem leuiter lędunt; honores verò, & diuitiarum vbertas vniuerſum hominem turgidum reddunt; nec intellectus tantùm partem aliquam, ſed totam tumefaciunt animam: Hanc igitur ab imminenti omni apoplexia ſuperbiæ pręcauere ſtudeas, honores, & diuitias tanquam bona cęlitus gratis data ad ſalutem recipiens, non ab arte, & induſtria comparata ad damnationem. Methodum ve-rò, qua te poſſis à fortis ambitionis, & ſuperbiæ apoplectico inſultu pręſeruare, docet Aug. ſup. Matth. ſer. 59. ita diuites, & auctoratos alloquens *Magis cogitare deberis quid vobis deſit, quàm quod vobis adſit, quod habes caue ne perdas, quod nondum habes, ſupplica vt habeas; in quan-tis ſis minor conſiderandum, non in quantis ſis maior; ſi enim cogitas quan-tùm præceſſiſti, time tumorem: Si verò cogitas quantùm tibi deeſt, ingemi-ſcis; humilis ſi eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non laberis;* nulla

ſcili-

ſcilicet ſuperbiæ apoplexia corrues proſtratus; qua de te ipſo ſenſus poſſit deperdi; hoc eſt in morbum non incides, qui tui cognitionem impediat : *Abſque ſui cognitione neminem ſaluari ſcio* , inquit Bern. in epiſt. ad Eugeniũ : Nihil magis ſui cognitioné obſcurat,quam ſuperbia,& ambitio : Hanc deprime,& te ipſum noſces,& exactè noſces, ſi vndequaque te conſpexeris , vt inquit Ioannes Salisburienſis in tract. de Symbolo, aurea hac animaduerſione : *Eſt primum hominis ſapientiam affectantis contemplari, quid ſit, quid intra ſe , quid extra , quid ſupra, quid infra, quid contra, quid antea, quid poſtea ſit : Hæc conſideratio quadripartitum parit fructum, Vtilitatem ſui, Charitatem Proximi , Contemptum Mundi , & Amorem Dei* : Hæc omnia emolumenta virtutum ex vna prodeunt humilitate ; quæ baſis eſt ſanctitatis , & gradus , per quem cęleſtem ſcanditur ad celſitudinem .

DISTICHON APHORISTICVM.

Si tumefacta bonis tibi mens inflata ſuperbit,
Corruet æternis hæc crucianda malis .

APHORISMVS XLIII. SECVNDÆ SECT.

Strangulati, aut ſuffocati, nondum tamen mortui ad ſe non redeunt, quibus circa os ſpuma apparuerit.

EXPOSITIO MEDICA.

CVm in ſuperioribus duobus proximis aphoriſmis de grauiſſimo vtriuſque Vitalis, & Animalis facultatis ſymptomate, de ſyncope videlicet, & Apoplexia differuerit Hipp. ac vtriuſque prognoſim ſtatuerit, nunc de vehementiſſimo partium reſpirationi inſeruientium morbo, ſuffocatione ſcilicet, & ſtrangulatione præſagium exponens ſuffocatos, & ſtrangulatos, nondum tamen mortuos ad ſe minimè redire pronunciat, quibus circa os ſpuma collecta apparuerit; meatus enim, per quos ſpiritus introitus eſt ad os, & pulmones, & exitus fuliginum cum manu laqueo coarctati, vel intus tumore, vel inflammatione occluſi, vel vertebrarum colli luxatione compreſſi, ac diſtorti eò perueniunt anguſtiæ, vt nec inſpiratione adaucto cordis vſui poſſit ſatisfieri; nec aperto ductu pro ratione fuliginum quantitas expelli, concitato muſculorum colli pectoris, & laringis labore, præ irrita, & violenta ſpirandi difficultate, ac conatu quatiuntur adeo gutturis, colli, & pectoris partes, vt glandulæ, ductus ſaliuares, palatum, cerebrum, & muſculi internam laringis circumferentiam ambientes ſuas ſinguli in os exprimunt humiditates, quæ exagitatione tenuatæ, flatulento intermixto ſpiritu, in ſpumoſa ſoluuntur excrementa, quibus apparentibus, de patiente poſſe conclamari pronuntiat Hipp. præſertim ſi circa os hęc appareat exſpumatio & abundè, quæ quidem affectio non minùs periculoſa, quàm ſit illiaca paſſio, ſeu voluulus, in quò pręcluſa excrementis aluinis ſemita ad inferiora, quidquid aluus infima, & craſſa inteſtina continent adipoſum, & liquabile frequenti deſidendi conatu ſpumoſum reddunt, nihil interim craſſioris de ſuperioribus inteſtinis deſcendente. Quibus igitur ſtrangulatis circa os ſpuma erumpit, ad ſe non redeunt, quòd ſpuma circa os minimè colligi poſſit, niſi

cùm vitali ſpiritu partes omnes adeo deſtitutæ ſunt propter violentum intus retroceſſum, vt iam veluti emortuæ habeantur: Vnde vix fieri poteſt, vt partes reuiuiſcant extinctioni adeo proximę, cum ſpiritu vitali, quo vita carere nequit, deſtitutæ, ſubſtantificum ſtatim diſſoluatur temperamentum, Animaliſque facultas, vel breui ſpatio, vitali non affluente ſpiritu fatiſcat. Hic ſenſus Hipp. eſt; at ſi licet vnicuique ſenſum ſuum proferre, non perpetuæ veritatis oraculum hic aphor. eſt, ſed ex eorum numero, qui frequenter, & vtplurimùm prognoſim non fallunt, cum viſi ſint aliquando vera anguſtia iam ferè ſuffocati ore affluenter ſpumantes rupta momento vomica ad ſe ipſos redijſſe, & diù poſtea ſuperuixiſſe.

EXPOSITIO MORALIS.

Inuidia ſuffocati vtplurimùm ad ſe per correctionem humanam non redeunt.

MAgnus, & admirabilis Aug. lib. de verb. Dom. Inuidiam ſuperbiæ filiam pronunciat, & vtramque innumeram vitiorum prolem habere teſtatur: ſic inquit, & conſulit: *Inuidia eſt filia ſuperbiæ, ſed iſta mater ſuperbia neſcit eſſe ſterilis, vbi fuerit, continuò parit: Suffoca matrem, & non erit filia.* De matris huius fęcunditate in proximo egimus commento, in quo viſum quos edat partus ſuperbia, quomodo ſuffocanda ſit, ne tot pariat mala; differamus in præſenti de filia Inuidia, quæ totam inter vitiorum prolem, qua fęcunda luxuriat mater ſuperbia, nequioris, & immanioris eſt indolis, quæ protinus, & ipſa ſuffocanda, non ſecus ac mater; enimuero cum inuidię paſſio inuidum ſuffocet, eodem plectenda ſupplicio, quo ipſa inuidos ſtrangulat viuentes, qui ſtrangulati, ac verè ſuffocati, nondum tamen mortui poſſunt iuxta Hipp. mentem appoſitè cenſeri, ſed aptiùs ſecundùm Gregor. Nazianz. dicta in Eccleſ. qui ſic habet *Inuidia probum virum ſequitur, æſtrum exiſtens impuri ſpiritus; qui hunc ſuſcepit, ac veluti pectore complexus eſt, nihil aliud habet, quàm quòd animam*

mam ſuam exeſt, & diſſecat ſimul cum corpore ſuffocatur. Suffocat intus ira, ſed expanditur excandeſcentia; inflat ſuperbia, ſed difflatur faſtu; at Inuidia tota ſemper intus agens coarctat ſpiritus, & alienæ felicitatis laqueo ſtrangulat animam, ac proinde hoc tam dirum portentum non alibi ſuam facit ſtationem, quàm in abiectiori animo alicuius obſcuri, praui, maleuoli, & ignaui; in celebri, & ſpectato loco numquam habitat intus perpetuò ſuffocans, & ſuffocata paſſio. ab omni honeſtate, dignitate, bona ſpe, ab omni denique, quod generoſum quid ſpiret, longè remotum tenet animum; ad Cęleſtia non accedit, nec ad ea, quæ à Cęleſtibus emanant, aut his affinia ſunt; ſed tota ſemper tenebricoſa, obſcura intus vrget ſuffocatiua, & verè ſtrangulatiua paſſio, qua dum ſtrangulantur Mortales, eademmet ſigna proferent, & accidentia, quæ de more violenter ſolent, vel naturaliter ſuffocatos comitari; ſtrangulati enim vultus minax, toruus aſpectus, mutatus character, plumbeus pallor in facie, tremor in labijs, ſtridor in dentibus, nulla in geſtu compoſitio, ſed incompoſitus, anxius coarctatum, & tumultuantem in pectore retinet ſpiritum: Hæc eadem, & alia, ſi quæ poſſunt in ſuffocatis ſigna proferri, & accidentia, in inuidia ſuffocatis deprehendes vniuerſa: Vnde repetam: Inuidia oppreſſiuum, ac ſuffocatiuum malum eſt, quo ſtrangulati viuentes, nondum tamen mortui ad ſe non redeunt, inquit Hipp. quibus ad os ſpuma apparuerit, qua ſententia immedicabilem annuere videtur inuidiæ morbum, his potiſſimùm, quibus ad os ſpuma aſcendit, quibus ſcilicet præ ſuffocantis inuidię violentia impedita Sancti Spiritus inſpiratione, nulla patente tetrę paſſionis expirandis fuliginibus via, cor, mens, & cerebrum aliena felicitate fatigata ſpumoſam internę labis virulentiam in os exprimunt, detractorio ſcilicet veneno famam Proximi inficiunt, bona ipſa, vel bonam corrumpentes ęſtimationem: hi ſiquidē vtplurimùm ad ſe non redeunt, cum veluti delirantes extra ſe ipſos inuidi ſemper ſint, in alienam ſcilicet ſortem iugiter intenti, vt contriſtent, ac contriſtentur, vel in ęmuli ęrumnas intenti, vt in aliena iactura exhilarentur; ad ſe quidem non redeunt, & quamuis ex Proximi malo ſpiritus inuidi dilatari videantur, & expandi, momentanea tamen eſt hæc reſpi-

ratio,

ratio, cum præ timore, ne mutato ſortis aſpectu res ęmuli ſit in meliùs ceſſura, in atra iterum ſepelitur inuidi animus rabiè oppreſſus nouiter, & ſuffocatus, & ita ſtrangulati ad ſe non redeunt,nulla ſcilicet correctione emendantur, neque tanto irradiantur mentis lumine, quo in ſe ipſos collecti tam horridæ paſſionis rabiem, & damna attento animo perquirant, vt ſuperent, vel demulceant incommoda; quandiù autem intra cor hominis inuidię virus fluctuat, poſſunt equidem inuidi quandoque redire ad ſe ipſos; at ſi verbi, vel operis virulenta ad os ſpuma inuidentiæ aſcenderit morſus, & latratus in Proximum effundens, ita vt expleatur opere, quod inuido conceptum fuerat in pectore, tunc vix aliqua ad ſe redeundi inuidi ſpes ſupereſt, & correctioni locus; ſed ferè immedicabilis facta ferina hæc paſſio, malorum omnium fons, & origo, fit ſępe ſine meta peccatum, quouſque inuidus proterua ſuffocatus paſſione ex aliena proſperitate rabidus intereat, vt inq. Cypr. lib. de liuore; *Inuidia radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum materia culparum: mala cœtera habent terminum, inuidia autem eſt malum iugiter permanens, & ſine fine peccatum, quantòque ille, cui inuidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris inardeſcit, & abſumitur.* In inuido igitur rabie ſpumoſo ſpes pauca ex correctione, quòd ſpuma inuidi pluſquam Canis, & Aſpidis virulenta ſit, quorum, quantumuis venenati ſint morſus, & ictus, non vltra corpus agunt; inuidi verò venena intus & extra effuſa corpus, & famam liuore conficiunt: Vnde repetam cum Hipp. ſtrangulatos, & ſuffocatos, nondum tamen mortuos ad ſe non redire, nullo ſcilicet humano præſidio inuidos aliquos reſipiſcere, & emendari, cum deleteria circa os inuidentiæ ſpuma apparuerit. Rem noſtram ſacra diluat hiſtoria: Sacer Chroniſta Luc. cap. 9. in filio cuiuſdam de plebe obſeſſo, & immundo ſpiritu apprehenſo: Refert Sanctus Euangeliſta, quòd *Vir quidam de turba exclamauit ad Ieſum, dicens, Magiſter, obſecro te reſpice in filium meum, quia vnicus mihi eſt, & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſsipat eũ cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum, & rogaui diſcipulos tuos, vt eÿcerent illum, & non potuerunt.* Hæc ſumma fuit patris pro filio deprecantis oratio; Euangelicam nunc luſtremus mentem,

&

&, ad vires eruamus myſterium ; quid enim quæſo, exprimit obſeſſus hic filius , & liberationis modus , niſi appoſitam inuidi ſpiritus figuram ? qui enim filium hunc apprehenderat in ſpecie , & indiuiduo inuidię Spiritum fuiſſe putandum, cum Diabolus inuidiæ ſedulus cultor , & opifex primarius inuaſerit ipſe filij corpus , in quo genuinos inuidię characteres non poterat Lucas aptiùs repprefentare; inquit enim quòd apprehenſus fuit filius ; quos enim corripit inuidia, veluti apprehenſos , tenaciter adeo tenet , vt vix poſſit hæc paſſio ab inuido ſeparari ; quod probat Euang. dum dicit, *& vix diſcedit : ſubitò clamat, allidit , & cum ſpuma diſsipat eum* , *& diſcipuli non potuerunt ſpiritum eÿcere* . Has omnes diluamus particulas ; vt conſtet , quàm bellè inuidi partes integrent , & mores *Clamat ſubitò* ; quòd inuidus ſilentium neſcit , ſed libera nimis lingua pandit , quidquid alienam vulnerat æſtimationem : *Et elidit* ; mos inuidi , qui toties cadit , & tot lapſibus offendit , quot confectarijs ad inuidiam vitijs obruitur : *Diſsipat eum cum ſpuma* ; ita quiſquis obſeſſus cùm ſpuma veluti ſuffocatus ore ſpumans detractorio diſſipatur ; ac perit : *Et vix diſcedit dilanians*; & inuidię vitium cor continuò dilaniat, & cruciat , & vix vlla correctione praua paſſio diuelli poteſt : *Et rogaui diſcipulos tuos , vt eÿcerent eum , & non potuerunt*, eò quòd nulla humana , quantumuis authorata dextera , & hortatione de prauo inuidi corde poſſit inuidię ſpiritus profligari , ſed Saluatoris virtute opus ſit , vt inuidus ad ſe redeat : Portentum quidem ; quod ſibi ſoli ſeruauerat Omnipotens , qui niſi acceſſiſſet , rabidus quidem deceſſiſſet obſeſſus , quòd inuidię Spiritum omninò referebat ſola Chriſti dextera fugandum; Fugauit equidem , ſed increpans primò ; inquit enim Luc. quòd *increpauit Ieſus ſpiritum immundum , & ſanauit puerum, & reddidit patri* ; Increpauit inquam , & turbas de infidelitate ; & peruerſitate , quorum inuidas prænouerat mentes , nec niſi præuijs minis , & obiurgationibus expulit Ieſus Spiritum , nec ad ſe , patremque ſuum redditus antea fuit puer , quàm valida præceſſerit correctio ; vt innoteſceret , quàm Deo ſit abominabile ſcelus inuidię , qui cum Spiritus expuliſſet alios immundos, non acri adeo increpatione exarſit , vt in hoc ipſo clamoſo, verboſo , virulenta cum ſpuma diſſipato, inuidię notas omnes ad vnguem referente .

Inuide

Inuide quiſquis virulenta ſuffocaris nequitia, vide, quàm operoſa ſit tuæ prauitatis, cùm correctio; peſſimum vt exuas morem, & ad teípſum redeas Dei ſit opus Omnipotentia. Caue igitur, cùm te prima ęmulandi laceſſit libido; vt naſcentem ſtatim ſuffoces inuidiam, ne tranſeat in penitiorem; proſpice, ne ſtranguletur hæc arctè adeo, vt ad os venenatam emittat detractionis ſpumam, & ſcias, quòd cum eò aſcenderit, difficulter ad te ipſum redibis; immo & rabidus, ſuffocatuſque Diuinæ mortuus gratiæ remanebis: Hoc tibi inculco, cum Hipp. *Strangulati, nondum tamen mortui, ad ſe non rede unt, quibus circa os ſpuma collecta fuerit*: Nondum mortui ad ſe non redeunt, inquit Auctor, viuentibus inuidis difficulter inter viuos poſſe peſſimá debellare paſſionem; difficulter debellabis ſanè, & ad te ipſum viuens redibis, ſi ad os ſpuma ſerpſerit virulentiæ; At redibis quidem poſt mortem ad te ipſum, & nequiſſimam ſenties tunc inuidiæ tuæ indolem, & cum correctionem optaueris, locus ei non dabitur in loco, vbi dominatur Auctor inuidiæ, vbi inter auerni monſtra dices apertè, quod Alan. de planctu naturæ ſic ait; *Inuidia quod monſtruoſius monſtrum? aut quod damnoſius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna*: Noſces, & fateri cogeris vlteriùs quàm ſit erroneę cęcitatis abyſſus inuidia, humanæ mentis Infernus, contentionis ſtimulus, corruptionis aculeus; noſces qui ſint motus omnes inuidiæ, & nihil aliud eſſe comperies, quàm humanę tranquillitatis hoſtes, mundanæ tentationis ſatellites, animi laborantis vigiles perturbatores, alienę felicitatis excubias. Ne igitur te torqueas vlteriùs, in aliena proſperitate iam deſine triſtari peccator inuide, deſine & in aduerſis Proximi tui rebus lætari, diſce ſorte tua contentus eſſe; ſuperioribus non inuideas, quòd eis non ęquaris; inferioribus, ne tibi æquentur; paribus, quòd tibi ſint ęquales; ęquo animo ſingulos feras ſortis ſtatus, neque, ſi quas emicare videbis dotes animi in fratre, quæ tuas ſuperent, aut exęquent, rabidus inuideas; vt maximus ille Macedo, qui licet potentiſſimus totius orbis arbiter, & Dominator Perdiccam tamen oderat, quòd eſſet bellicoſus; Lyſimachum, quod eſſet militaris diſciplinæ peritus; Seleucum, quòd magni eſſet animi; Attalum, quod Imperatoria dignitate polleret; Ptolomęum, quòd ei ſingula ex voto ſuccederent. At profanis di-

miſſis exemplis, ſacra perpendas. Neque, velut Cain, fratris inuideas proſperitati; neque, vt Rachel, Lijæ fœcunditati; nec, vt Saul, Dauidis felicitati, & hoc vnum ſit ſatis in exemplum, quòd mors per inuidiam introiuit in Mundum: Cura igitur de Mundo ſine inuidia diſcedere, ne poſt temporalem mortem incidas in ęternam.

DISTICHON APHORISTICVM.

Ora venenatis ſi ſpumant inuida dictis,
Dant tibi, dant fratri iacta venena necem.

APHORISMVS XLIV. SECVNDÆ SECT.

Qui admodum natura craſsi ſunt citiùs intereunt, quàm graciles.

EXPOSITIO MEDICA.

PRæter Diuinas, & ſupremas leges, quibus inferior quæque regitur natura, ſuas habet & humana peculiares, ſecundùm quas poteſt ocyùs, aut ſeriùs quiſque mori. Bene conſtituti, & iuſto temperamento donati, habitu conſtantes mediocri, natiuo vigentes calido, tripliciſque ſubſtantiæ integritate conflati, ac externis quàmminimis iniurijs expoſiti ſecundùm naturæ leges diutiùs viuent, quàm ab hac bona craſi, & habitu deflectentes, à moderato potiſſimùm habitu, de quo pręcipuè differit Author in pręſenti, comparatione facta inter gracilem, & obęſum, oſtendens hunc ſuo citiùs ſecundùm naturæ leges fungi fato, quàm gracilem: Vnde quouis modo corporis habitus à mediocri deflexerit, tantò quis breuiore fruetur vita, quantò ab eo recedens in obęſum aſcenderit, & tantò longiùs viuet, quantò de mediocri gracileſcet in tenuiorem: Quapropter Hipp. facta vtriuſque, & obęſæ, & gracilis conſtitutionis collatione, breuiore obæſum vita frui, quàm gracilem præſagire ſtatuit in præſenti, vt quid de vtriuſque euentu in morbis, quid de horum ſolutione in vtraque ţextura præſagiendum ſit innoteſceret. Sed antequam diluatur aphor. ratio, diſtinguendus eſt habitus obæſus; & craſſus ab habitu carnoſo; ſi de obæſis ſermo ſit Hipp. de illis potiſſimùm, qui copioſo ſunt adipe ſaginati, & vniuerſim frigidioris ſunt temperamenti, abdominoſi, in quibus anguſtiſſimæ ſunt venæ, ſpiritus, calor, & ſanguis non valde viuidus, & copioſus, ac proinde non ita vegetę facultates, Vitalis præcipuè, certo certiùs huiuſmodi craſſos, & obęſos homines, ſecundùm naturæ leges, breuiorem vitam percurrere, quàm graciles, ob plures, & maiores, quibus expoſiti ſunt, morbos, apoplexię ſcilicet, & ſuffocationibus; ſi caput præſertim paruum ſit, pectuſque anguſtum toti non-

conſentiens moli: febribus vlteriùs acutis obnoxij, non ratione temperamenti, ſed quòd minùs diſflabiles intus retentæ fuligines ob habitus denſitatem humores ad putredinem leui occaſione diſponantur, anguſtioribuſque venis, ad quaſuis criticas excretiones minùs ſint parati, morbi magnitudini, & ſymptomatum vehementię minùs etiam reſiſtentes citiùs intereunt propter natiuam ſpirituum, & caloris imbecillitatem, qui ingenti obrutus mole in obęſis citiùs extinguitur, quàm in gracilibus. At ſi de obęſis non molli conſtitutione præditis, neque molliori adipe refertis, ſed de carnoſa, firmiorique mole, & validioribus muſculis compacta, ac viuido colore conſtantibus ſit ſermo, non ita breui gaudebunt vita, cum quadratę potiùs ſint conſtitutioni proximi, quàm obęſæ; diſtinguendum idcirco, & diſcreta hac ab illa verum fateri fas eſt obæſos, & pinguioris habitus homines minùs viuere, quàm graciles, cnm plùs hi calore vigeant natiuo, & in triplici corporis ſubſtantia viribus præſtent validioribus, quibus maioris fiunt reſiſtentiæ; & cum præ venarum, ac vaſorum amplitudine facilior fiat humorum confluxus, ac commeatus, præmouendis idcirco criſibus patentiores ſunt viæ, atque vltèriùs, cum graciles ſuccis ſcateant tenuioribus, & magis fluxilibus, rebelles non ita facilè incident in affectus ſicut obęſi; & ideo per ſanitatis, & morbi latitudinem cum craſſi maioribus obnoxij ſint iniurijs, quàm graciles, citiùs, quàm illi, fatis cedent ſuis.

EXPOSITIO MORALIS.

Melioris conditionis eſſe quoad Corpus, & quoad Animam pauperes, quàm diuites.

EX habitu corporis de vitæ breuitate, aut longitudine auſpicatus Hipp. inquit craſſiores natura homines, & obęſos citiùs interire, quàm graciles. Ex habitu etiam externo animæ prognoſim inſtituamus de longitudine, aut breuitate vitæ in his, qui obęſo ſunt corpore, qui ſcilicet diuitijs referti ſunt, & ſaginati; & in illis, qui graciles ſunt, & tenuioris fortunæ ſtatu conſtantes; inter quos facta comparatione, conſtat ſanè diuites citiùs, quàm pau-

pauperes interire; non modò ſpiritualiter Deo, ſed & materialiter Mundo. Spiritualiter quidem quoad gratiam citiùs moriuntur di-uites, & eijſdem de cauſis breuiorem percurrunt vitam, ſicut ip-ſimet obæſi. Hy ſiquidem citiùs intereunt, quòd puſillum calidum innatum, & languidam habeant Vitalem potentiam; diuites ob id cum Diuinæ Charitatis calorem pariter habeant inualidum, & vitæ ęternæ languens deſiderium, Deo citiùs moriuntur, vt Baruch 4. ſic peccatorem diuitem alloquitur *Citò videbis perditionem*. Obæſi inſuper deſides præ grauitante corpore, & ſedentarij facilè putri-das incidunt in febres; & denſiorem ob habitum, cum vix poſſint putridæ fuligines difflari, citiùs occumbunt: Diuites, cum in deli-cijs marceſcentes nullis ſe ipſos pijs exerceant operibus, faciliùs in putridas labuntur vitiorum febres, quarum materia, queque ſit, cum in turgente præ opulentia animo coarctata ſit, & concluſa, non ita facilè Diuina poteſt gratia difflari: Vnde citiùs ſuccum-bunt; tum maximè quia quauis oblata occaſione cum venas men-tis habeant ad ſpiritualia exercitia anguſtas promptè terrenis ob-ſtruuntur bonis. Obęſa corpora varijs, ac repentinis caſibus ob-noxia, apoplexiæ potiſſimùm, & ſuffocationi: Quot caſibus, quot fortunæ, ac fati ludis expoſiti ſint diuites, quotidiani teſtantur euentus: nimia ſuffocantur opulentia diuites, non ſecus ac obæſi; inuida non rarò obruuntur æmulatione, qua citò corruunt; tartarea ſuffocantur tentatione; & ſtatim procumbunt, & nulla reſiſtentia collabentes diſcutunt ſcelerum ideas. Obęſi ſubitaneo concide-re ſolent euentu, vt apoplexia, ſic diuites inflato cerebro repen-tinam quandoque luunt ſuperbiæ pęnam, & non rarò violento pe-reunt fato; ita quidem diuites per omnigenos errores, in quos prę-ceps labitur ipſorum animus, animæ mortem faciliùs ſubeunt, quàm pauperes. Neque modò ad ſpiritualem animæ mortem ma-gis parati diuites, ſed reuera faciliùs, quàm pauperes morte pe-reunt naturali. Cum verò duplex diuitum notetur indoles, auari ac planè ſordidi ſint quidam, ſplendidiores alij: vtrique citiùs pe-reunt, quàm pauperes, modo tamen oppoſito; generoſus diues lauto nimis vitæ luxu naturam opprimendo, auarus verò praua, & abſurda tenuitate victitando; hic conterendo corpus, nimia atte-nuatus inędia diſſoluit mixtum; ille oſcitabundus inexplebili in-
gluuie

gluuie ligurierido ingeſta congregat ad ſui ſuffocationem: Vnde patet extremum diuites citiùs claudere diem; quàm pauperes, quorum vegetior erga Deùm calor humilitatis pabulo nutritus humanas facile temnit conſolationes; in illis maximè, qui ſua ſorte contenti ab omni vitioſa opulentiæ craſſitie ſe ſtudent prętueri; Diuinę ſe totos ſiſtentes Prouidentię moderandos, qui ſcilicet egent in terris, ſed locupletes dicuntur in Cęlis, diuitijs vacui, ſed virtutibus repleti, & obęſi; deſpecti Mundo, ſed acceptabiles Deo: Hi ſiquidem graciles; & ab omni ſe ſaginandi cupiditate alieni diutiùs viuunt, quàm bonis omnibus terrenis affluentes cęteri, cum nihil habeant, quòd vitam ſuffocet tempotalem; nihil, quod impediat æternam: & veluti natantes, qui eò feliciùs tranant flumina, quò minùs onuſti; ſic minùs in hoc Mundo curis oppreſſi terrenis longiorem Deo vitam ducunt, donec traiecto hoc mortalitatis Oceanò ſe conferant in ęternam, vbi clarior emicabit aphor. veritas in turba magna Electorum, quorum partem maximam ideo de pinguedine Cęli ſaginatam comperies, quòd paupertatis tenuitate gracileſcere didicerit in terris. Qui igitur pauper, inops, & gracilis eſt in hoc ſæculo, gaudeat, oretque Deum, vt non mutetur hęc corporis conſtitutio, ne fortè in pleniorem conuerſa obęſę ſubeat pericula; neceſſarijs aquieſcas; neque cupiditas in craſſiorem, qua poſſis obrui, te extendat molem; & ſi fortè tędeat anguſtijs inopiæ vexari, ſcias, quod Deus per Iob. 36. ſpondet inquiens; *Eripiet Deus de anguſtia pauperem*; & cum Pſalmiſta 24. Deum ſuplex exora quotidie, & repete *Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego*; Si enim pauperies tua, cum Prophętica, ex peccato erit, ſit animæ inopia, ſit corporis pauperies, ab vtraque eruet te tandem Omnipotens.

Qui admodum natura craſſi ſunt citiùs interire, quàm graciles rurſus Hipp. ſcripſiſſe putandum, vt illorum indolem oſtenderet; qui obtuſæ mentis, ac ſenſuum craſſitudine in humana intemperantia ſaginati, nihil ex his, quæ ad Chriſtianam vitam pertinent diſcere, nihil eorum, quibus ad ſalutem indigent ſcrutari curant; & intelligere; ſed ignari, & terrenis delicijs obruti acuta negligunt ratione duo illa tanti ad ſalutem momenti perſcrutari, Deum ſcilicet, & ſeipſos, quæ quidem cognitio quàm neceſſaria ſit, & quos

culta,

culta; vel neglecta proferat effectus, exponit Bern. ſup. Cant. hiſce notis *Vtraque cognitio, & Dei, & Tui eſt neceſſaria ad ſalutem; quia ſicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex notitia Dei itidem amor; ſic è contra de ignorantia tui ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio.* Hanc igitur mentis hebetudinem ex obtuſa ortam ratione, & ſenſibus craſſis inductam omni conatu cures in gracilem, in peſpicacem ſcilicet, & acutam, ac in ęthercam acuminare ſubtilitatem, vt Deum nò ſcas primò; & illius recolas Omnipotentiam, ipſius ſtupeas ad Prouidentiam, horreas ad Iudicium, ſperes ad Miſericordiam: mox te ipſum noſcens, & intelligens tua videas primordia, tuum ſcruteris terminum, tuam inſpicias ad cretam, tuos reſipiſcas ad cineres, tuas ingemiſcas ad culpas, paratas paueas ad pęnas; præclaris hiſce notionibus gracilior facta mens tua diutiùs Deo diſcet viuere; non item craſſa, & obiectis impinguata terrenis, quę in propria ignorantię craſſitudine ſepulta mundanis caſibus obnoxia, breuì viuens Cęlo, viuet in ęternum Diabolò vt Iob. 4. ſic minatur *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Caueas igitur ab ignorantiæ craſſitie quiſquis ſcire potes quid de Deo, quid de te ipſo ſentire debeas, neque excuſatione dignam fateare ignorantiam; non enim omnis ignorans immunis eſt à pęna; *Ille etenim ignorans*, inquit Aug. lib. 4. hab. diſtinct. *poteſt excuſari à pæna, qui quod diſceret non inuenit; illis autem ignoſci non poterit, qui, à quo diſcerent, habentes operam non dederunt. Diſcite à me*, inquit Chriſtus; diſcendum enim, vel pereundum, quia niſi didiceritis cùm poteſtis, mortales quid pro ſalute moliendum, peribitis, vt prou. 17. *Qui euitat diſcere, incidet in mala*; ſed ad ſobrietatem diſcendum, non ad arrogantiam, cuius error meta eſt, & hęreſis, vt Aug. inquit. *Melius eſt neſcire, quàm errare; melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Mens igitur gracilis ſit, & acuta, non craſſa, & ignorans, Craſſior enim citiùs interibit, gracilis verò, & perſpicax, quæ Deum noſcat, & ſe ipſam, gratię viuet diutiùs. At gracilitas non ad extremam vergat extenuationem, ita vt plus diſcere velit, quàm vires ferant, ſed diſcat quiſq; quantùm ſat ſit ad notiones pro ſalute neceſſarias. Qui verò admodum craſſi ſunt, & adipoſa adeo in huius ſęculi opulentia conſepulti, vt iam ferè terrenis videantur bonis ſuffocati, ex Hpp. conſilio diſcant quæ certa ſuperſtat vitæ temporalis breuitas,

&

& ęternæ iacturam præcauere protinus antequam repentinus aliquis irruat caſus, quorum innumeri imminent occurſus in diuite, curet anteuertere ieiunijs caſtigationibus eleemoſynis, humilitate, orationibus felicitatis plenitudinem. Deprime ergo diues, quiſquis ſis, ieiunio abdominis protuberantiam, ſanctis exercitijs torpidos excita ſpiritus, eleemoſynis auri minue plenitudinem, humilitate mentis deprime intumeſcentiam, pauperem diligas, & gracilioris fortunę miſeros adiuua, nec vnquam inopes deſpicias, in ipſorum enim dextera tua ſtat ſecuritas; tua viuit ſi miſerearis, & vacuum non dimiſeris pręſeruatio; *Nihil enim tam graue,* inquit Ambr. in pſal. *quàm vt fratres noſtros pauperiores ſuperbo oculo deſpiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus faſtidio, noſtra indignos gratia reputantes, quia ſunt inopes; cum paupertas Deo ſit acceptior, quàm Theſaurus.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Inuida mors lætos citò claudit diuitis annos;
Longæuos inopis dum ſinit eſſe dies.

APHORISMVS XLV. SECVNDÆ SECT.

Epilepſia laborantes iuuenes cum loci, temporum, & victus, tum maximè ætatis mutatione liberantur.

EXPOSITIO MEDICA.

Qvatuor iuuenibus epilepſia laborantibus ſalutares ſcopos prophylacticos magis, quàm curatiuos proponit Hipp. Iuuenes ſcilicet loci, temporum, victus, & ætatis mutatione ab epileptico poſſe inſultu liberari pronuncians in pręſenti. Iuuenes, inquit Hipp. non adultiores, & ſenes, quòd fortaſſe minùs frequentes in hiſce ætatibus epilepticas viderit inuaſiones, cum rarò in ſenibus contingant; at ſemel in huiuſmodi prouectioribus apparentes inſanabiles ſunt, cum vix fieri poſſit in ſenibus, & ætate conſiſtentibus tam dirus affectus, quòd morboſæ diſpoſitiones per capitis diſcraſiam altiùs infixæ non ſint, quæ mutatis etiam omnibus ægrè poſſint deleri, ne dicam impoſſibile, niſi fortè ex recentiori victus intemperantia comitialis ortus eſſet inſultus, qui poſſet etiam in ſene, correcto victus errore, deleri, vel ſaltem mitior reddi, aut ad rariores magis acceſſiones prorogari; cęteris de cauſis prouectiorem, vel ſenilem epilepſiam omnino poſſe curari impoſſibile propter hecticam cerebri, partiumque epilepticam diatheſim fouentium imbecillitatem, qua ſemel hoc morbo correpti ſenes nunquam vindicantur, ſed apoplexia, vel huic finitimis affectibus percuſſi tandem decedunt. Cęterum in iuuenibus, ſint pueri, ſint puberes, ſint adoleſcentes, ſint iuuenes venerem experti, vel non, ad annum vſq; circiter 25. poſſunt quidem per cõmendatas ab Hippocr. mutationes epilepticæ aboleri diſpoſitiones, hoc, vel illo pręſeruatiuo, contingente beneficio in mutatione cauſæ, quam ſuggeret morbi conſtitutio, & inueſtigatio.

Loci primùm mutatione, ſub quo & ambientis ſtatum complectimur, & anni tempora, poſſunt epileptici ab immani morbo vindicari; etenim ſi locus, in quo degit ægrotans craſſo, & vliginoſo ſit ambienti perflatus, caput frigida languens diſcraſia replens, loci

proderit mutatio, ſi pręſertim conceptos in eodem congeneris humoris apparatus foueat, & commouens à cerebro in neruorum propagines impellat, obſtruatque non integrè ventriculos, ad epilepticos vſque concitans inſultus, tunc declinata regione, in aptiorem diuertendo, quæ non prorſus ægrotantis intemperiei, & ægritudini ſit aduerſa, ſed modificata loci, & regionis mutatione poterit epileptica aboleri diſpoſitio.

Temporum quoque mutationes mutare poſſunt epilepticorum ſortem, ſi nempe tempora, quæ ſua intemperie, & inęqualitate excitare, vel ſaltem epilepticam fouere poſſunt mineram, cum regione ſimul in diuerſa mutentur, eas annui potiſſimùm tempeſtates pro viribus declinando, in quibus ſuis epileptici corripi ſolent paroxiſmis; mutata nimirum regione, in qua nulla notetur tunc temporis ambientis, & noxia Cęli natura; vt ſi autumno de more ingrueret affectio, in regionem migret epilepticus, in qua nôn ita inęquale, & intemperatum ſit hoc anni tempus, neque tanti ferax mali; & ſic eadem proportione, & pręcautione reliquas pręcauendo anni tempeſtates. Temporum mutatione vlteriùs ſperanda epilepſiæ ſolutio, cum temporis tractu reuera mutari poſſit aſtrorum aſpectus, quorum influxui nonnulli potiſſimam tribuunt huiuſce morbi cauſam, Lunæ potiſſimùm aſpectibus, & motui: Vnde plerique epilepſiam lunaticum dicere ſolent morbum, cum ſanè cęteris proximior hic Planeta reliqua inter membra capiti potiſſimùm pręſideat, & cerebro dominetur.

Vlteriùs, victus mutatione epilepticos pręſeruari poſſe, & ſanari ſentit Hippoc. totam ſcilicet euertendo ſex rerum non naturalium miniſtrationem, illam pręcipuè, quæ potior cauſa mali poterit deprehendi, & coniectari, vt conſtet, quo potiſſimùm foueri poſſit errore morbus, vt eidem tempeſtiuè occurratur, totum vitæ genus epileptici inquirendo.

Ætatis denique mutatione concludit Hippoc. ſperandam morbi ſanationem, per mutatas ſcilicet quaſdam accidentales temperamenti qualitates, quæ per ætates non leuiter alterantur, modificato nempe temperamento ſubſtantiali, cum mutari penitus in oppoſitum ſit impoſſibile, quòd eiuſdem aliqua maneant ſemper, & in extremo ſenio veſtigia: Vnde ſi excedens natiui tēperamenti frigiditas,

&

& humiditas, cerebrique, ac neruorum mollities, vt in pueris, epilepſiam procreet, diſſipato per ætatis mutationem ſuperfluo, ſiccatoque per incrementum corpore, minori calor perfuſus humore poterit epilepſiæ cauſam reſoluere: & iſtæ mutationes ſunt, in quibus poteſt epilepticus quiſque confidere de morbi ſanatione, quæ quidem non ægrè poterit obtineri, ſi à temperamento, & humoris vitio orta ſolùm putabitur morbi cauſa. At ſi penitius ſcrutari licet, non omnis etiam in iuuene loci, temporis, victus, & ætatis mutatio comitialem ſoluere poterit affectum, ſi præſertim vitium à læſo temperamento non prodeat; neque ad humoris exceſſum referatur; nam qui ſympathicè patitur ab aura aliqua venenata, de longinqua etiam corporis parte in cerebrum euolante, & epilepticos lapſus excitante, ſi labes iſta, vt Fernelius ingenioſè ſentit, à ſpecifica quadam forma, & deletoria qualitate ſit intus genita, conſtat ſanè hanc etiam quadam ſpecifica alexipharmaci vi oppugnandam; formam hanc cum tot Authores pro primaria ſtatuerint epilepſiæ cauſa, non mirum ſi tot antepileptica preſidia conſcripſerint. Preterea vbi epilepſia ſequitur vitiatam capitis ſtructuram, nulla etiam in iunioribus poterit dictorum mutatione deleri.

EXPOSITIO MORALIS.

De illicito amore, & quomodo curetur.

QVicunque laſciuo flagrat amore epileptico corripi videtur inſultu, neque abſona videatur aſſertio, ſi amatorios inter, & epilepticos inſultus fiat comparatio; etenim ſi quis efferæ vtriuſq; paſſionis ideam perpendat, & exactè diſquirat effectus, & accidentia, fatebitur impudici, & inſani amoris inſultus non aliter corpus, & mentem concutere, quàm ipſamet epileptica acceſſio; conferamus ergo ad inuicem vtrumque pathema per proprias definitiones, & accidentia, vt conſtet aſſumptæ ſimilitudinis ſymbolum. Definitur epilepſia: Typica totius corporis conuulſio cum mentis, & ſenſuum læſione. Definitur improbus amor: Periodica animæ conuulſio cũ frequẽti mentis, & ſenſuũ corruptione. Conuellitur equidem anima, dum impuro ſuccenditur igne; concutitur, & mille contorquetur curis inſanus amans, qui vniuerſaliter conuulſus dici

poteſt, dum non modò corpus varijs conuellitur incommodis, parteſque ſingulas, & facultatum neruos ad originem trahat Amaſiæ, ſed & animam peſſima fatigat conuulſione; dum retracta, & reuocata ab amore, & timore Dei conuulſa tota in ſordidi amoris originem debacchatur, cum tantá mentis, & ſenſuum deprauatione, vt ſapientiores hominum dementet; neque ſenſus ſenſibilia percipere permittat, ſed vniuerſos cęcos adeo, ac deliros reddit cęcus hic amor, vt ſępe nec ſinat tales amatores cognoſcere Deum, nec ſe ipſos, ſed tota ferè ſublata cognitione, non rarò miſeri in ſe ipſos ſęuiant, propria ſibi manu necem inferentes: Hęc allatæ definitionis breuis ſit explanatio. Sed ſigna percurramus, & prognoſim vtramque concomitantia, & ſubſequentia paſſionem. Concidunt primò repentè epileptici, impedita corpus mouente facultate; ſemel correpti impuri labuntur amantes, ſubuerſa nimirum affectus dirigente ratione: Mentis, ſenſuſque functiones intercipiuntur in epilepticis, ſpiritu animali in expulſionem morbificæ materiæ occupato; intercipiuntur etiam mentis, ſenſuſque functiones in obſcęno amatore, quòd ſpiritus totus occupatus ſit in obiecto amato, vt paſſionis moleſtiam excutiat: Epilepticis ſpuma prodit ab ore; maris inter ſpumas ortam Venerem fabulantur Poętæ: Difficilis in epileptico anhelitus, varij vultus colores, & totius faciei character mutatus; improbus amor vix reſpirare ſinit amantem, varios excitat in vultu colores, modò pallet amans prout ſpe, vel diſperatione concutitur, characterem ſemper exprimit à natiuo alienum: Vrinæ, feces alui, & genitura ipſa epilepticis inuolontariè, contractis muſculis, excernitur; æſtuantes, & effrænes amatores, contractis omnibus in dilectum obiectum imaginatiuè muſculis, turpiter eijciunt quod honeſtè foret ſupprimendum: Epilepſia ferè ſemper paſſio iuuenum eſt, ſenemque ſi corripiat, ad mortem vſque comitatur, amor cupidineus iuuenilis eſt affectio, at ſi ſemel ſenis animum aggrediatur ad interitum vſque non dimittet. Hæc ſigna ſunt, & accidentia, quæ ſolent epilepticos æquè, ac turpes amatores comitari; quæ verò vtroſque ſubſequuntur inſultus non minùs vniſona, quàm pręcedentia: Perpendamus ſingula, vt latiùs ſimilitudins pateat exemplum. Qui ab epileptica exurgunt acceſſione eorum, quæ perpeſſi ſunt immemores remanent, animi deiectio ſubſequi-

tur

tur, in vultu meſtitia permanet, oculorum turbatio, motus ſegnities, tędium, & pandiculatio; qui ab impuro exurgunt ardore dictorum, & promiſſorum protinus obliuiſcuntur, animus triſtatur, ac demittitur, ignauus fit, & cogitabundus, faciei rubor, & æſtus permanet, ac turbatio, ad inceſſum pigrities, & de profuſa nimis vtraque ſubſtantia tędium ſequitur jnterturbans.

Videamus modò quid de vtriuſque prognoſi ſentiendum, concordant ambo; etenim quantò frequentiùs, diutiùs, ac vehementiùs ægrum epileptica torquet acceſſio, tantò periculoſior, quæ ſæpe crebris inſultibus proſternit, & iugulat. Non aliter, neque minùs periculoſa laſciuientibus inſani amoris exercitia, ſi ſæpiſſimè, diutiùs, ac vehementiùs in repetitos ferantur congreſſus, qui delaſſatum tandem corpus perdunt, & animam: Vnde ingeminare liceat, & repetere ortus, atque exitus rationem in cupidineo, & impuro amore, epilepſiæ primordijs, generationi, & effectibus æquè reſpondere. Neque mirum, ſi impudicos amantes laſciuos epilepticos appellare placuerit vniuerſos, cum vulgus ipſum venereum congreſſum paruam dicat epilepſiam.

Tradita definitione, cauſis, ſignis, & prognoſi libidinoſi, ac turpis omnis amoris, curationis methodum ex ipſamet pro epilepticis tradita depromamus; inquit enim Senex noſter epilepſiam quatuor potiſſimùm curari preſeruatiuis adminiculis; totidem & nos curemus peſſimam impuri amoris paſſionem: Curatur illa loci, temporum, victus, & ætatis mutatione, quorum pręſidio curabitur etiam ſordidus omnis amor.

Primò loci mutatione, quæ multum conferet impudico, vt illicitos deferat affectus; locum mutet, lupanaria dimittat, domos fugiat ſuſpectas, diuertat ab Vrbibus, & ab ipſamet Regione decline longè ab Amaſia, poſtribula mutet in oratoria, chorearum aulas in pſalmodiæ ſtationes, illicita conuenticula in Eccleſias, niſi in eas properet terrenæ magis, quàm cęleſtis excollendæ imaginis cauſa, tunc melius foret ſacras ædes in plateas conuertere; longè demum fugiat, ſi propior Venus ſtimulat, vt conſulit Ouid. lib. 2. de remed. amoris hiſce carminibus.

Et loca ſæpe nocent, fugito loca conſcia veſtri
Concubitus, cauſas illa doloris habent.

At

At aptiùs loci mutatio conferet, ſi immundus amans de hoc Mundo in Cęlum mentem extollat, & ad Inferos eam demittat; ita gemino poterit igne impuros æſtus diſſoluere, ſurſum cum Electorum gaudijs Diuini Amoris foco ſuccenſus, deorſum cum carbonibus deſolatorijs flammæ cruciantis ardore crematus; illuc deſcende, moram fac, animum fige, & (ſi poteſt) Venere mens tibi flagret impura. Temporum mutatione fęda poteſt paſſio debellari, inquit Hipp. ſi nempe pręſignata illicitos ad tractus, & obtutus, ad impura colloquia, ad honeſtatis negotiationem tempora declinabuntur vniuerſa; ſi tempora, quibus ſacra celebrantur ſolemnia feſtiua magis tuæ non ſtatues obſcęnitati, curabitur mutatione temporum dementans hic morbus, ſi quanti ſit momenti temporis iactura perpendes, ſi tempus nimirum tuo muneri, & facultati dicandum inter Amaſias incaſſum non conteres, ſi labile percipies: Temporum mutationes attēdat inſanus amans quiſque, & quidquid ſubdola prodigit in ſcorta, futura ſeruet in tempora, quæ ſi florent pręſentia, mutari forſan poterunt impoſterum, & diuitias in egeſtates conuertere: De ſęculi huius momentaneo, ac fugaci tempore mentem transferas in æternitatem, ſalutis tuæ ſeriò conſulens negotio: Dauidica diſcas methodo te ipſum longioris æui recordatione ab illicito amore pręcauere: *Annos æternos in mente habui*, inquit Prophęta. Temporum, non temporis mutatione curari epilepſiam inquit Hipp. quaſi de æternitatis recordatione, quæ temporum nomine deſcribitur, ſcripſiſſe videatur. Dies certò ſtatues tibi futuros delicijs, vel ſupplicijs ſempiternos. Hac methodo ſolutam ſpondeo inſani amoris epilepſiam, & cum Pſalmiſta, ſancta, & pura flagrans concupiſcentia, proferes, quod ipſe pſal. 118. concinit Deo *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore*.

Victus etiam mutatione reſolui poteſt epileptici amoris aura venenata, tota ſcilicet victus ratione in oppoſitam diſpoſita, crapulam, & opiparas menſas, in quibus venerei condiuntur apparatus in abſtinentiam, & ieiunia commutando, deſidiam luxuriæ matrem pijs exercitijs propulſando, excretos in obſcęnitate profuſos ſumptus ſupprimendo, & pauperibus erogando, omnes diſſolutos mores, & effrænes licentias in modeſtiam, prudentiam, & continentiam flectendo, virtutes denique ſingulas, quæ laſciuo viuendi ritui videbuntur

buntur oppoſitæ, in præſeruatiuam tanti mali curationem impendendò vniuerſas: Neque ſuam quiſpiam excuſet flammam, & amorem ſuum pro caſto pronunciet, vbi ſubdolum concepit, peſſimus enim culpæ modus; miſerum enim eſt peccare, miſeriùs delectari, miſerrimum excuſare, & tum demum conſumata miſeria eſt, cum ad ſtudium voluptatis opinio quædam honeſtatis acceſſerit; caſtus amor non eſt, qui munera mittit, & epiſtolas, ſed mercator honeſtatis, vt inquit Ambr. in epiſt. ad Nepot. ſic. *Crebra munuſcula, ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicatas, & oblatos, ac deguſtatos cibos, blandas, ac dulces litteras ſanctus amor non amat.*

Ætatis denique mutatione ſanabilem inſani amoris epilepſiam concludit Hipp. Quamuis autem quis nequeat ætatem ſponte mutare, cum non libero voluntatis imperio, ſed temporum ſucceſſiuis gradibus adueniat, poteſt tamen ætas vnaqueque accelerari, & prę-cox fieri ſenectus: Hinc Hipp. eam ætatis mutationem innuere videtur, quæ reuera ex obſcęna Venere pręcurrit, ac pręmaturè nimis anticipat, cum laxata, & effęta ſalacioris iuuenis natura præ laſciuia marceſcens velociſſimè feſtinet ad ſenium, in quo gelida conſtitutio focos amittit libidinis, & vix flagrans libidine epilepticus minuitur Veneris inſultus, qui tamen ſi prouectiorem aliquando nihilominus ſuccenderit ſenem, breue, quod ſupereſt, ætatis tempus fortaſſe per annos duraturum in dies mutans non niſi ſempiternæ ætatis acceſſione mutabitur.

Caueat igitur quiſquis turpiter amat ne pręcipiti hac corruat epilepſia, mutato loco, tempore, victu, & ætate, ſi quæ ſubeſt impuræ huius ægritudinis diſpoſitio, pręcaueat declinans effectum; principijs obſta, eſt enim fraudulenta hæc affectio altera Panthera, que allicit vt perimat: Amor latens eſt ignis, gratum vulnus, ſapidum venenum, dulcis amaror, delectabilis morbus, iucundum ſupplicium, blanda mors blandis data fęminarum manibus, amplexibus, oſculis, luſibus, & illecebris impreſſa: Sed impudicæ non credas fęminæ incautus amans, fęmineus ſexus, ardor, leuitas, conſuetudo mentiendi, fallendi ſtudium, fructus fallaciæ hæc ſingula, multòque magis hæc omnia ſunt, quidquid illius ore prodierit falſitatis crimine ſuſpectum faciunt: Obiectum dilige mortalis, cuius promiſſum eſt veritas, cuius vox eſt Charitas, cuius Charitas eſt redem-

ptio,

ptio, cuius redemptio ſalus æterna: Dilige dilectionis Auctorem, dilige, qui te ipſum primò ad crucis vſque mortem dilexit; ſic diligi pręcepit per Ioan. 4. his verbis: *Nos ergo diligamus Deum, quia ipſe prior dilexit nos*. Hoc amore ſuccenſus innocens in alios æſtuabis amores, Proximum diliges ſicut te ipſum, & ſi quando fęminam diliges, caſto proſequeris amore.

DISTICHON APHORISTICVM.

Quatuor illicitam Venerem mutata fugabunt,
Ætas, ac victus, tempus, & ipſe locus.

APHO-

APHORISMVS XLVI. SECVNDÆ SECT.

Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, maior minorem obſcurat.

EXPOSITIO MEDICA.

DOloris vehementia ſequitur vim cauſæ, naturam partis dolentis, & potentiæ dolorem iudicantis attentionem; quò cauſa validioris eſt energiæ, pars exquiſitionis ſenſus, & intenta magis obiecto dolorifico potentia, ſanè dolor exurget acerbior: Vnde cum partes aliæ alijs ſint obtuſioris ſenſus, cauſæ doloris non ſemper ſimili ſibi reſpondeant acutie, alteratio ſcilicet, & continui ſolutio alia alijs altior; & profundior, alia minùs, & potentia non tota cauſis ſemper addicta dolorificis, vt in delirantibus, hinc eſt, & fit, vt dolores varij, ſi varias occupent corporis partes, non omnes ſimul eiuſdem ſe proferant vehementiæ, ſed alter alterum, maior nempe minorem obtundet; cum vix fieri poſſit, vt varia concurrant omnia, quæ in eadem vtroſque ſtatuant vehementia, ſed aliqua in alterutro, vel penes partem, vel penes potentiam, aut cauſam circumſtantia deficiat, impoſſibileque ſit vlteriùs vt potentia in iudicanda obiecti dolorifici moleſtia æquo vtrobique motu feratur; & ſenſu: Vnde vera Hipp. ſententia, *Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, maior minorem obſcurat*, tota ſcilicet imaginatiua, & communi potentia vrgentiori addicta; tum quia natura à parte minùs dolente in magis afflictá cum ſanguine, calore, & ſpiritu accurrens, alteram ſpiritu quaſi deſtituens, dolorificis iniurijs perſentiendis minùs diſpoſitam relinquit: Vnde præcipuo deficiente ſenſus inſtrumento, quod ſpiritus eſt, neceſſe eſt & ipſam tolli, vel minui ſenſationem: Hinc dolor remiſſior in parte, etiamſi in eadem fixa perſtiterit doloris cauſa: Vnde conſtans eſt ſententia doloris acutiem ex tribus pręfatis ortam cauſis, vbi maior, & vehementior omnium notabitur congreſſus, ibi reliquorum dolorum minus negotium facere, minùſque ſentiri præſentiam. Vulnerata parte membranoſa, & neruoſa, dolor acutior,

quàm in ſauciato muſculo; calida intemperie laborans; & pars inflammata maiorem proferet dolorem, quàm frigida intemperie detenta; expedita potentia, nec alijs occupata, & diſtracta obiectis, de dolore magis iudicabit, quàm aliò conuerſa: Vnde vulnerati inter pugnas inflictorum vulnerum moleſtiam minùs ſentiunt, quia tota potentia in hoſtem fertur intenta; & noctu, cùm ſilent omnia, dolores ægrotantibus ſemper moleſtiores ſunt, & grauiùs feruntur, quòd ſenſitiua ægrotantis potentia nulla ſit amicorum collocutione diſtracta.

EXPOSITIO MORALIS.

Dolores huius ſæculi vmbras, immo nihil eſſe reſpectu futuri.

D*Vobus doloribus non eundem locum occupantibus, maior minorem obſcurat*, inquit Hipp. at quinam ſint hi duo maiores, vel minores dolores, & quas præcipuè partes occupent non exponit Author generica contentus hypotheſi: Noſtrum igitur erit altiùs aſſurgere, & dolorum ideas, locoſque doloris geminos particulatim tradere, maiores ſcilicet, ac minores inueſtigare, & conferre, vt vbi ſedes eſt maioris, fomeſque minoris, innoteſcat. Maiores, vel minores dolores ſunt reuera, quos vel in hac fragili patimur vita mortales, vel extra viuos ad immortalitatem rapti, ſint dolores terminabiles, & ſatisfactorij in Purgatorio, ſint deſolatorij, & perpetui in Inferno. Dolores iſti ſunt, qui non eundem occupant locum, quorum ſedes eſt Mundus, vel Infernus, aut Purgatorium. Quàm diſiunctæ ſint vtriuſque doloris ſtationes, magnum chaos, quod vtraſque dirimit, teſtatur; quàm verò ſint in eſſentia diſpares dolores iſti, quàm grauitate, & atrocitate differentes, quàm duratione diſcrepantes, quàm curatione contrarij, quàm diuerſus vtroſque ſequatur euentus, ſat abundè ſola Mundi, & Inferni percepta comprobant nomina: Quis verò terrenos inter, & inferos dolores maior ſit minorem obſcurans, ſanè niſi quis, vel nimium delicatulus ſit, vt exiguum Mundi pro ſummo Inferni habeat, vel demens ſit,

vt

vt non cognoſcat, vel infidelis, qui noſcere non curet, ſanè inquam inferos dolores immaniſſimos fatebitur, & vniuerſorum ſtatuet atrociſſimos, cauſaſque vehementiſſimæ actiuitatis ſequientes ſimul inueniet omnes.

Animam ipſam primò exquiſitiſſimæ ſenſationis inueniet participem, & ſpiritualis totam ſubſtantiæ, corporali nulla ampliùs obtuſam materia, ſed ab omni ſeparatam materialitate, qualia qualia ſint obiecta omnia dolorificâ acutiſſimo ſenſu percipientem: Hinc duas principales doloris cauſas efficaciſſima videbit energia agentes, intemperiem ſcilicet, & ſolutionem continui, alterationum omnium iniurias, frigido, & calido viciſſim agentes exceſſu experietur omnes, vt Iob ipſe exclamat 24. hiſce notis *Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium, & vſque ad Inferos peccatum illius*; Solutionis continui ſpecies ibi videbit omnes, deplorabiliſſimam inter cęteras in perpetuo, & in æternum lachrymabili Dei diuortio, ac inconſolabili diuiſione ab Electorum ſorte, & Cęli gloria; ſolutio quidem continui omni deſolatione doloroſiſſimè diſcrucians, vt inquit Hug. lib. 1. de Anima ſequenti effato; *Quis putas tunc mæror erit? quæ triſtitia? quum ſeparabuntur impij à conſortio Sanctorum, & à viſione Dei, & traditi in poteſtate Dæmonum ibunt cum ipſis in ignem æternum, vbi erunt ſemper ſine fine in luctu, & gemitu; ibi erit dolor intolerabilis, fætor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis, & animæ, ſine ſpe veniæ, & miſericordiæ, vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur; ſed ſic morientur, vt ſemper viuant, & ſic viuent, vt nunquam moriantur*: Hæc Hugo. Hæc prima, & ſenſibilior continui ſolutio, quam ſequitur Dei, & bonorum omnium amiſſio, pęna damni paſſim dicta, quam & cęteræ ſolutæ vnitatis ſpecies, quotquot ſunt promiſcuè, & inuicem confuſæ ſubſequuntur, & cruciant vniuerſæ; in Inferis infliguntur vulnera nullis conſolidanda balſamis, ſerpunt illic vlcera null's ſananda ſarcoticis, franguntur oſſa ſingula nullis vnienda faſcijs, luxantur & articuli nullis reponendi ligaturis, ſciſſuræ fiunt in partibus nullis agglutinandæ emplaſticis, eroſiones illic, apertiones, vaſorum extenſiones, contorſiones, intumeſcentię, extenuationes, & ſolutiones ſimul omnes, quæ nunquam vnientur; morbique tandem vniuerſi, nulla data curationis ſpe, nulla leuaminis expectatione, omnes incurabiles, lethales omnes, perimentes

nulli: Illic conflictus perpetuus, rixa contumax, nulla pax, confortium nullum, niſi ſempiterna cum Diabolis ſocietas: Illic vlteriùs vox nulla dulciſona, ſed vlulatus reſonant, & blaſphęmiæ; ſuauis nullus odor recreat, ſed nares feriunt accenſa ſulphura, & bitumina: Illic nulla tactus mollities, ſed ardentia, & cruciantia quęque tangibilia: Linguam quidquid delectat ſapidum pix eſt, & plumbum liquatum; oculos gratus nullus occurſus exhilarat, ſed terrent Dęmonum horrendæ imagines, & damnatorum viſa ſupplicia; mens nihil vnquam ſuaue cogitat; voluntas aſſiduo conflagrat odio; boni dudum habiti torquet memoria; potentiæ denique ſingulæ nullo procedunt ordine. Prętere a, vt inquit Gregor. in moral. *Horrendo modo fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere nequit; mors perimit, & non extinguit; & dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat; flamma comburit, ſed nunquam tenebras excutit.* Hæ cauſæ dolorum ſunt, dolorum ideæ, vmbræ, immo nihil, cum neque mens humana poſſit concipere, nec ſermo diſertus exprimere, neque facundus Orator imprimere dolorum, qui in Inferis cruciant, vehementiam, pęnarum atrocitatem, ſuppliciorum varietatem, ſatellitum infernalium immanitatem, horrorem, & omnigenam tandem tormentorum congeriem, quam licet omnia ſuppliciorum genera, quibus tyrannica barbaries Martyrum corpora diuerſimodè torquere geſtiebat, in vnum collegeris, inuentaſque pęnas omnes atrociſſimas ab origine Mundi, & ad finem vſque datas, & dandas in conſpectum dederis, æquare nunquam vel minimam poterunt pęnarum Inferni particulam, vt inquit Iſidor. lib. de medit. Gehennę hiſce notis; *Intende nunc quaſcunque ſæculi pœnas, quoſcunque tormentorum dolores, quaſcunque dolorum acerbitates, & compara totum Gehennæ, & leue eſt omne, quod patieris; nam duplex damnatorum pœna eſt in Gehenna; nam mentem vrit triſtitia, & corpus flamma.*

Sed audio pleroſque Atheos magis quàm Catholicos, qui de Inferni exiſtentia ambigentes ſacrilego proferunt ore hæc omnia recitata ſupplicia, & dolores non percipi, percipi quidem illos reales, quos in hoc Mundo pati contingit; in Inferis verò quid fiat, & quomodo, penitus ignorari. Reſpondeo, hoc ipſum, quod ſcire non curas, te ipſum finaliter ſcientificum nimis efficiet, cùm ad In-

feros

feros tua te trahet incredulítas; illic dicta, quæ renuis, facto comprobabis, & multò, quam prolata fuerunt, maiora: Excute queſo de mente tua tenebras, & hęreſim quiſquis de Inferno Euangelicè non ſentis, & tibi conſule ſeduló, ne illic pręcipiteris incredulus: Audi, & ſerua Aug. verba lib. 8. de Gen. in quo ſic habet; *Melius eſt dubitare de occultis, quàm litigare de incertis, illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos eſſe non dubito; ſed quomodo intelligenda illa flamma in Inferno, ille ſinus Abrahæ, illa diuitis lingua, ille digitus pauperis, illa ſitis tormenti, illa ſtilla refrigerij, vix fortaſſe à manſuetè quærentibus, contentiosè autem certantibus vnquam inuenitur*. Ne ſis igitur in errore pertinax, pęnis, ac doloribus Inferni mente funditùs perpenſis pro obſcurandis huiuſce ſęculi doloribus vtere, & ſcias hos longè minores, quàm illos, & in comparatione infernalium terrenos, quoſquos patieris cruciatus, eſſe delicias, & nihil reſpectu ſempiternæ punitionis, quàm vmbras, vt Ioann. Chryſoſt. hom. 49. hoc affirmat oraculo. *Pone ferrum, ignem, & beſtias, & ſi quid difficilius, attamen nec vmbræ ſunt ad illa tormenta*. Vide nunc Mortalis, an duobus doloribus non eundem locum infeſtantibus maior minorem obſcuret; maior enim Inferni dolor mente ſeriò, & ſępe reuolutus dolores quoſcunque ſęculi obſcurabit, & immaniſſimos obtundet: Si te fortè vexat dolor inopię, ad Inferni miſerias conuerte lumina, & dolor tuus obſcurabitur; ſi te frangunt infortunia, ſortem peſſimam diſcute damnatorum, & dolor minor factus obſcurabitur; ſi verè te dolor torquet ægritudinum, in tartara reſpicias, vbi nulla ſanitas, ſed perennis infirmitas, & obſcurabitur dolor; quidquid denique tibi mali contigerit, mentem proijce in centrum malorum omnium, & ſtatim dolor minor fiet, & obſcurabitur. Quòd ſi fortè verſari tędeat cum damnatis, quòd nimiùm horreas, & nullis poſſis eſſe ſolatio, mentem conferas paulò diſiunctam ad purgantium animarum regionem, cruciatus, dolores, & pęnas, quibus immaniter torquentur, animo attento perpendas, & nihilò leuiores infernalibus comprehendens, quas in hoc Mundo putas intolerabiles, ad illarum comparationem delectabiles iudicabis; At ſi neque placeat in Purgatorij pęnis per modicum commorari, Parentum, & Amicorum clamantium *Miſeremini mei* voces, & clamores non patiaris, aſcende ſuperiùs, & mentem

in

in Electorum patriam extolle, ibi longiùs immorare, & quidquid mali ſuperuenerit in Mundo, id pluribus ex Electis, & multò maius contigiſſe ſcias, totam intuere Martyrum coronam, tuo longè maioribus contextam doloribus inuenies; vide pariter, & admirare vniuerſam Heremitarum, Anacoretarum, ac Pęnitentium claſſem, & vniuerſas huius ſęculi pęnas pro nihilo habuiſſe comperies; quibus omnibus exactè, & ſedulò perpenſis dolor tuus, quiſquis ſit, ad maioris exemplar obſcurabitur, immo nullus fiet, & omnis prorſus, & affatim ceſſabit dolor, ſi in Virum dolorũ pręcipuè reſpexeris, in Authorem ſcilicet vitæ mentem intendens, in eum, qui verè dolores noſtros portauit attento animo iugiter attentus vocem non contemnes doloroſam: Ipſemet Saluator ad perpendendam ſui doloris atrocitetem te iudicem petit, & imitatorem; inquit enim: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Hac dulciſſima, & languentis amoris voce quid aliud intonat viatori Saluator, niſi vt ſiſtat gradus, mentem doloribus applicet omnibus, quibus fuit redemptus, & iudicet quis potuiſſet, & potuerit ampliùs tantam ferre dolorum immanitatem? vt diſcant vniuerſi ex vehementia, & magnitudine dolorum Domini ſui proprios credere leuiſſimos, hilarique animo perferre, & id certum ſcire, quòd quoties Deus dolores mittit, & pęnas ad correctionem, nobiſcum quaſi iocari; at quando ſempiternis tradit doloribus plectendo, ſeriò, & ſtudiosè (vt ita dicam) rem agere; cum dolores huius Mundi reſpectu Inferorum ſint veluti nugæ, & ludi, quos Deus in orbe terrarum vult, vt veros tandem hauriat à mortalibus pęnitentiæ dolores.

DISTICHON APHORISTICVM.

Corpore ſi doleas, Inferni pende dolores;
Quos fero, tunc dices, ſunt iocus, vmbra, nihil.

APHO-

APHORISMVS XLVII. SECVNDÆ SECT.

Cum pus conficitur, dolores, & febres magis fiunt, quàm iam confecto.

EXPOSITIO MEDICA.

SIne præuia, & comite turbatione inſignes nullæ fiunt per morbos in corpore mutationes; hinc Hipp. criſes omnes, quæ nihil aliud ſunt, quàm mutationes, in vigore febrium, cùm ſumma ſunt omnia, fieri ſcribit, turbatamque noctem criticas omnes naturæ molitiones præire paſſim oſtendit: Vnde cum puris confectio ſpecies quædam ſit criſis particularis, qua poſt vniuerſalem ſeparationem purum ab impuro debet denuo in obſeſſa parte ſeparari, per internum ſcilicet, vel externum decubitum in abſeſſum, ſeu apoſtema migraturum, quid mirum, ſi dolores, & febres, dum pus in his conficitur, intenduntur! cùm ſcilicet materia in parte collecta natiui caloris ſubſidio in alienam mutari debet ſubſtantiam, albam nempe, leuem, & ęqualem, quæ mutatio cum & ipſa etiam fieri nequeat ſine comite aliqua perturbatione, propriam ſuppuranti abſceſſui tribuit Hipp. in doloris, & febris augmento. Dolores primò fortiores fieri ratio ipſa ſuadet, & comprobat experientia, quia principales duæ in puris confectione conueniunt cauſæ doloris, quæ tunc temporis grauiores inualeſcunt; per adauctam nimirum partis alterationem à calore præternaturali in putreſcente materia concepto, vnde prima doloris cauſa; ac per eiuſdem partis diſtentionem, atque mordicationem ab humoris affluxu factam, vnde ſolutio continui ſecunda doloris occaſio; quibus ſimul coagentibus, & dolores, & febres, cùm pus conficitur grauiores, quàm confecto fieri neceſſe eſt; confecto enim pure, ac deferueſcente materia, cum alteratio minor, & mordicatio, ac diſtenſio tanta non fiat, tantus etiam non ſęuiet dolor, & ęſtus, quorum vehementia ſequitur abſceſſus naturam, & varias cauſæ ipſius materialis alterationes, ac partis conditionem; cauſa enim materialis cuiuſque legitimi abſceſſus ſanguis

eſt,

eſt, cum nihil præter ſanguinem veram mutari poſſit in puris ſubſtantiam: Quamobrem ſanguis ipſe quò purior in partem aliquam illabitur, eò tumor, & abſceſſus mitior, & benignior, mitiores & dolores, & febres; at ſi effera aliqua materia influenti ſanguini ſit admixta, tumores & præter modum dolentes, & febrem accerſentes grauiorem ſe proferent: Vnde ſępe ſępius exiguos videmus furunculos ex ſpuria procreatos materia acutos valde inferre dolores, & febres plerumque non leues accendere.

EXPOSITIO MORALIS.

Finalis iudicij dolores, & anguſtiæ.

SI quid in ampliſſimo hoc vniuerſi theatro rerum omnium Conditor creauit Diuinitatem redolens, naturam ſanè humanam potiſſimùm, quæ ideo ab Ariſtotele Diuinitatis particeps aſſeritur, quòd miros edat effectus, ſui ſequens Conditoris nutum; geſtit & ipſa cum ipſo nihil fruſtra facere; hanc tot dotibus inſignitam mortalibus indidit Omnipotens, vt per eam in Diuinitatis agnitionem aſſurgerent, Deumque & naturæ, & vniuerſorum Dominum faterentur, & Auctorem. Si quo tamen in opere prodit, & emicat naturæ humanæ ſublimitas, & prouidentia, certè in ſani corporis regimine, & ęgrotantis tutela, in debellanda potiſſimùm morborum hydra, qua ſępiſſimè confligatur; quanta agat in morbos actiuitate, vt ſuperet; quanta ſolertia criſes moueat, vt ſe vindicet ab acutis, quotidiani teſtantur ſucceſſus, admirabiles præcipuè in criſium molitione per abſceſſus, quem ſolutionis morbi modum, & iudicationis ſpeciem (cum Deus, & natura nihil perperam faciant) ſcrutari placuit, cur Deus hanc criſis ſpeciem per naturam perficiendam decreuerit, & cauſam pro viribus diſquirens, hanc mihi veniam detis, peto, ſi dixero præter naturales, medicaſque conſuetas, in altiorem eſſe euectum indaginem ſtatuiſſe, ob hanc cauſam morbos per abſceſſum ſolui voluiſſe Deum; quia iudicationis hanc formam extremi Iudicij genuinam referre volebat imaginem: Nec improprium videatur ſymbolum; etenim, ſi quiſque mecum antecedentia, concomitantia, & ſubſequentia criſis, & mutationis

nis morbi per abſceſſum ſigna percurret, non abſonam proculdubio fatebitur inter iudicium extremum, & morbi per abſceſſum iudicati ſimilitudinem, quam primò eruamus ab eſſentia rei, mox vniſonis confirmemus ſignis.

Abſceſſus eſſentia,& definitio ab Aretęo breuibus abſoluitur notis, & nihil aliud eſt, quàm ſeparatio mali humoris à bonis, & materiæ in toto corpore ad partem aliquam determinatam à natura iudicante amandatę collectio, vt maturetur, & debito modo, ac tempore expellatur.

Finale iudicium ex D. Th. 4. ſent. diſt. 48. quæſt. 1. art. 1. definitur, quod fit vniuerſalis ſeparatio mali à bonis, totius ſcilicet generis humani ab vniuerſo Mundo in partem determinatam, in vallē videlicet Ioſaphat,prope montē Oliueti Deo iudicāte amādati collectio, vt cuiuſque geſta Diuino maturentur iudicio, vt purulenta reproborum materia debito expellatur tempore, & modo.

Inſignes quoslibet abſceſſus criticę pręcedunt perturbationes,& ſigna per ſęuiora facta febrium accidentia, dolores, febres, iactationes, deliria, nec ſine pręuia, vel comite perturbatione natura ſolet criſes moliri.

Horribilem, & tremendam extremi Iudicij criſim quanta, & quàm horribilia præcurſura ſint ſigna, quot, & quàm terribiles in Cœlis, & in terris criticę perturbationes, canora nimis, ac flebili tuba Prophętarum vaticinia proclamant, & Euangeliſtarum Oracula: *Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, & in Terris preſſuræ gentium*, loquitur Dominus per Sacros Chroniſtas: *Cœlum turbabo, & mouebitur Terra de loco ſuo*, intonat per Eſai. cap. 13. *Turbabuntur gentes, & inſanient à facie gladij*, per Hierem. 25. *Turbabuntur gentes, & timebunt*, per Regium Pſalmographum 64. & innumera paſſim per ſacras paginas minatur Dominus finalis Iudicij futuri præuia turbationis indicia, nec ſine præcedenti, aut comite turbatione alicubi legitur extremum futurum Iudicium.

Abſceſſus magnos præcedit valida febris; quæ febris ardentior illa, qua Deus vniuerſum incendet Orbem, quando venerit iudicare ſęculum per ignem? *Cùm pus conficitur, dolores, & febres inualeſcunt magis, quàm iam confecto*, inquit Hipp. cùm ſcilicet mixta adhuc materia efferueſcere incipit, & à natura alterari ad mutationem, vt

purum ſeparet ab impuro, tunc dolores, & febres augentur. Ita cùm vniuerſa generis humani materia, & rediuiua mortuorum corpora in vnum collecta fuerint, & mixta adhuc tota ſimul, velut in abſceſſu viuentium maſſa, naturaque Diuina, & calor iraſcentis Dei deſcendet ad digerenda, ac maturanda ſingulorum opera, vt puros ſeparet ab impuris, tunc non erunt ampliùs initia dolorum, ſed dolores fient tunc temporis fortiores; & febres animi ſpiritum deuorantes, & flammæ parabuntur prægreſſis vrentiores.

Dum pus conficitur pars abſceſſu laborans modò rubet, modò pallet pro vario motu, & alteratione materiæ. Dum extremum fiet Iudicium modò præ timore, & amore palleſcent iudicandi, modò rubore perfundentur impij præ verecundia, cum ſua quiſque denudata viderit opera, vt Eccleſ. 11. *In fine hominis denudatio operum eius*, nec minori horreſcet, immo multò maiori conſternabitur, quàm ſoleat ęger abſceſſu cruciatus ad acceſſum vomicam aperturi Chyrurgi concuti, cùm detectam viderit quiſque per manus Angelorum plagam ſuam, ſuaſque nequitias audiet vniuerſo Mundo ſeriatim recitari; tunc enim pauidus, & contremiſcens inquiet cum Pſalmiſta: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni inuenerunt me*. 17. Repetet cum ipſo; *Quandiu ponam conſilium in animo meo; & dolorem in corde meo per diem*; Repetet, at proh dolor! ſine fructu; cum dies illa ſit peremptoria, terminus, & omnium meta dierum, dies omnes abſoluens, concludens, & conficiens, vlteriorem non exhibens ſpem alterum in hoc Mundo poſſe videre diem: Dies quidem ò quàm terribilis, & quàm tremenda! quantę deſolationis, & diſcriminis! *dies mala*, *dies iræ*, *& tribulationis* ex Pſalmiſta, *dies lapſus, & anguſtiæ, dies nouiſsimus* Prouerb. 24. *dies Domini, dies crudelis, dies vltionis* ex Iſai. 1. *dies afflictionis* ex Hier. 17. *dies prælij* ab Ezech. 13. *dies repentina* Luc. 21. *dies magnus Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum*, inquit Sophon. 3. In illa equidem die augebuntur, & fortiores fient dolores, cùm, vt præcinit Eſai. 30. *de longinquo venit ardens furor eius, & grauis ad portandum, labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans. Spiritus eius veluti torrens inundans vſque ad medium colli ad perdendas gentes*. Maiores ſanè vigebunt dolores, & anguſtiæ, cùm iam ſedens filius hominis Iudex ęternus in ſede Maieſtatis ſuæ, cum Angelis ſuis Vindex, &

Iraſcens

Iraſcens inflexibili Iuſtitiæ ferro abſceſſum aperiet; cùm ſcilicet poſt denudata ſingulorum opera, digeſtaſque rigida diſquiſitione culpas vniuerſas, ad maturitatem perducta cuiuſque ſcelera, acutiſſimo, ac penetrantiſſimo fulminatæ maledictionis ſcalpello vomicam feriet impuros à puris ſeparaturus: Tunc ſeparatis iam malis de medio iuſtorum, reprobi tanquam pus fętidum inutile; & abominabile in ęternę damnationis vaſa proijcientur, electi verò, ſucci veluti laudabiles, & purus ſanguis in ęterna recipientur tabernacula, & puriſſimis in glorię habitaculis perennaturi ſeruabuntur, vbi neque dolor, neque febris vltrò dominabitur.

En ſolutum abſceſſus ad inſtar finale Iudicium per extractam purulentam reproborum materiam; nam quemadmodum abſceſſus non tantùm dicitur abſceſſus, quòd materia à toto corpore in partem abſcedat determinatam; ſed ideo etiam dicitur abſceſſus, quòd à parte determinata debeat extra corpus ſubacta priùs correctione, & maturitate eliminari; ſic etiam extremum Iudicium non modò dicitur extremum, quòd vniuerſus hominum cętus debeat in partem determinatá colligi, ſed quòd etiam reproborum pus de Mundo debeat in Gehennam propelli.

Hęc finalis Iudicij per abſceſſus hiſtoriam deſcripta rudiｔer tragedia, quam pariter abſceſſus ſignificatione ſe clauſurum teſtatur Dominus, cùm præſcitos ad ęterna proiecturus incendia inquiet; *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum:* Hęc quidem diſceſſio doloſiſſimus erit de loco timoris ad damni barathrum abſceſſus, in quo ſemel locatis os clauditur Inferni, & fortiſſima cicatrice obductum non reſerabitur in ęternum, nullam apertionis ad exitum, neque redemptionis ſpem relinquens, ſed in cęca illa deſperatorum ſtatione nouus alter, & immanior protuberabit abſceſſus, dum ſimul ebullientes, veluti materia abſceſſalis in pęnarum atrocitate damnati, nunquam ad maturitatem dolorum abſceſſus pertinget, ſed affluente ſemper noua materia ſupplicij ſemper flammas inter ardentiſſimas perenni dolore, & febre recrudeſcet tormentorum abſceſſus.

DISTICHON APHORISTICVM.

Iudicium finale paues, & Iudicis iram?
Ne dolor ille premat, diſce dolere priùs.

APHORISMVS XLVIII. SECVNDÆ SECT.

In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies ſtatim laſsitudinem leuat.

EXPOSITIO MEDICA.

Corporis ſanitas ſex rerum non naturalium recta miniſtratione dirigitur, & conſeruatur, & quandiù nullus in illis error in exceſſu, vel defectu contingit, qualis à primordijs accepta fuerat, integra ſeruari ſolet, & incolumis, ſummo potiſſimùm exercitationis beneficio, cuius ope ſuſcitato calore, diſcuſſiſque ſuperfluis, facultates non modò naturales in appetitu, coctione, diſtributione, & nutritione vegetiores fiunt; ſed & animales roborantur, ac motiua potiſſimùm per totius neruoſæ, ac muſculoſæ ſubſtantiæ robur exercitatione comparatum validior fit, & expeditior: Ad laborem tamen, & laſſitudinis ſenſum ineunda non eſt corporis motio, & exercitatio, quæ ſi fortè læſiones haſce protulerint, quies, inquit Hipp. ſtatim laſſitudinem tollit, ſuſcepta nimirum quiete feriando, intermiſſo motus exceſſu, vel non adeo celeri inita exercitatione, vel diſtinctis magis interuallis, vel mauis otio, & ſomno contrarias qualitates opponendo ijs, quæ per vehemens, aut diuturnum negotium contractæ fuerunt, quibus nimiæ laſſitudinis noxę conſulitur. Quòd ſi quiſpiam ab exceſſu laboris, & exercitationis, quodcunque hoc fuerit, ſiue per curſum, ſiue per luctam, laborare iam cęperit, non ſola confractiua laſſitudine, ſed reuera per immodicum corporis motum exagitatus morboſus aliquis in corpore latens apparatus in actum proruperit, leuamento quidem ſuccedet quies, at excitatum tollere minimè poterit affectum, ſed alijs opus erit præſidijs. Ne quis igitur à motu nimio in morbos incidat, moderatè corpus exerceat, & illi exercitij ſpeciei, & menſurę aſſueſcat, quæ temperamento congruat, ętati, & habitui; cum alia alijs debeatur exercitationis qualitas, & validitas. Nec ad laſſitudinem, repetam, in ea progrediendum; qua tamen cum laborare quis cęperit, intermittat

ſtatim

ſtatim, quiete feriando, vel ſomno indulgendo, ne vlteriùs in exercitatione pergens damna ſubeat, quæ ex immoderato proueniunt exercitio, cum corpus calefaciat, & nimium ſiccet, bilem excitet, ſanguinem diffundat, humores, ſi quæ ſubeſt diſpoſitio, in putredinem ducat, febres inde ſuccendat, membra diſtorqueat, diuellat membranas, viſcera concutiat, venas diſrumpat, ſiccando corporis incrementum prohibeat, per accidens exhauſto calore natiuo corpus refrigeret, ad immaturam ſenectam præcipitet, & fluxiones, ac cruditates pariat, ex quibus innumeræ morborum occaſiones. Quæ autem in nimio corporis motu damna ſuccedunt, multò maiora in nimia animi exercitatione ſuccedent in vehementiſſima mentis fatigatione; hæc enim cum plurimùm fuerit exacerbata ſtudio, meditatione, aut intenſa alia functione, leuanda pariter eſt relaxatione, ne fatiſcat ipſa, ſecumque corporis ſanitas collabatur.

EXPOSITIO MORALIS.

Animæ ſanitas piorum operum exercitatione conſeruanda.

QVicunq; corpus ſanũ tueri ſtudet, ac vegetum, frequenti illud excitet exercitio, vt quod ſuperfluum eſt diſcutiat, facultateſque omnes ſuis obeundis muneribus expeditiores reddat, & firmiores. Eadem met methodo vtendum in bono animæ regimine; quiſquis hanc ſanam Deo ſeruaré flagrat, & incolumem crebra debet exercitatione mouere, & ea potiſſimùm exercitationis ſpecie, qua delectabatur Regius Propheta pſal. 118. ſic ille Dominum alloquebatur *Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis*: Hęc via amęna eſt, per quam expatiari, exerceri, & ambulare debet anima, ideſt in mandatis Dei, & in lege Domini, in iuſtificationibus eius, vt ille paſſim cecinit; in hac enim via moueri, & fatigari debet anima die, ac nocte, vt Paul. ad Theſſalonic. ſe fatigatum teſtatur, his verbis; *Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis die, ac nocte operantes*. Cum Paulo igitur ſemper operandum, &

quan-

quandiù viuimus, vt bonę conſulamus animæ valetudini; exercendus ſpiritus eſt in mandatis Domini; & laborandum; nati enim ſumus ad labores; nec laborioſa contemnenda ſunt; nam vt Eccleſ. 7. *Vnuſquiſque mercedem ſuam accipiet ſecundùm laborem*; vt Apoſt. ad Cor. 3. *In omni ætate laborandum. In laboribus à iuuentute mea*, pſallebat Regius Propheta 87. nec ſine labore, & exercitatione in vijs Domini Mortales quidquam aſſequi poterunt ex Cęlitus promiſſis; labor enim in Chriſtiano quolibet exercitio hominem trahit ad ſemetipſum, & ſua compellit ſcrutari pręcordia, atque ea omnia funditus rimari, quibus ſua conſtat fragilis conditio; hac exercitatione diſcet ſe in hanc ęrumnoſam vitę ſemitam proiectum: Vt fidos coram ſuo Conditore greſſus dirigat, eius opem poſcat, vt laborioſi tandem metas itineris feliciter aſſequatur, vbi omnia Chriſtianę laſſitudinis onera leuantur: Lętiſſimus quidem terminus, & laboris omnis ſcopus feliciſſimus, in quem omnes rapidiſſimo feruntur voluntatis motu, anhelant, flagrant, & ſuſpirant. At, ſi licet vera fateri, ſuſpirant equidem vniuerſi in hanc quietis metam deſiderio non opere flagrant, mente non labore, anhelant voluntate non virtute, vt ait Leo Papa lib. de Ieiunio; *Libentiùs ſuſcipitur labor pro deſiderio voluntatis, quàm pro amore virtutis*; Viarum enim, ſi quas ingredi placuerit honeſti laboris ad Cęlum, nondum ſalutatis veſtigijs, ſe fatigatos ſentiunt, vix ſcilicet inchoato pio aliquo Chriſtiani muneris exercitio, vel à concepta ſemita ſtatim turpiter recedunt, vel ſegniter opus intermittunt, vel ſi pergunt vlteriùs in labore, lento gradu veluti tracti feruntur; nihil, quòd animam ſalutari valeat motu exercere, conſtanter tolerant, ſed tribulatione, vel tentatione aliqua turbati protinus procumbunt, leuiſſimoque corporis, aut animi motu exagitati, per morbos, ærumnas, anguſtias, & infortunia repentè concidunt, & ſingula laſſitudinum incommoda lethales animæ morbos præſignantia ſubeunt defatigati, quibus omnibus damnis proſpiciens Hipp. eademmet methodo leuandam conſulit animę laſſitudinem, qua tolli docet corporalem: *In omni*, ait, *corporis motu, vbi laborare cæperit, quies ſtatim laſſitudinem leuat*. Vertamus ſenſum, & inferamus de Anima ſic. In omni animæ motu, vbi laborare cęperit, quies ſtatim laſſitudinem tollit; in omni ſcilicet animę motu, & Chriſtiani muneris exercitio, vbi

laborare

laborare quis cęperit, & in via iuſtitiæ fatigari, ac ignaua licentia delaſſari, quies ſtatim laſſitudinem leuat; quies equidem non breuis hæc, & terrena humanis turbata ęrumnis, ſed tranquilla, ſuauis, Cœleſtis nempe requies, imperturbabilis gloria, iucundis ſemper ſtipata obiectis; hæc enim quies mente concepta, & medullitus reuoluta ſęculi omnes laſſitudines protinus leuat, & tollit, cuiuſuis vel duriſſimi laboris tędia demulcet: *Venite ad me omnes*, clamat Saluator, *qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos*; mente ſcilicet manſiones meas conſcendite, & videte quàm dulcem, & amabilem parauerim fatigatis in via mandatorum meorum requiem, venite, & illuc ſuſpicite, vbi laſſitudines omnes optata quiete leuantur, in Cęlum contendite laborantes, nec terreat in lege mea fatigari: Si tanta placet requies, diſcite à me laſſitudinem veſtram ęterna Cęli quiete leuare: Animabus veſtris requiem quęrens laſſus in laboribus vixi, & paſſione, ac morte fatigatus turpiſſima occubui. Ne pigeat igitur in paratam requiem ſedula, & frequenti meditatione eleuari, hæc enim ſtatim laſſitudinem tollit: In quocunque animę motu, vbi laborare ipſa cęperit, & laſſata procumbere, memorare ſtatim Cęleſtis patrię quietem, & quidquid in hoc ſęculo corpus fatigare poterit, & animam animoſa perferet conſtantia. Video equidem quòd longam horres animæ exercitationem, cùm poſitus in via Domini, & in Diuinæ legis obſeruantia laborans ad mortem vſque exercendus ſit ſpiritus, fatigando iugiter ſine intermiſſione ſalutem ſuam operaturus: Horreſcendum tamen non eſt, cum breue ſit ſtadium, quod curris; meta verò, & terminus optatę quietis, quem conſequeris, interminabilis: Vide quàm diſpar, quàm larga fiat compenſatio, pro leui, & fugaci labore perennis, & glorioſiſſima requies.

Qui Mundi es incola, & terrenis incumbis negotijs, exerce te fideliter in omnibus, neque delaſſeris facilè, labora iugiter, & ſedulò, laborque tuus, ſi fortè ad laſſitudinem vergat iniquam, tollat eam ſtatim ęternæ quietis memoria, & proſequere conſtanter vſque ad finem; in hunc vſque qui perſeuerauerit fatigando ſaluus erit, ait Saluator, ęterna ſcilicet requie laſſitudines omnes in via peregrinationis tuę interobuias leuabit, ac tollet. Omnes ergo curramus in odorem vnguentorum Domini, quibus ſuauiſſima ſolet animæ

animæ requies conciliari: Currant in Mundo viuentes ſęculares, currant à Mundo ſecluſi regulares, & vniuerſa Deo Sacratorum claſſis, pergat hæc conſtantiſſimè, & in omni animæ motu caueat ne laborare incipiat, & infirmari; ſed cùm labor aliquis, & laſſitudo corripiet, in Cęli requiem mentem protinus intendat, religioſæ obſeruantiæ laſſitudinem protinus leuare contendat; tanta quietis dulcedine profundè excogitata, delaſſatos, ne dicam relaxatos ſtatim temperabit mores, non horreſcet in ſui abnegatione liberos ſuos coercere conceptus, in ieiunijs, orationibus, & ſacris omnibus in caſtigationibus nunquam fatigatus Legis, & Religionis onus quietis ęternę meditatione ſuauiter, & iucundè ferre perdiſcet, neque renuet tot Pœnitentium, tot Martyrum labores indefeſsè ſectari, qui in omni corporis, & animę motu per Tyrannica, dilacerati tormenta, licet laborare cęperint, & vexari, ſemper tamē fatigati laſſitudinem ſuam tam lęta quietis recordatione leuare ſtuduerunt. Celeri igitur mentis, & corporis motu curramus in Legis obſeruantia, vias omnes iuſtitiæ perambulare diſcamus promiſſam properantes in requiem, vt cum Pſalmiſta poſt tritas huius vitæ erumnoſæ ſemitas conſcendere diſcamus, & requieſcere cum ipſo in Monte Sancto Domini, & cum eodem, expanſis priùs puritatis alis, non curramus, ſed volemus, intenſo deſiderio pſallentes, & opere. *Quis mihi dabit pennas, vt columbæ, & volabo, & requieſcam.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Cùm labor excruciat, ſuperam meditare quietem;
Dulcis, & acceptus ſic labor omnis erit.

APHO-

APHORISMVS XLIX. SECVNDÆ SECT.

Quotidianis laboribus aſſueti, etiamſi imbecilles ſint, aut ſenes, inſuetis, quamuis robuſtis, & iuuenibus faciliùs conſueta ferunt exercitia.

EXPOSITIO MEDICA.

Conſuetudo, cum aduentitia dicatur natura, non minùs attentè ſpectanda, quàm ipſamet à primordijs inſita, eaque omnia, quibus & ſanus, & ægrotans aſſuetus eſt perpendenda, ne preter rationem conſuetus plerumque terreat morbus, & res iuxta rationem noxia, profutura tamen ſecundùm conſuetudinem, inconſultò ſubtrahatur. Conſuetudo per ſex res non naturales potiſſimùm diſquirenda, & quandoque etiam res inter preternaturales. De conſuetudine penes res non naturales primam iacit Hipp. in exercitatione ſententiam, vt more ſolito depromatur de reliquis conſequentia, licet in ſequenti genericum de conſuetudine tradat axioma; in preſenti, ac particulari exemplo exercitationis, & laboris neceſſitatem, & preſtantiam in conſuetis demonſtrare intendit, quotidianis inquiens laboribus aſſuetos, etiamſi debiles, inualidi ſint, & ſenes, faciliùs inſuetis iuuenibus, & vegetis conſueta ferre exercitia: Sententia quidem, quam ratio comprobat, & experientia confirmat; quotquot enim videmus in longam, ſanamque prouectos ſenectam, hos omnes exercitij amantiſſimos eſſe conſpicimus; exercendi enim corporis conſuetudo res inter omnes non naturales primi, ſummique ad bonam ſeruandam valetudinem cenſenda eſt momenti; exercitatione etenim ichoroſis diſcuſſis ſuperfluis, quibus ad motum dicatæ partes laxari ſolent, neruis ſcilicet, membranis, tendinibus, & ligamentis per ſiccationem roboratis, motrix adeo firmatur facultas, vt ad vltimam vſque decrepitam vix vlla laboris, etiam validi, tedia perſentiant, immo ab exercitio callum obducentes, tanquam aſſueti faciliùs motus incommoda ferent, quàm iuuenes, etiamſi ſenes minùs validi, & minùs integra ſanitate fruantur; iuuenes autem non aſſueti, vegeti vi-

ribus conſtarent perquàm validis. Plurimùm poteſt conſuetudo non modò in exercitatione, ſed & in reliquis omnibus, cibō ſcilicet, potu, ſomno, vigilia, &c. in quibus attendenda ſemper eſt & ſanorum conſueta victus ratio, & ægrotantium conſueta morborum incurſio, vt quod conſuetudini condonandum eſt, innoteſcat. Cur autem Hipp. de conſuetudine dicturus ab exercitio fuerit exorſus, res alias reticens non naturales, quæ prȩire deberent, cauſam crediderim exercitationis prȩſtantiæ, vtilitati, & neceſſitati tribuendam, vt lib. de diȩta hiſce commendat notis: *Homo comedens, & non laborans non poteſt eſſe ſanus*. Sanus igitur ritè vt comedens quiſque ſeruari poſſit, vno ex tribus eget prȩſidijs, diȩta ſcilicet, vel medicamento, aut exercitatione: Dieta quidem, vbi exerceri, vel purgari renuit, aut non poteſt; medicamento, vbi diȩtam auerſatur, & exercitium; exercitio verò, ſi medicamentum non arriſerit, & diȩta: Si ex his nullum placuerit, ſanus eſſe non poterit, ſed bene comedens, & non laborans deſidioſus Athletarum ſubibit diſcrimina, quæ frequenti, moderato, naturæq; congruo vitari poterunt exercitio, quòd omnes poſſit firmare facultates, corpuſque excrementis liberum, ac vegetum ſeruando, nullos in corpore ſinat morboſos apparatus coaceruari, ſi corpus potiſſimùm à naturæ primordijs bona fuerit conſtitutione dotatum.

EXPOSITIO MORALIS.

In Chriſtianis exercitijs perſeuerandum.

QVandiu viuimus exercendum Mortales, & quotidianis non tantùm ſubmittendū laboribus corpus, vt bona ſeruetur eius valetudo, ſed multò magis anima ſanctis excitāda exercitijs, vt ſana coram Deo conſiſtat, & incolumis. Quotidie corpus noſtrum excrementa cumulat diſcutienda laboribus; quotidie & anima culpas congerit pijs exercitijs reſoluendas; quotidie igitur exercendum corpore, quotidie laborandum ſpiritu. *Beatus*, inquit Omnipotens Prou. 8. *qui vigilat quotidie ad fores meos*. *Tollat crucem ſuam quotidie* quemcunq; hortatur Luc. 9. Nec pigeat animam in Diuinis exercere quotidie, quam quotidie docens in templo Chriſtus ſtatuit exer-

cendam,

cendam, quotidianis enim laboribus, & exercitijs in lege Dei initis, mens cęleſtibus aſſueta neſciet implicari terrenis; ſed ex multiplicatis virtutum actibus iuſtum contrahet habitum, cui comes it, & fixa manet bene agendi conſuetudo; hæc firmis iactis radicibus ad ſenium vſque vltimum non dimittet, eaque firmatus quilibet nihil de bonis conceptis moribus amittet, ac ætate licet infirmatus, & languidus libentiùs, ac faciliùs ſancta feret exercitia, quàm iuuenis, & vegetior, qui nullis vnquam fuerit pijs laboribus aſſuetus. Laborandum, repetam, vt bona ſeruetur conſuetudo: Hæc autem à teneris annis inchoanda, ab infantia ſcilicet ſanctis quibuslibet laboribus exercendus eſt animus: *Bonum*, inquit Scriptura, *viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*; Seneſcens enim ab impreſſa per iuuentam conſuetudine ægrè poterit diuelli: Vnde repetit Scriptura: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*: Idipſum eſt, quod commendare videtur Hipp. in pręſenti, dum ſenes inquit faciliùs, quàm iuuenes inſuetos, conſueta ferre exercitia, quæ non vtique faciliùs ferrent, niſi conſueti; nec conſueti, niſi ab ineunte ætate exercitati; nec vtplurimùm exercitati, niſi in diſciplinabili ætate à parentibus fuiſſent inſtructi: Hæc autem cum prima ſit pueritia, conſtat ſanè in hac eadem Chriſtianis liberos exercitijs applicandos, iuxta Scripturam, *Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia eorum*, Sanctam ſcilicet curua, & inclina ad conſuetudinem: Si bonam filij nacti ſunt indolem, pijs exercitati operibus, & diſciplinis in meliorem proficient, inſita ſeruata; ſi malam ſortiti naturam, honeſtæ, & virtuoſæ exercitationis conſuetudine flecti poterunt in oppoſitam; vis enim eximia conſuetudinis eſt, & tanta, vt innatam non rarò ſoleat abolere naturam, & in quamcunq; flectere diſpoſitionem; puerilem potiſſimùm, quæ ductilis velut cera mollis in quamlibet efformari poteſt effigiem. Cum autem plurimùm in vtramque partem valeat conſuetudo, ſiue vitijs, ſiue virtutibus aſſueſcas, cauendum ne vitioſa ſubrepat, ne contracta longiùs ſerpat, ne rationem tandem ſubuertens malum pro bono mentibus offerat iudicádum, vt de manna ſaturis contigit Hębreis; quis enim iucundior, ac pretioſior cibus cęleſti manna omne delectamentum, & ſaporem ſuauitatis in ſe habente? quis è contra abiectior, rudior, & ingratior, quàm cępæ, cucumeres, allia, &

& porri? & tamen poſthabita mannæ ſuauitate, quam nunquam inſueti deguſtauerant, viliſſimis, quibus dudum aſſueti fuerant; ci-barijs deprauato deſiderio tenebantur. Hoc in moralibus apertiùs patet; quid enim virtute ſuauius? quid hac pretioſius? quid ſubli-mius, quàm Diuinis vacare,& ad ſacram frequenter accedere Men-ſam? quid ex aduerſo vilius, quàm terrenis exerceri in diuitijs, il-lecebris,& vanis honoribus implicari, quæ velut floſculi ephemera concidunt exercitatione? & tamen aſſuetus Mortalium animus in-flari fama, turgere voluptatibus, & intumeſcere diuitijs, has ſecta-tur, delectatur in hiſce, & vix vllo plenioris, & æterni boni perce-pto oblectamento, in mala viuit, & in peſſima perit conſuetudine; ſenex enim factus quicunque, cum per anteactas ætates ſanctis nul-lis fuerit laboribus aſſuetus, diſceſſurus tandem ſancta bonæ mortis ferre neſciet exercitia, ſacris ſcilicet neſciet aquieſcere conſilijs, neſciet in ſpem erigi ſalutis, meditari neſciet in paſſione Domini, pietatis nullos exprimere ſciet ſenſus, ſacram neſciet petere refe-ctionem, Sanctorum neſciet implorare ſuffragia, imminentem ne-ſciet mente reuoluere æternitatem, & ea tandem, quæ moriturum manuducũt ad ſalutem neſciet omnia, quòd nullis dum viueret fue-rit aſſuetus; etenim, ſi quotidianis laboribus, vt inquit Hipp. aſſue-ſcere ſtuduiſſet, ſenex licet, & inualidus, faciliùs Chriſtiana pertu-liſſet exercitia, quàm robuſtus iuuenis ad ea inſuetus, quaſi ſic ſonet Hipp. ſenſus, dum iuuenis, & robuſtus es, ſanctis aſſueſce exerci-tijs, ſi hæc eadem in ſenectute poſitus, debilis, & infirmus facilè ferre deſideras, in quibus benè moriturum conuenit exerceri: Ali-ter inualidus, & torpeſcens, ſi nulla ante concepta fuerat benè vi-uendi conſuetudo, Chriſtiana quęlibet tunc temporis propoſita exercitia ſenex non feres, quibus iunior non fueras aſſuetus; è con-tra ſenex bona confectus conſuetudine, ſalutaribus dudum aſſuetus operibus, frigidus licet, & viribus effætus, cum inualidus etiam vl-tro ſit ad vitam, facillimè Chriſtiana feret exercitia, in tremendo potiſſimùm mortis articulo, cùm deceſſurus, ſummos ſubiturus erit aduersùs Tentatorem nequiſſimum labores, & exercitia ferre po-ſtrema: Hi ſunt equidem quotidiani labores, quibus aſſueſcere de-bet Mortalium animus; vtiliores non inuenies, cum perennatura ſinguli deſinant in ſolatia. Diſcamus igitur, dum viuimus, ſanctis

iugi-

iugiter in negotijs exerceri, vt in vitæ termino extremos facilè fer- re poſſimus labores; neruis omnibus contendamus, vt potentias ſi- mul omnes in bonam coaptemus conſuetudinem, quarum licet ali- quæ ſpirituales ſint, obiectiuè tamen ſua cuique corporalis imprimi poteſt conſuetudo: Ieiunijs aſſueſcat vegetatiua, ne ex vberiori- bus alimentis anima ſpiritualibus minùs incumbere poſſit exercitijs, ſed adaucta corporis plenitudine creſcat pariter in nequitia: Salu- tari aſſuetus inediæ faciliùs ſacros feret labores; feret non difficilè ſi corpus vlteriùs, & animam commouebit vigilia, reliquis in po- tentijs rerum ſpiritualium habitum comparando. Voluntas iuſtitiæ conſueſcat habitibus, interni ſenſus ſubditi aſſueſcant parere ratio- ni, & frequentatis virtutum actibus ad bene agendum facilitari, vt bona fiat conſuetudo: Externi etiam ſenſus ex parte obiecti, & ex parte potentiæ ita conſtituantur, vt nonniſi circa decora, & hone- ſta obiecta verſari valeant, & conſueſcere; in motiua verò vtroque ſe exerceant homines motu, corporali, & ſpirituali exercitio po- tentias ad bene agendum excitantes. Hoc itaque vſu virtutes exer- centur, & in ſalutarem firmantur conſuetudinem; abuſu verò, quæ virtutes ſunt, reclinamus in vitia, vt ait Bern. lib. 2. de confid. hiſce notis; *Vſus facit virtutes, non natura; tuum eſt autem abutendo facere vi- tia, aut bene vtendo virtutes*. Virtutibus igitur aſſueſcendum labore partis, & exercitio; & à teneris annis accommodandus virtutibus genius eſt, ne quod adagio circumfertur contingat, ſic habente; *Qui virtuti non aſſueſcit, dum iuueneſcit, à vitijs neſcit diſcedere quando ſeneſcit*. Vt igitur ſenes faciliùs, quàm inſueti iuuenes ferant virtu- tis exercitia, à primis aſſueſcere diſcant ætatum rudimentis; ita quidem ſapientia proficient, & ætate.

DISTICHON APHORISTICVM.

Diſce placere Deo teneris imbutus ab annis,
Sic leue Legis onus læta ſenecta feret.

APHO-

APHORISMVS L. SECVNDÆ SECT.

Quæ longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, minùs ijs, quæ inſueta ſunt, moleſtare conſuerunt: Quare ad inſolita quoque facienda mutatio.

EXPOSITIO MEDICA.

LIcet ordine prępoſtero particularia vniuerſalibus prępoſuiſſe videatur Hipp. dum de conſuetudine leges traditurus ab exercitatione ſuum ſumpſit exordium; generale tamen etiam pręceptum fuit, quamuis magis generale tradat in pręſenti, vbi de retinenda, aut mutanda conſuetudine in ſex rebus non naturalibus ſententiam profert, inquiens: Quæ longo tempore aſſueta ſunt, licet natura, tempore, modo, & prępáratione praua ſint, & deteriora, minùs ijs, quæ inſueta ſunt, moleſtare conſueuere, faciendamque idcirco ad inſolita eſſe mutationem: Vnde qui liber, ſuæque ſpontis eſt, & benè valet, nullis viuendi legibus ſe obligare debet, ne, ſi ab aſſuetis quandoque cogat ſortis viciſſitudo diſcedere, in ſummum valetudinis diſcrimen adducatur, vt ait Celſ. lib. 1. cap. 1. Rebus in omnibus, tum maximè in alimentis gratiſſimum imperium eſt conſuetudinis, quæ ventriculo, nutritijs, ſinguliſque partibus habitum quemdam inducit propter contractam longo vſu alentis cum alito ſimilitudinem, quæ promptioris alterationis cauſa exiſtit; quamobrem rectè Gal. cap. 4. lib. 2. de tempore, conſuetudinem naturam quamdam adſcititiam appellat, & Hipp. multùm conſuetudini condonandum paſſim pronunciat: Tanta vis eſt, & conſuetudinis efficax adeo potentia, vt ſi diutiſſimè in ægris, & ſanis inualuerit, ex Galen. conſilio cap. 7. lib. 6. de ſanitate tuenda, retinenda ſit, & excolenda: Siquæ tamen prouecta adeo non fuerit, ſed praua eòuſque, vt afficiat, non parum proficiet eiuſdem mutatio, ſi debito modo fiet, & ordine, vt inquit Gal. cap. 11. lib. 5. de ſanit. tuenda; ſi quis enim ad inſolita victus rationem in totum, vel partim ſit mutaturus, tria potiſſimùm ſpectare debet: Primum, vt mutatio ſenſim fiat, ſi pręcipuè antiquata

fuerit

fuerit conſuetudo; omnis enim repentina mutatio naturæ inimica, vt in ſequenti oſtendet Hipp. quæ verò paulatim fit,tuta eſt, quia ſenſim naturalis euadit. Secunda cautio in conſueti victus mutatione eſt, vt non fiat hæc fatigante morbo aliquo, nec in ſenio, ſed per ſanitatem, & iuuentutem ex Gal. 8. meth. quòd corpus ſanum, & vegetum faciliùs mutationis noxas perferet. Tertia lex in ſubeunda victus mutatione eſt, vt fiat in homine libero; vt monet Gal. 6. de ſanit. tuenda, qui enim ciuilibus negotijs implicatur certis non ſinit ſe legibus obſtringi, neque minùs de victus mutatione poſſunt quidquam ſtatuere qui ſeruilibus addicti ſunt miniſterijs, in his quidem ſub debitis legibus fieri nequit victus, & conſuetudinis mutatio. Cęterùm, cum hominis vita fortunæ ludis obnoxia ſit, ne quandoq; rebus offendatur inſolitis,nihil non tentare debet, cuius rei compos euadet, ſi rebus eiſdem in aere, cibo, ſomno, & reliquis non ſemper inconcuſſa hæreat methodo,ſed inſolitam non raro, & contrariam victus rationem periclitetur, licebitque per interualla ex ſtatuta, & exacta viuendi norma in aliquos errores tantiſper delabi, vt natura in deſidioſa quieſcens conſuetudine excitetur, & aliqua exerceatur licentia, ne, ſi quam coacta fuerit experiri mutationem, eandem maiori patiatur cum diſcrimine.

EXPOSITIO MORALIS.

De prauæ conſuetudinis mutatione.

Retinendæ, vel mutandæ conſuetudinis conſilium in rebus non naturalibus proponit Hippocr. in pręſenti. Sequamur & nos Auctoris aſſumptum, & retinendæ pariter, aut mutandæ conſuetudinis in moralibus noſtrum proponamus conſilium. Acriori non opus eſt minerua, vt ſtatuatur, quæ ſectanda,vel declinanda ſit conſuetudo, cum luce meridiana clariùs pateat bonas retinendas, excolendas, neque vnquam dimittendas; prauas verò,& iniquas abijciendas, deteſtandas, & nuſquam reuocandas eſſe conſuetudines, & tamen bonas ſępius,& faciliùs aboleri conſpicimus, quàm malas, quæ ſemel inchoatæ interminabili quandoque ſerpunt incremento. Peſſima peccandi conſuetudo mutanda protinus eſt, & per initia,

tia, ne longiùs ſerpat; paſſio enim aliqua ſi corripit hodie, niſi ſtatim comprimatur, tanta vitij cras accedet facilitas, & in idem procliuitas, vt vix poſſit inde reuocari: Vnde fit, vt qui primo criminis acceſſu emendari noluit, incipiat in ſequenti non velle, & vix poſſe, & ſic de die in diem arctiùs conſtringet ipſa conſuetudinis violentia, & paſſionis impetus firmabitur fixiùs, ita vt obruto, & obſcurato ab onere delicti, & aſſiduitate peccandi intellectu, vix peccare ſe ſentiat, nec prauam linquere, & mutare noſcat conſuetudinem: Vnde quantò quis plùs peccare conſueuerit, tantò minùs peccata ſua percipiet, & eò plus etiam delinquens delectabitur, quouſque peccatoribus contingat, quod pſalm. 9. Reg. Proph. *Non eſt Deus in conſpectu eius; auferentur iudicia tua à furore ipſius*, veraque confirmabitur Hipp. Theoria, quòd *quæ longo tempore conſueta ſunt, etiamſi deteriora, minùs ijs, quæ inſueta ſunt, moleſtare conſueuerunt: Quare ad inſolita facienda mutatio*; Quæ ſcilicet longo tempore conſueta ſunt vitia, quamuis in tota delictorum claſſe grauiora ſint, & atrociora, minùs moleſtare conſueuerunt, quàm nuper patrata, minùs videlicet inferre moleſtiæ in morſu ſyndereſis, minùs horroris ad criminis exceſſum, minùs ſtimuli ad pęnitentiæ refugium, minùs meditationis ad mortis occurſum, minùs ſempiterna circa ſupplicia diſquiſitionis: Hæc quidem omnia, quæ animam vrgere magis ac moleſtare deberent, minùs ſenſibilia facit conſuetudo peccandi, & hæc perniciofa adeo conſuetudinis conditio, vt grauiſſima quęque crimina toleratu facillima reddat, nec peccatorem ſinat ſuum percipere diſcrimen.

Si ergo tanta vis conſuetudinis eſt, omni niſu conſulendum, & conandum, vt prauas quaslibet pręcaueat conſuetudines quilibet, antequam ſtrictè comprehendant, & arctioribus nequitiæ vinculis animos deuinciant. Hoc ipſum eſt, quod Auctor commendat, dum mutationem ad inſueta faciendam conſulit, vt ſcilicet mutatis huius ſęculi idolis in gloriam Dei querulas ſiſtat voces ſuas Omnipotens per Hierem. expoſitas cap. 2. vbi de populo ingrato ſic loquitur. *Populus meus mutauit gloriam meam in idolum*. Properemus igitur, praua mutata conſuetudine ad inſueta tranſire, ad intermiſſas ſcilicet remeare virtutes, & idola ſęculi huius in gloriam mutare cęleſtem, & quamuis operoſum valde ſit vitioſam conſuetudinem in

oppo-

oppoſitas reclinare virtutes; ſi tamen integrè ſenſus, qui prauæ fuerant conſuetudinis miniſtri, rationi ſubijciantur, hęcque non deluſa intellectum ad profundiorem adigat meditationem, voluntas procul dubio in bonæ flectetur conſuetudinis electionem, & laborioſa adeo, vt metuitur, non erit mutatio. Magnæ quidem, fateor, efficaciæ conſuetudo, ſed non tantæ, vt euidentem ſuperet rationem; ſic peſſima conſuetudo, quantumuis inueterata, ſub rationis dominio ſenſim mutabitur in oppoſitam, ordinata potiſſimùm ſi fiet progreſſione mutatio, in qua eademmet procedendum methodo, qua quiſque noxiam in victus ratione conſuetudinem nititur demoliri, quam tribus diximus conditionibus abſoluendam, primò vt ſenſim fiat, ſecundò nôn in ſenectute, tertiò non fiat per morbos; ſic antiquatæ conſuetudinis mutationem ſenſim faciendam ratio conſulit, & experientia, cum motus à contrario in contrarium per medium fieri debeat ad extrema diſpoſitiuum; ſic enim cum quis vitio alicui, vel pluribus fuerit aſſuetus, vt integrè dimittat ſingula, debet priùs proximas quaſque, & remotas conſueti criminis occaſiones auerſari; mox paſſiones, & ideas omnes circa familiare obiectum abolere ſingulas, ea primùm correcta, quæ petra ſcandali ad reliquos viam parauerat, & lapſum. Hac itaque methodo omnibus ſenſim ſuperatis circumſtantijs, quæ in conſuetam trahunt culpam, conſuetudo tandem mutabitur & ipſa, & in oppoſitam flectetur animus virtutem tum pręcipuè, cùm ſe ſe offert antiqui criminis anſa, ſi in contrarium affectum retorqueatur meditatiò.

Secunda conditio in mutanda victus conſuetudine eſt, vt morboſo non fiat in ſtatu; ſic in mutanda morum conſuetudine morboſus etiam declinandus ſtatus eſt, nec de mutanda turpis vitæ conſuetudine tunc ſolùm ſuſcipiendum conſilium, cùm reuera criminoſa quis decumbens ægritudine verſatur in vitæ periculo, ſalute in ancipiti poſita; tunc enim parum tuta ſunt de vitæ mutatione propoſita, cum partibus illis careat ſępè tunc ſtatuta mutatio, quibus conſtare debet fida conuerſio, quòd ſcilicet pręcipitanter, & confusè, ſub dubia durationis ſpe fiat, & inuoluatur: Vnde tutior ſubſequetur mutatio, ſi ſalubri fiet in ſtatu, & vigentibus animi, corporiſque viribus dé mutanda conſuetudine ſit propoſitum; ſic enim faciliùs mutationis tędia perferentur, quæ ex pugnantibus in-

ter ſe animi affectibus, ex conſuetis ſcilicet obiectis validè potentiam mouentibus, & inſuetis in obliteranda antiqua impreſſione laborantibus emergunt.

Tertia conditio in mutanda conſueta victus lege eſt, vt mutatio conſuetudinis non differatur in ſenectutem, in qua difficile conceptas dudum diſpoſitiones poſſe radicitus euelli; vt ſcilicet prauæ conſuetudinis mutatio in extremam vitæ partem non protrahatur, cum ſera mutatio rarò ſeria ſit, & fida; ſed in iuuentute, cùm quis veros, & dignos edere poteſt pęnitentiæ fructus, & tempus pro luenda criminis pęna diuturnum magis ſuppetit, vt culpæ par modus eſſe poſſit, & ſupplicij. Senſim igitur prauæ conſuetudinis mutatio fiat, nec per morbos; *In tempore placido exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi*, inquit Dom. per Eſai. 49. Neque demum in ſenectutem differenda mutatio, neque de die in diem procraſtinanda, vt Eccleſiaſt. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem.*

DISTICHON APHORISTICVM.

Ni citò commutes, ſic fiunt crimina mores
Vt fixos animo vix remouere queas.

APHO-

APHORISMVS LI. SECVNDÆ SECT.

Plurimùm, & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, aut refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere, periculoſum: Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum; quod verò paulatim fit, tutum; cum aliàs, tum maximè, vbi ab vno ad alterum fit mutatio.

EXPOSITIO MEDICA.

NOn leuis eſt momenti ab aſſuetis ad inſueta mutatio, quam poſtrema antecedentis aphor. particula propoſuit Hipp. ſedulus idcirco, ne quis temerè moliatur, & inconſultò ſubeat conſuetudinis mutationem, legem tradit in preſenti, quomodo quelibet, ne noceat, in ſex rebus non naturalibus inſtituenda mutatio, inquiens plurimùm, & repentè factas vacuationes, repletiones, alterationes, & quaſuis alias corporis motiones periculoſas eſſe, quòd omne nimium naturæ inimicum ſit; quod verò ſenſim, ac paulatim fit, magis tutum, cùm maximè ab altero ad alterum facienda mutatio. Reuera, nulla extrema, quamuis etiam excrementi, aut humoris toto genere preter naturam vacuatio, vt in hydropicis, & ſuppuratis, proficua; pari ratione, nec ad extremum ductæ repletiones tutæ, vt tertio primæ ſectionis oſtenderat Hipp. Alterationes etiam ſemel vniuerſim, & repentè in oppoſitam qualitatem inductæ periculoſæ; vt ſi frigus extremum extremo propulſare ſtudeamus calore, cum aduentitio protinus exhauriemus innatum, vel ſi ſummum æſtum plurimo, aut repentino gelido acceſſu, vel hauſtu temperare quis auſerit, calorem cum vita pariter extinguet; ſi quis de vita diutiùs ſedentaria violento corpus exercebit motu, ſtatim natura fatiſcet; ſi quis ſumma ab inedia, ac extremo ieiunio ſe protinus ingurgitauerit pleniſſimè, ſuffocabitur procul dubio, vel ledetur inſigniter; ſic qui alta diffluit

lętitia, ſi protinus repentino timore concutiatur, periculoſum; & ſic de reliquis rebus non naturalibus, quarum extremæ ſemper cauendæ mutationes, ne vis inferatur naturæ, quæ cuncta petit ſuauiter, ac placidè diſpoſita, nec in contrarium quidquam duci patitur, niſi per medium ad vtrumque diſpoſitum, vt ſenſim, & viciſſim in oppoſitam flectatur diſpoſitionem: Hoc exemplo edocti, in pleuritide, & fluxionibus alijs ferè omnibus, pręſertim inflammatorijs parcè, & frequenter vacuamus, vt ſenſim, & paulatim à tranſmiſſione humorum ad conſuetam partem natura deſſueſcat; quod vnica affatim abundè facta vacuatione non fieret. Quod igitur paulatim fit, tutò fit, cum naturæ genius in ſubiecto tranſmutationes ſenſim, & per medium doceat moliendas, in mutationibus potiſſimùm per criſes, quas neutiquam mouet natura, niſi materias debita priùs digeſtione parauerit. Quod igitur paulatim fit, repetam, tutum; tum maximè, cum ab vno ad alterum tota natura, temperamento, vel ſpecie diuerſum quis migrare contendit, vt ſenſim facta mutatio naturalis euadat. Si quæ tamen plurimùm, & repentè facta mutatio per extremam vacuationem competit, hæc in pręcipiti morbo conueniet per largam phlebotomiam, vel validiſſimum pharmacum, vt in humorum turgentia, vel imminenti aliqua ſuffocatione: In his equidem lex Hipp. violanda, quòd pręceps, & violenta planè ſit occaſio agendi.

EXPOSITIO MORALIS.

Nihil præcipitanter agendum.

QVidquid plurimùm, & repentè decernitur in moralibus, tanquam nullo ductum conſilio, ferè ſemper vitio dandum, neque minùs animo periculoſum, quàm ſit ab Hipp. propoſita extrema quęque vacuatio, repletio, alteratio, vel quęlibet alia affatim tentata corporis mutatio, quam diximus in antecedenti eſſe ſenſim ſuſcipiendam, nec ab aſſuetis ad inſueta repentè tranſeundum, ne naturam lędamus, quæ nihil nimium, nec affatim mutatum tolerat, ſed medijs ſuauiter in extremas quaſque duci geſtit mutationes. Senſim igitur etiam, & viciſſim contrarijs diſponendus affectibus ani-

animus, ne improuiſo, & excedenti nimis lędatur mutationis obie-ćto. Animi paſſiones ita moderari par eſt, & potentias omnes ita componere pręſtat, vt ad extremam nulla ſine conſideratione tranſeat mutationem, ne quid feſtinanter nimis, & pręcipitanter agatur, & inconſultò fiat; prompta etenim caro eſt, & pręcipites pars inferior protinus ruit in lapſus, ſpiritus autem infirmus; ne quis ideirco ſola ductus paſſione peſſimos ſubeat mutationis terminos, ſuccedantque inopinatæ in malum conuerſiones, per medium ad eas ferendus animus eſt. Cùm aliqua mentem torquet paſſio, & potentia ipſa ad paſſionis ſtimulos exequendos procliuior, antequam metam attingat, quidquid ardens expetit animus tribus ab Hugone propoſitis medijs dirigendus, Conſideratione ſcilicet, Conſilio, & Exemplo, ſine quibus rationi conſentaneum non aſſequetur finem. Rem diluamus exemplo per mutationem potiſſimùm in aphor. ſine ab Hipp. deſcriptam, cùm ſcilicet ab vno ad alterum facienda mutatio. Si quis e. g. de ſęculo ad clauſtra ſit migraturus, & vitæ ſęcularis licentiam in Religioſam mutaturus obſeruantiam, non vtique repentè, & affatim vtplurimùm mente ſemel conceptam abſoluet mutationem, ſed per medium perget ad deſiderij metam: Primò Conſiderationis medio perpendet an vera vocatione mutationem affectet, an aliquo futili, & humano motus impulſu; ſi Sancto ſe ſenſerit ductum Spiritu vlteriùs per conſiderationis medium ſpectabit regulæ, cui ſubijciendus eſt, inſtitutum, & recogitabit an erit ferendo quidquid illud pręcipit obſeruandum: Hinc per medium alterum in intentam feretur mutationem, per diſcreti ſcilicet, probi, prudentiſque Viri Conſilium, cuius iudicio magis analogam naturæ, atque viribus conſentaneam dirigi poſſit in regulam; cum multi à Deo reuera vocati aſperas animo ſeligant regulas, quas vix poſſibile, vt æquis corpus exercere poſſit viribus: Vnde de ſecundo conſilij medio per tertium, Exemplum ſcilicet in mutationis actum ſe conferet, & ex aliorum perferentia; quomodo nempe vegetiores, aut infirmiores Religionis onus tulerint, metietur propriam. His omnibus exactè diſcuſſis, ſi conſideratio, conſilium, & exemplum arriſerint, ſuaſerintque mutationem, ſubeunda protinus erit, moleſta enim non ſuccedet mutatio, ſed iucunda, cum per debitum medium in ſua tranſierit extrema; ita quidem extremas muta-

mutationes tolerabit & natura, cum non multum, & repentè fuerit operatum; & quamuis hominis conuerſio repentè fieri debeat, & nullo progredi teneatur ad pęnitentiam medio, impoſſibile tamen eſt, vt quis vitæ veram ſtatuat mutationem, quantumuis ſubitam, quin peccaminoſi non ante ſui ſtatus diſcrimen perpenderit, vel alicuius inductus non fuerit exemplo, vel proprio ſaltem, ſi non alieno, impulſus non fuerit conſilio: Vnde conſtat per medium in extremas ferendas eſſe quaslibet animi mutationes, vt hortari videtur Hipp. dum plurimùm, & repentè vacuare, replere, & alterare, vel alio quouis modo corpus mouere periculoſum pronunciat de corpore; quòd diſcriminoſum pariter cenſere licet de anima, non enim (vt ab aſſumpto non recedam exemplo) ſtatim ac quis ſęcularem in Religioſum mutauit ſtatum plurimùm, & repentè corpus vacuabit ieiunio, fatigabit flagellis, grauioribus ſtatim opprimet Religionis oneribus, mentem plurimis eneruabit vigilijs, periculoſum etenim pronunciat Hippoc. quòd nimium ſit; ſat erit per medium ad extremum duci; hæc enim mutatio ſine medio cum ſit, & extrema, extremum minatur valetudini periculum: ſic mutatio, quæ paulatim fit, vt ait Hipp. diutiùs corpori conferet, & animæ; paulatim enim quod fit, tutum magis, cum longo vſu in alteram tranſeat naturam, quod verò repentè, & pręcipitanter ſępe inconſultò fit, & inopinatum, diſtortumque nanciſcitur finem. Ne igitur quid nimium, & repentè moliaris in naturæ, & animæ perniciem, quidquid ages, vel ſtatues, Conſideratione priùs, Conſilio, vel Exemplo exequi diſces, & mutare.

Prima conſideratio erit circa te ipſum, quam triplici diuides inſpectione, quid, quis, qualis ſis exactiſſimè diſquirens, quid in natura, quid in perſona, qualis in vita, quis in ſtatu; opera deinde tua terna conſideratione pręuenies, priùs quidem, an liceat; deinde, an deceat; poſtremò, an ſingula expediat moliri: Tribus hiſce innixus conſiderationibus nihil nimium, nihil pręcipitanter decernes; ſed ſenſim in quaſuis animæ, & corporis mutationes manuduceris.

Conſilio rem tuam perficies, ſine quo, in arduis potiſſimùm, cęcus omnis mentis conceptus in pręceps ruet, vt Gregor. in moral. ſic effatur; *Valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur; quò quis ſe plus poſſe conſpicit, eò virtus ſine moderatione in præceps ruit; mens, quæ*

intus

intus conſilij ſedem perdidit, foras per ſe deſideria innumerabilia ſpargit. Sine conſilio igitur nihil facias, vt Eccl. 32. & poſt factum non pęnitebit, ſi conſilium pręcipuè humilis petes, & ad exequendum paratus, ex Viroque trahes ab Ambroſ. de offic. deſcripto; *Talis enim eſſe debet, qui conſilium dat, vt ſe ipſum formam alijs ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in grauitate, vt ſit ſermo eius ſalubris, atque irreprehenſibilis, conſilium vtile, vita honeſta, ſententia decora.* Hoc etiam medio pergens ad mutationem nihil pręcipitanter ages, in nimio non delinques, nec affatim, quod raptim ſentis, inconſultus abſolues.

Exemplo demum ductus nihil feſtinanter nimis, & rapida mente aggredieris, ſi bono te fulcire curabis, & ex Sapientum dictis, & geſtis tua diſces opera dirigere; ſermo enim viuus, & efficax exemplum operis eſt facilè perſuadens, quod intendimus, dum factibile probat eſſe, quod ſuadetur, inſtructuſque redditur animus in futuris, quando pręteritorum commouetur exemplis. Exemplis igitur eruditus nec nimium, nec repentè quidquam inconſultò tentabis; ſed ſenſim, & feriò rem abſolues tuam.

DISTICHON APHORISTICVM.

Rebus in oppoſitis exceſſus iure timendus:
Hinc feriò, & ſenſim res moderare tuas.

APHO-

APHORISMVS LII. SECVNDÆ SECT.

Omnia ſecundùm rationem facienti ſi non ſuccedat ſecundùm rationem, non eſt ad aliud tranſeundum ſtante eo, quod à principio viſum eſt.

EXPOSITIO MEDICA.

LEgibus ab Hipp. proximè traditis quomodo, & quando facienda ſit rerum non naturalium mutatio, ſi quæ praua inualuerit earum conſuetudo, in pręſenti de mutandis remedijs pręceptum tradit,admonens in abigendis rebus pręter naturam non temerè mutanda remedia, ſi potiſſimùm fuerint hæc omnia ſecundùm rationem adhibita, docetque tandiù ſtabili methodo in pręſcripto pręſidiorum vſu eſſe progrediendum, quandiù cognita morbi idea, ſedes, & cauſa cum annexis temperamenti, habitus, ætatis, & reliquorum conditionibus fixas, ac ſtabiles expoſuerint agendorum indicationes, quibus conſtanter ſatisfaciendum eo remedij genere, quod fuerit numeris omnibus indicatum, licet impar, vel pro ratione nullus ſuccèdat ex eo prouentus: Quare eademmet ratione, qua quiſque morbi ſpeciem, & reliqua ſedula diſquiſitione ſe crediderit aſſecutum, poterit in decreti remedij miniſtratione perſeuerare, & quamuis optatum non ſuccedàt emolumentum, ad aliud protinus tranſeundum non erit; cum ſępiſſimè fruſtratio finis non remedio, ſed rebelli imputáda ſit morbo, refractariæ humorum qualitati, vel virium infirmitati,aut viſcerum obſtructionibus, quæ minùs promptè morbum ſinunt remedijs cedere, hęeque cum non ſtatim vires ſuas exercere poſſint, expedito nequeunt eſſę leuamento, chronicis potiſſimùm in morbis, ſed ſenſim, & pedetentim ſubleuant ægrotantem, prout etiam lentè ſoluitur eorum cauſa: Vnde mirum non erit ſi quandoque, etiam ſecundùm rationem adhibitum remedium, promptum pro ratione non affert commodum. Cunctatione igitur opus eſt, vt ea ſaltem percurrantur tempora, quibus remedia ſuas ſolent in rebelli morbo abſoluere vires, in remedijs potiſſimùm diſpoſitiuis ad curationis

ſcopum,

ſcopum, vt in ſudorificis; hæc enim circa initia, licet omni ratione præſcripta, vtplurimùm ſemper exagitantia ſunt, & ægrotantem non leuiter turbare ſolent, dum morbum, & ſymptomata ex ſudorifico magis exacui, quàm demulceri obſeruant, & tamen cum diſpoſitiuæ ſint primæ ſudorum molitiones, neceſſe eſt vt exaſperent, exagitentque non leuiter morbum, & methodicè curantes, etiamſi morbum primis ex ſudorificis excandeſcere quoquomodo conſpiciant, non tamen intermittunt, nec ad alia tranſeundum putant, ſed ſtante indicatione, quæ à principio viſa fuit inconcuſsè perſiſtunt in remedio. Vnde, repetam, cunctatione opus eſt, & perferentia: Qui enim ſunt valde in morbis impatientes, vt hypochondriaci, per hoc, illudue remedij genus & naturę, & indiuiduo contrarium vagari conſueſcunt, qui cum mente minùs conſtent, minùs etiam conſtanter ſecundùm rationem ſuis conſulunt ſymptomatum turbis. Conſtans ergo lex ſit non eſſe temerè mutanda remedia, vbi hæc omnia ſecundùm rationem, ſecundùm ſcilicet notiones ſcientificas, vel hiſce proximas coniecturales fuerint ſtatuta. Veruntamen ſi quidquid à morbi principio apparuit, ſpecies nimirum cauſæ, & annexa omnia non perſtiterint eadem, ſed naturam mutauerint, indolem, aut circumſtantias à primis diuerſas oſtenderint, tunc immutanda pariter pręſidia, & mutatis indicationibus æqua pariter remediorum mutatione conſulendum.

EXPOSITIO MORALIS.

Quomodo omnia ſecundùm rationem facienda.

OMnia ſecundùm rationem agere, coram Deo, & hominibus eſt inculpatè, & iuſtè viuere; iuſtè autem viuere eſt ſecundùm Fidem mentem, & opera dirigere, iuxta illud Apoſt. 1. ad Rom. *Iuſtus ex Fide viuit*, ita vt tota vitæ Iuſti ratio in Fide ſupra rationem, & Fides in ratione ſupra ſenſum ſit poſita: Vnde qui ſecundùm rationem viuere ſtudet in Diuinis, ſecundùm Catholicam Fidem agere tenetur in humanis, cum promiſcuè ſe foueant Fides, & Ratio, & quamuis omnia ſecundùm Fidem ſpeculanti non omnia ſecundùm rationem ſuccedere videantur propter abdita Fi-

dei myſteria, quæ nulla poſſunt humana ratione dignoſci, infallibile tamen eſt, ſi ſecundùm propriam non ſuccedunt rationem, ſecundùm Diuinam ſaltē omnia ritè ſuccedere: Vnde ſi quæ torquet difficultas, ad alia reclinandus animus non eſt; etenim ſi tua non vales aſſequi ratione quod credis, non tuæ,ſed Diuinæ tribuendum rationi; Fides enim de non viſis eſt, & de non captis: Quare piè credenda, non ratione diſquirenda Catholicæ Fidei myſteria,ſtante ſemper eo, quod à rerum omnium Principio viſum eſt. Viſum ſanè fuit Saluatori,& ſtatutum enigmatibus adumbratam tradere Fidem: hac ſtante inconcuſſa Dei voluntate ad alia tranſeundum non eſt,etiamſi captum, rationemque tuam, quæ colis, effugiant, ſuperentque myſteria, Catholicis intrepidè credas, & ſecundùm rationem cuncta tibi ſuccedere comperies; quod Fides, & Lex orthodoxa iubet exequi cures, & quantò plus hoc cęcuties in exilio, tantò viſum Cęleſti plùs acues in Patria, vbi quod non capis nunc, & non vides, reuelatum tibi cęleſtis oſtendet Viſio, vbi nulla ampliùs Fides, ſed omnis apertus erit enigmatum ſenſus: tunc Fidei pręmia patefaciet Deus, qui ſecundùm rationem omnia te feciſſe aperiet, cùm vniuerſa Beatifico comprehendi poſſe dabit obtutu. Age igitur, & quandiu viues mortalis Catholica ſperes, & ſpires in Fide, ſanctis incumbas exercitijs, neque quid Mundus obijciat, quidue loquatur attendas, ſecundùm Fidei rationem actiones tuas erga Deum promoue, & ſi ſecundùm rationem non ſuccedāt,ita vt Mundus hypocritam te fortè clamitet, & ſimulatæ Pietatis virum, ad aliud ne migres, proſequere conſtanter in ſancto Fidei feruore, qui è principio viſus eſt rationi reſpondens, nulla pijs ab operibus te reuocent Mūdi vaniloquia; Cōfundētur enim omnes iniqua agētes, inquit Pſalmiſta, irrideant tibi quantùm velint Mundi cultores, cùm te ſanctis implicitum viderint negotijs, illudant, proteruo ſubſanent cachinno nam, *Dominus ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam*: Prou. 3. cum ſit *abominatio Domini omnis illuſor*: ibidem. Secundùm rationem igitur, & ſecundùm Fidem agere non pigeat, & pręter Diuina ad alia tranſire non audeas pręſidia, ſi qua tentatione Satanas nititur ad alia compellere, orationibus animam tuam munias, Deum ſupplex deprecare vt tibi det omnia ſecundùm Fidei rationem dirigere, ſanctiſque mandatis in ſubmiſſa animi ſimplici-

plicitate obtemperare, nec ad alia per vanam philoſophandi libidinem tranſire; gratias continenter rependе, quòd à principio, antequam fieres, Creatori viſum fuerit inter electas te ſui gregis oues connumerare, Fideles inter ſuos adſcribere, Sanctæ Matris Eccleſiæ vberibus lactare, tot Sacramentis reficere, tot miraculis excitare, tot exemplis allicere, tot deniq; virtutibus illuſtrare; hæc enim faciendo, omnia ſecundùm rationem feciſſe exiſtimabis, nec ad alia tranſire geſties, ſi perenni curabis oratione Deum in ſimplicitate cordis precari propitium, vt omne auertat (ſi quod fortaſſe pruriet) ad alias ſectas tranſeundi propoſitum. Hoc itaque modo Catholica confirmatus in Fide ſecundùm rationem tuo ſeruies Creatori, ac ſtante eo, quod tibi à principio viſum fuit, Fidelis Deo viuere non renues, nec ad alia tranſeundum duces; ſed conſtans in dilectione Legis ſecundùm rationem ſingula tua diſpones opera. De Mundo, es quiſquis ſis, & quidquid agas in ſeculo inſtitutum tuum, ſuſceptumque munus tuum in Domino exercere ſtudebis, & nulla doli, iniuriæ, vel inſcitiæ culpa liberalem, vel mechanicam artem tuam pro viribus excolere curabis. Si verò Religioni addictus, & Clauſtralis, ſat bene omnia ſecundùm rationem perages, ſi ſecundùm iurata Deo vota in eo, quod à principio tibi viſum eſt, inſtituto hilaris, & inculpatus viues, ac in plena, & integra manens ſuſceptæ regulæ obſeruantia ad aliam migrare non ſtudebis, nec ad ſeculum redire tentabis; ita quidem omnia ſecundùm rationem ages, neque ſi quid Clauſtrales inter auſteritates ſecundùm rationem non ſuccedet, ad ſecularia protinus remeare decernes auxilia. Caue igitur, ne ad alia tranſeas, ad ſecularia enim remigrans ſolatia, vereor ne de Clauſtro ad forum, de foro foris fracto obſeruantiæ vinculo ad liberos mores, mox proh dolor! ad hereſim profugus diuertas, ſed in eo ſtandum, quod à principio viſum eſt. Viſum fuit ante inſtituti ingreſſum ſubeunda eſſe ſingula regulæ onera, caſtigationes, ieiunia, macerationes, inedias, hec enim omnia cum ſecundùm rationem, & voluntatem Dei viſa ſint, ideo hilari animo acceptanda, & perferenda.

DISTICHON APHORISTICVM.

Fac bona, nec pigeat quamuis bona nulla ſequantur,
Nec bona, quæ Mundus dat, tua vota petant.

APHORISMVS LIII. SECVNDÆ SECT.

Quicunque aluos humidas habent, ſi iuuenes fuerint, meliùs degunt ijs, qui ſiccas habent, ad ſenectutem verò deteriùs degunt; nam ſeneſcentibus magna ex parte exſiccatur.

EXPOSITIO MEDICA.

SVas proſequitur Hipp. ſtatuere leges circa rerum non naturalium mutationes, & ſententiam reſumit aphor. 20. preſentis ſect. iam prolatam, vbi de varia alui diſpoſitione pro ętatum diuerſitate differens, humidas, & laxas aluos in iuuentute ſiccari ſtatuit in ſenectute; & è contra ſiccas, & adſtrictas in iuuentute laxiores fieri protulit in ſenectute; nunc facta inter vtramque mutationem comparatione quærit, & concludit, quæ magis ad bonam iuuenum, ſenumque valetudinem conferre videatur, iuuenes, inquiens, laxioris alui meliùs quidem degere, ſed in ſenectute non ita ſalubriter haberi, ſiccamque aluum ſenibus vtplurimùm familiarem, hancque magis commodam, quàm humidam; nec difficilis eſt ratio cur iuuenibus proficua magis cenſenda ſit aluus laxa, quàm ſicca; nam quò magis corpus ab excrementis expiatum ſeruatur, eaque liberè, & regulariter ſub debita quantitate eijciuntur, puriores tunc elaborantur humores, minor ſuccorum preternaturalium prouentus fit, & morboſi apparatus impedita, vel longiùs protracta occaſio: Vnde ſatius eſt iuuenes laxiorem habere aluum, quàm ſiccam, qui potiſſimùm comeſſationibus dediti plurima congerunt ſuperflua, quibus liberalior aluus ſuccurrit; inquit tamen Hipp. hos omnes non ita ſalubriter degere in ſenectute, cum de libera, & vtili excernendi conſuetudine in ſtrictam vtplurimùm tranſeant aluum, quæ mutatio cum prodeſſe, & obeſſe poſſit, exactè perpendenda, & videndum an ſub debito ordine, & proportione laxior iuuenis aluus procedente ętate ſenſim ad ſenectam vſque ſiccior eua-

euaſerit, an ſcilicet adſtrictio in ſenectute excedat, an naturæ conſentanea; etenim ſi modum exceſſerit, morboſa cenſenda eſt, & verum Hipp. axioma, quod qui liberalem habent aluum, in iuuentute bene habeant, malè vero in ſenectute. At ſi proportionata fuerit mutatio, ſenſimque de laxa in ſtrictam migrauerit, ſenectam ducet ſalubriorem cum ſenibus vniuerſis (vt concludit Hipp.) conducibilius ſit ſicciorem aluum eſſe, quàm laxiorem, quòd ſtrictior ex naturæ, non victus lege ſenibus aluus retentricem ſignet válidam, & vegetum adhuc viſceribus inſitum calorem, cuius opeliberè coctiones abſoluantur, nec excrementa, niſi digeſtâ, elabi ſinat, & excerni, denotetque vlteriùs ſenile corpus pituitoſis ſuperfluitatibus inteſtina de more laxantibus, quibus afflua ſenectus, minùs ſcatere.

EXPOSITIO MORALIS.

An præſtet inopem, vel diuitem mori.

Ditiores in iuuentute inopes vtplurimùm fieri in ſenectute, & è contra iuuentutis egeſtatem mutari frequenter in ſenij opulentiam diximus in vigeſimo morali huius ſect. commento: nunc repetita hypoteſi oſtendere ſtatuimus ex Hipp. mente quis in vtraque ętate ſalubrior ſtatus ſit, inopiæ ne, an opulentię. Quibus aluus humida eſt iuuentutem quidem percurrunt faciliùs, quàm qui eandem ſiccam habent, inquit Hipp. quibus ſcilicet arridens fortuna bonis affluit terrenis in iuuentute vita ſuauior, & tranquilla magis, qaàm quibus non arridens, arida, ſicca nullis abundat opibus, ſed illi, ſubdit Hipp. ſenectam difficiliùs tranſigunt, quòd per iuuentutem bona vt plurimùm prodigentes luxurioſè viuendo, laborioſam, egenamque poſtea ducant ſenectam miſerè victitando: Vnde ſiccam, & adſtrictam non rarò habent ſubſtantiarum aluum in ſenectute, qui laxam, liberamque nimis habuerunt in iuuentute. Cum verò Hipp. ſenes vniuerſos vtplurimùm ſiccas aluos habere pronunciet, & vtilem ſtatuat ipſis huiuſmodi conſtitutionem, in iuuenibus verò laxas, & humidas magis commendet, ſenſus hinc aphor. eſſe videretur in morali, ſatiùs eſſe iuuenes fortunæ bonis eſſe

refer-

refertos, ſenes verò diuitijs vacuos, & inopes in paupertate ſalubriùs viuere, quæ ſana inductio cum ſtatutę iam in nuper expoſito vigeſimo commento diſſona videatur,& nō parum repugnet, diſtinctione opus eſt, qua ſenſus vtriquè concordes fient, & ambæ integræ perſiſtent expoſitiones, ſi diuerſum coram Deo, & hominibus iuuenis, ſeniſque ſtatum diſquiramus, bona temporalia ab ęternis diſtinguentes. Fateor equidem, ſi bona ſpectemus terrena, ſatius eſſe coram hominibus vtramque ætatem in diuitijs duci; in humidiori etenim opulentiæ aluo ſalubriùs vtraque poteſt degere ſenilis, & iuuenilis ętas, ſenilis potiſſimùm, vt infirmam, & inualidam fulciat conditionem, neque vllo egeſtatis incommodo preſſa dies lętè claudat ſuos. At ſi bona attendimus ęterna coram Deo, ſalubriùs reor, & conducibiliùs, vt fortunę bonis minùs affluentes ſingulæ ducantur ętates, & ſicciores, vt annuit Hipp. habeant aluos, quàm terrenis humectatas diuitijs; ſenes præ cęteris, quos non immeritò Hipp. totaque Medicorum claſſis ſalubriùs vitam ducere ſtatuit, ſi ſiccas habeant aluos, ſi nulla nempe opulentię affluentia ſint referti. Et reuera,quò quis bonis temporalibus minùs humectatum, ne dicam inundatum ſeruauerit animum, & delicijs minùs addictum, minùs etiam extremum formidabit deceſſum,qui potiſſimùm ſenes huic propiores exiſtunt, qui ſanè, ſi nullis erunt opibus impliciti, & illaqueati, mortem minùs metuent, & quò minùs diuites, hilari magis eam cultu excipient, & poſtremam in quiete claudent diem: Singulari autem geſtiens lętitia de mortis vicinia magis gaudebit Mortalis, ſi nudus inter egeſtates ſepultus viuens, nihil in Mundo relinquens, lętus ęrumnoſam exuet vitam, de temporali miſeria æternas migrare ſperans ad diuitias, vt probabiliſſima coniectura ſtatuendum. Cum autem Hipp. in pręf. aphor. ſententiam protulerit de ijs, quæ non perpetuò, ſed vtplurimùm contingunt, vt ſentiunt interpretes, placet etiam quod ſentio de ſalutari magis iuuenis ſeniſque ſtatu per inopiam, quàm per diuitias, tanquam magis tutum, & frequentiùs contingens ad animi ſalutem pronunciare, tum interim non inficiabor, quod diues etiam ſenex, & iuuenis poſſint iuſtè viuere, & Diuina gratia ſpecialiter inſigniti in Domino mori, qui præſertim bona temporalia poſſidentes in terris per bona opera theſaurizare didicerunt in Cęlis, qui

ſcilicet

ſcilicet humidas diuitijs aluos, & plena marſupia, eleemoſynis ſiccare, & per manus pauperum, aut pias alias functiones pręmittere ſurſum ſtuduerunt: hi ſiquidem ſenes,quamuis humidas habeant aluos, & opulenti deceſſerint,ſalubriter tamen degunt, de ſalute ſcilicet ęterna magis curantes. At cum perpauci admodum ſint, qui humidas opibus aluos in ſenectute bonis ſtudeant operibus exſiccare, ſed è contra congeſtas curent tenaciter adſeruare, licet hi coram hominibus ſalubriùs viuere videantur, coram tamen Deo peſſimè degunt, cum diuitijs inuoluti in ipſis totam demergant animi potentiam, & de proxima mortis hora vix memores, & ſolliciti nullis ad illam parari conſulant exercitijs: Vnde in diuitijs conſepulti vix ad Cęlos mentem ſubleuantes, ab inferioribus tractam, ac reuocatam commodis, ad Inferos tandem deſcendunt, ęternam Cęleſtium bonorum deplorabilem facientes iacturam. Vnde diuites vniuerſi, ſi humidas, & diuitijs affluas aluos pijs, ac Chriſtianis nullis exinanire, ſiccare, & extenuare operibus curant, Cęli ianuam ſibi claudunt, cùm Diuino ſancitum ſit oraculo, facilius eſſe camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum Cęlorum. Conſtans propterea ſententia,coram Deo conducibilius eſſe vniuerſos inopia exſiccatos, quàm opulentia affluentes è viuis diſcedere.

DISTICHON APHORISTICVM.

Vt vitam latè claudant iuueneſque, ſeneſque,
Diuitijs vacuos præſtat vtroſque mori.

APHO-

APHORISMVS LIV. SECVNDÆ SECT.

Vt traducenda iuuentute liberalis, & ſpecioſa corporis magnitudo, ita ſenectuti inutilis, & paucitate deterior.

EXPOSITIO MEDICA.

QVæ corporis ſtructura iuueni, ſenique laudabilior ſit in habitu, mole, figura, & magnitudine, vel paruitate; quæ procera potiſſimùm, aut breuior corporis ſtatura aptior naturæ commodo, & decori conueniat, declarat Hipp. in præf. & comparatione facta inter altam iuuenis, & altam ſenis ſtructuram, & inter vtriuſque ętatis medium, concludit proceram, & altiorem corporis ſtaturam ſpecioſam quidem eſſe in iuuentute, at inutilem, quin immo moleſtam fieri in ſenectute, quòd altioris molis ponderi ſuſtinendo ſpiritus, & vires ſenibus non abundè ſuppetant, quo fit vt incuruato corpore, quæ per iuuentam formoſa fuerat proceritas ob corporis rectitudinem, deformetur in ſenectute per curuitatem: Vnde corporis magnitudo, & altior ſtructura, niſi ſecundùm triplicem dimenſionem in alto, lato, & profundo ſeruetur proportio, vitio potiùs danda, quàm eiuſdem paruitas, niſi pariter hæc in nimia conſiſtat exilitatis figura, quæ tunc non minùs vitioſa, quàm nimia proceritas. Quamobrem ſtatura, quò magis à ſymmetra, & quadrata deflectit, eò magis vitio dãda, ſed inter vtrãque magnam, & paruam non longè à ſymmetra recedentem vtilior, & laudabilior eſt parua, quàm magna; ſtrigoſior, & gracilior, quàm obęſior, & plenior, cùm gracilior corporis ſtructura animę functionibus obeundis lucidiores, ac vegetiores miniſtret ſpiritus, ex quibus ſagacitas, prudentia, & perſpicacitas mentis, iuxta dictum Philoſophi, ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus.

EXPOSITIO MORALIS.

Humanæ ſortis altitudo in iuuentute ſit ſæpe inutilis, & moleſta in ſenectute.

MOralem antec. aphor. expoſitionem probare videtur Hipp. in præf. & altiùs mortalium auribus inclamare corporis magnitudinem, magnam ſcilicet, & affluentem rebus in terrenis ſortem, diuitiarum potiſſimùm vbertatem, & dignitatum ſublimitatem ſpecioſam quidem eſſe in iuuentute, at in ſenectute ſępe inutilem, & non modò moleſtam, ſed & pernicioſam: Neque procul eſt ratio, quam medicus ipſe ſuggeret ſenſus; ſicut enim formoſa corporis proceritas in iuuentute ideo moleſta, & inutilis cenſetur in ſenectute, quòd ad regendam altiorem corporis molem vires non ſufficiant, ſed ſub impari grauitate ſenem cogant incuruari; & decoram dudum rectitudinem in gibboſitatem vertere; ita quidem diuitiarum, ac dignitatum ſublimitas, & magnitudo ideo ſenibus incommoda, quòd, dempta quandoque ęqua animi rectitudine, ad faſtus, ad opes adeo incuruari alliciat, vt prę Fidei imbecillitate inflexam ad terrena mentem, curuatum ad illicita cor ſurſum erigere ferè prohibeat, oculoſque in mundana defixos attollere vix ſinat in Cęlos; altiori enim & dignitatis, & opulentiæ moli regendæ quaſi impares, cum plùs ſenes ab opibus regantur, quàm ipſas regant, ad mortalia, & caduca curui ſemper, & gibboſi, humi mente proſerpunt, donec ad petram tumuli offendentes ſempiterno corruant lapſu.

Specioſa quidem diuitiarum proceritas in iuuentute: Spectabilem exhibet maieſtatem, at diuerſam peribet ſępe imaginem in ſenectute altitudo, & moles omnis honorum, in his potiſſimùm, qui curuo ad Mundum corde, curua ad rapacitatem manu, curuis ad carnalia deſiderijs, gibboſi decedent.

Neque minùs ſpectabilis, & ſpecioſa diuitiarum comes alta dignitatum ſtatura, ſtatus nempe quilibet in excelſo facultatis alicuius, & miniſterij poſitus; quæ ſanè per iuuentutem dignitatis, & officiorum proceritas ſpecioſa nimis, & iucunda; dum validæ ſci-

licet ad ſuſtinenda dignitatis onera corporis , animique conſtant vires ; at cùm ſenectus irrepſerit , dum vtriuſque robur ad explenda dignitatis , & officij munera languet , tanta rerum agendarum proceritas , & magnitudo nonmodò importuna , ſed perniciofa , quòd neceſſariam ſenili animo ſubtrahat tranquillitatem, viriumq; robur diſſoluens acceleret interitum. Quicunque igitur per iuuentutem alta fuerit in dignitate conſtitutus, ſeneſcens videat exactè num veteri ſuſtinendo officio corporis , & animi vires ſint ferendo ; ſi fortè collabi, vel impares ſentiet vtraſque ſibi minùs inſeruire , nec pro dignitatis debito ſuſceptum munus regere poſſe comperiet, per aptiorem exercendum cûret, ne de malè miniſtrata facultate dignitatis Deo rationem ſit redditurus ſtrictiſſimam : quippe curis, & honorum oneribus minùs oppreſſus ſenilis animus ad contemplandam ęternæ ſalutis dignitatem faciliùs poterit eleuari ; cum fatigatos officiorum grauitate ſenes deceat , ſæculari omni depoſita ſollicitudine,& dignitatum ſpecioſitate , in ſuauiſſima corporis , mentiſque tranquillitate verſari , & æterno tantùm incumbere ſalutis negotio , curamque totam in reuoluenda ſui ſinis vicinia impendere ; hoc ipſum quidem eſt , quod ſenibus ferè vniuerſis per ſuccreſcentem corporis curuitatem oſtendere videtur natura, vel mauis per hanc Deus gibboſos cogens ad demittendos ſępius oculos in terram , vt lutum , pulueremque videntes , ex quibus conflata , & in quæ ſua proximè reſoluenda ſunt corpora , meditentur, horreant, & propria medullitus inſpecta miſeria , ad mortis memoriam mentem curuare diſcant , antequam moriantur, methodumque eliciant ex Regio Pſalmiſta , qui propriam noſcens miſeriam , ad ſui finis vſque memoriam incuruari didicit, & humiliari , vt pſal. 37. confeſſus hiſce dolens exclamabat notis; *Miſer factus ſum , & curuatus vſque in finem* , in profundam nempe mortis meditationem : Hæc ſanè ſalutaris incuruatio , hæc vtilis animæ gibboſitas , in cuius contemplationem vniuerſos incuruari expediret , ſeneſcentem potiſſimùm animam . Nec abſurda videatur aſſertio quòd immortalem animam ſeneſcere proferam,cum Hieron. ipſe eã ſenem pronunciet cùm refrigeſcit in ea Charitas , infirmatur Virtutis robur, ad Pietatis officia ſegnior fit , & torpida, ac ſcelerum habitudine , prouecto velut ſenio , conficitur . Hoc itaque modo

ſeneſcit

ſeneſcit anima, quòd ad nequitiam curuas habeat potentias, terramque colat, & videat; non quatenus corruptibile corporis elementum, ſed tanquam temporalis felicitatis ęrarium, & humanis malit idolis incuruari, quàm ad Diuinam flecti Maieſtatem, in cuius Nomine omne genu flectitur Cęleſtium, terreſtrium, & inferorum; ſic iunior ſpecioſaque olim anima per innocentiæ proceritatem, ſenio confecta per peccatum, gibboſa fit coram Deo, curua, deformis, & indecora, iuxta Ioan. Neouij ſenſum lib. de pulchr. animę, cap. 5. qui nihil deformius anima peccatrice, vitijſque deturpata dari poſſe oſtendens, ipſam gibboſam delineat, & curuam. Et reuera curua dicitur, cùm ſpiritui minùs conſentiens ab amore Dei, Cęleſtiumque ſtudio ſe totam ad carnalia deſideria incuruauerit; nam cum animam, iuxta Chriſti, Paulique præceptum, ea, quæ ſurſum ſunt, ſapere, erectaque in Cęlum mente, Cęleſtia contemplari oporteat, ſi hæc in corporis cęnum ſe ſe volutauerit, omneſque cogitationes ad fluxiles huius Mundi delicias conuerterit, abſque iniuria, curua, & obliqua cenſenda. Curet igitur vnuſquiſq; ſpecioſam animæ proceritatem à iuuentute virtutibus ornatam ad vltimum vſque ſenium ſeruare venuſtam, in ea ſcilicet innocentiæ figura pro viribus erectam cuſtodire, quam Deus infantili tribuit ętati, cauendo ſedulò ne decoram animæ rectitudinem quis triplici, quo circumuallatur, curuari ſinat ab hoſte: Ita nec gibboſus, nec obliquus, neque crimine curuus, cum vias rectas, per quas Iuſtum deduxit Dominus, pertriuerit omnes, confecto in Iuſtitia ſenio, æternę felicitatis adibit ſcopum, ad quem, toto incuruatus animo, Deum precor, vt det viatores vniuerſos poſſe tandem in Cęleſti patria comprehenſores collimare, Qui mihi rem Medicam, Moralemque ſimul indignè tractanti Miſericors dedit potuiſſe terminum rudiori huic ponere lucubrationi, quam totam Deo Viuo, Immortali, Trino, & Vno, Deiparęq; Virgini, eiuſq; Sponſo, humili corde, conſecro, & dico.

DISTICHON APHORISTICVM.

Curua fit in ſenio dudum procera iuuentus,
Vt terram inſpicias, qua tumulandus eris.

FINIS.

EPIGRAMMA.

SCripta placent, hæc, Cælo grata, ſalubria Mundo,
Illuſtris præli cenſeo digna typis;
Deſinit in centrum tibi linea quæque ſalutis,
Luce ſub Auctoris ſi bene carpis iter;
Hoc feret ad ſanam mentes,& corpora metam,
Quam Sacer, & Medicus Ductor adire docet:
Solue Deo, reddaſque Coo pro munere grates,
Quò vitam ad geminam dat BARISANVS iter.

Frater Clemens à S. Cecilia Carmelita
Sacra Theologia Magiſter.

EPIGRAMMA.

HIppocratem Medico-Moralem dat BARISANVS,
Hoc opus eximium Candide Lector habe;
Hoc Præſul, Medicus, Prætor, tractetq; Sacerdos,
Sepius & iuuenis perlegat, atque ſenex:
Quiſquis ades, prælo dignum non deſpice librum;
Corporis, atque Animæ ſi tibi cara ſalus.
Regales ſeruat leges, atque integra iura
Principis, eiuſdem ſacraque iuſſa colit:
Hoc refero, quoniam qui Cancellarius adſtat
Magnus Buſchettus ſic mea vota petit.

Iacobus Franciſcus Arpinus Regiæ ad. Celſitud. Conſiliarius, & Medicus à Cubiculo.

EPIGRAPHE.

ORta polo diffuſa ſolo Iatria refulſit
Olim ſacratæ nobile ſtirpis opus;
Illius hinc quanti populi fecere Miniſtros
Conſtat,ſi Medicos excoluere Deos.
Corrupere ſuos ſed poſtquam tempora mores,
Quid non deturpant ora profana ſacrum!
Iatriam primo reddis BARISANE decori,
Moralem, & Medicum dum facis Hippocratem.
Per Te iterum recipit Medicinæ regula ſacrum,
Corporis, atque animi ſi valet eſſe ſalus.

Ioſeph Maria Reuellus Doct. Colleg. Phil. Med. I. V. D. Almæ Vniuerſ. Profeſſ. ac pro S. Offic. libror. Reuiſor, & Cenſor.

INDEX

INDEX

RERVM MEDICARVM NOTABILIVM

Quæ in hoc Opere continentur.

A

A B initio morbi ad ſtatum vſque quo ſubtrahendus ordine cibus ſit pag. 90
Ab extremo ad extremum ſenſim, & per gradus, ac medium eſt trãſeundum. 395
Abſque congrua diæta ferè irrita omnis curatio. 31
A cibo quo tempore abſtinendum. 49
Ætas plùs, minuſuè inediã ferens quę. 58
Ætates non annorum numero, ſed virium robore definiuntur. 59
Ætatibus ſingulis ſua reſpondere debet alimenti proportio. 58
Ætatum mutatione mutari et alui diſpoſitiones. 223
Æſtate, & Autumno cur cibi difficiliùs ferantur. 85
Alendi indicatio principalis vnde deſumenda. 78
Alimenta qua anni tempeſtate plura competant, & ferantur. 68
Aluus ſicca in iuuentute curhumida fiat in ſenectute. 224
Aluus in ſenibus ſiccior humidiori vtilior. 404
Antequam purgatio inſtituatur quid perpendendum. 115
Apoplexiæ ſpecies. 342
Apoplexia fortis quæ. ibid.
Appetentia, & inædia quo morbi tempore commendabilior. 288

B

Bene ſe habere ad oblata naturalem, & animalem ſonat appetitus incolumitatem. 294

C

Cathartica cur in acutis raro conueniant. 115
Cautio propinandi vinum in magna fame, ſeu bulimo. 189
Celeres nutritiones non celeres ſemper ſequuntur excretiones. 211
Cibus qua cautione mutandus. 45
Cibo ſumpto non proficere vnde quærenda cauſa. 282
Ciborum promptè nutrientium quomodo celeres ſubſequi debeant excretiones. 211
Cibus deterior quando meliori præferendus. 321
Conferre, & leuiter ferri quid. 4
Conferri debent ad inuicem paroxiſmi, ſi de ſtatu morbi tutò præſagiendũ. 53
Conſuetudini, tempori, regioni, & ætati quidquam in cibatione condonandum. 79
Conſuetudo in omnibus ſpectanda. 385
Conſuetudo quando mutanda. 386
Conſueta mala minùs infenſa. 390
Conſuetudinis vis, & energia. 391
Contrariorum ratio ſemper ſeruanda. 233
Corporis macies quid ſignet in morbis. 286
Corpora impura quæ. 162
Cum quis purgandum decernit, quid ſpectare debeat in morbis. 105
Cum præmeditatione purgandum quid ſonet. 115
Cur, & quando circa principia, & fines omnia leuiora. 277
Cur nox, non dies, ex Hipp. antecedens criſim moleſtior. 182

D

D Elirij remiſſioni non ſemper fidendum. 127
Deſtillationes in ſenibus omnes omninò fæ. 332
Dies decimuſquartus cur acutorum terminus. 238
Dies verè contemplabiles qui. 244
Dolores cùm plures inſunt quomodo alter alterum obſcuret. 369
Doloris acuties quibus ex cauſis. ibid.

Epilepſia

E

Epilepſia laborantes quam poſſint curationis ſpem concipere, & ex quibus. 361
Epilepſiæ curatio quibus antea ſit animaduerſionibus adeunda. 363
Excrementorum mutationes in alui profluuijs quando iuuare dicantur. 188
Excrementorum mutatio in praua quid ſit, & quid portendat. ibid.
Extenuata corpora reſtaurandi ratio. 152
Extrinſecæ, vel intrinſecæ diſpoſitiones ad recidiuam quæ. 177

F

Fames vini potu quando ſoluatur. 228
Fames labores renuit. 200
Fida leuamina in morbis quæ ſint, & quibus conſtare debent notis. 163

G

Grauedines in ſenibus cur difficilè curentur. 332
Gibboſitas ſenibus familiaris. 411

H

Habitus corporis qui laudabilior. 304
Habitus corporis obæſior gracilioribus magis diſcriminoſus. 355
Habitus obæſus à carnoſo diſtinguendus. ibid.
Habitus corporis denſus quibus obnoxius morbis. 356
Habitus corporis qui plus reſiſtat. ibid.

I

Impatiens cur fruſtretur remedij emolumento. 400
Impuris corporibus quibus moleſta nutritio. 162
In acceſſionibus, & exacerbationibus febrium cur à cibo abſtinendum. 49
Indulgendum quandoque ægrotanti, & quando. 320
Influentis ad effluxum ſeruari debet proportio, & quomodo. 151
Initio morborum cur non purgandū. 105
In quibus poſſit in ipſis acceſſionibus cibus offerri. 49

L

Laboris, & exercitationis meta. 380
Labores latentes in corpore apparatus excitant morboſos. ibid.
Laſſitudo quælibet quid præſagiat. 141
Liber, & ſanus nullis ſe Medicinæ legibus obliget. 310
Liquidis, quàm ſolidis vires promptiùs recreari. 172
Loca conferentia purgationi quę. 100

M

Medicum præſtat conſtantem eſſe in ſtatuti ſecundùm rationem remedij miniſtratione. 400
Medicus quando mutare teneatur curationem. ibid.
Medicum præſtat neque nimis audacem neq;nimis meticuloſum eſſe. 263
Mentis leſio quomodo ex dolore dignoſcatur. 146
Mente conſtare quid ſonet. 293
Mentis fatigatio nimia vitanda. 381
Morbi cuiuſuis ſtatus quomodo prænoſcendus. 53
Morbi ab inanitione cur pauciores. 233
Morbi magis, minuſque periculoſi vnde. 299
Morbi motus prout tardus, vel celer variat nutritionis rationem. 45
Morbi ſtatus dat regulam victus. 31
Morbus extremus quando nullo tractandus remedio. 25
Morbus magnus, & vires infirmæ quam victus rationem deſiderent. 79
Morbus cùm morbo ſuperuenit quid conſiderandum. 259
Morbus quando celeriter moueri dicatur. 236
Motus, & fatigatio corporis quibus interdicenda. 200

N

Natura, vel ars ſi deuiet à recta vacuationum via, quid ſequatur. 100
Natura quęlibet cognatas habet morborum ſpecies. 299
Naturalis regionis ſtatus in morbis omnibus explorandus. 304
Naturæ inclinatio in vacuationibus ſemper attendenda. 95
Naturæ molitiones primę ſemper ſpectandæ. 238

Ni-

Nihil in morbis contabeſcere quid indicet. 268
Numerus, & dignitas dierum ſpectabilis præſertim in morbis. 243

O

OBſeruandas eſſe naturæ diſpoſitiones ad vtramq; criſim vniuerſalem, & particularem. 95
Obſeruationes in mutationibus omnibus neceſſariæ. 395
Omnia ſecundùm rationem facere quid ſonet. 400

P

PArtes ad imum ventrem attinentes cur craſſiores præſtet eſſe, quam gracilio-res. 304
Partium conſenſus noſcendi, vt de legitima vacuatione iudicetur. 100
Paulatim quod fit, cur tutum. 397
Præparationis variæ ſunt formæ. 167
Prædictiones incertas quid faciat in morbis. 217
Prognoſis cautè debet pronunciari. ibid.
Purgatio humoris non vitioſi quæ mala proferat. 4
Purgationes pro temporum mutatione varias inſtitui debere. ibid.
Purgationis laudabilis effectus. ibid.
Pueri cur plurimis, ſenes verò paucioribus cibis egeant. 62
Pueris cur in victu indulgendum. 16
Purgationem quæ preire debeant præparationes. 167
Purgatio ſemper in ſanis calamitoſa, & cur. 310
Purgationes voluntariæ non ſemper leui occaſione ſuſcipiendæ. ibid.

Q

QVando nihil mouendum, vel nouandum in morbis. 95
Quartanæ breuiores, & longiores quæ, & quibus ex cauſis. 254
Quartanæ hyemales, ſi curentur, deterioris fiunt indolis. ibid.
Quando circa morborum principia mouendum, vel non. 272
Quid præter excretiones in cutaneis affectibus obſeruandum. 194
Quid cocti, quid crudi nomine Medicis. 105

R

REcidiuam quid præſagiat. 177
Refectiones extremæ periculoſæ. 10
Regionis cuiuſque quomodo deprehendenda ſint vitia. 157
Regula, & metrum dignoſcendi exceſſus omnes in ſex rebus nõ naturalibus. 205
Remedium par morbo. 20
Renutritionis impedimentum præcipuũ quale ſit poſt morbos. 157
Reſtauratio virium vt fida ſequatur ex cibo quid ſpectandum. 282

S

SAna corpora cur ęgrè ferant medicationes. 315
Senes parca, frequenti, ac exquiſita menſa alendi. 62
Senes cur minùs egrotent. 326
Senes cur morbis longis correpti rarò conualeſcant. 327
Sex res non naturales in quibus debeant moderatè ſumi. 137
Somnus naturalis quibus legibus definiatur. 123
Somnus quando in malis habendus. ibid.
Somno delirium ſedari bonum quando, & quibus in morbis. 127
Somni, & vigiliȩ exceſſus damna. 131
Suffocationis præſagia. 346
Suffocatis cur ſpuma circa os appareat. ib.
Summum purgandi præceptum vnde. 4
Summa ſanitas ſummum diſcrimen. 10
Summa corporis plenitudo quæ pericula minetur. ibid.
Syncopes, & exolutio ſine cauſa frequẽs, & fortis repentè perimit, & cur. 336

T

TEmpora morbis aptanda quæ. 277
Temporis opportunitas in medendo quanti ſit momenti. 272
Turbatio critica quando moleſtior. 182

Vacua-

V

Vacuationes extremæ diſcriminoſę. 10
Vacuationum omnium metrum vires ſunt. ibid.
Victus tenuis in acutis, & plenior in chronicis qua animaduerſione ſtatuendus. 16
Victus plenioris damna minùs diſcriminoſa, & faciliùs reparantur, quàm tenuioris. ibid.
Victus tenuioris error grauior. 20
Viuendi legibus exactiſſimis non aſſueſcant corpora. ibid.
Victus ratio cur tot in aphor. exactè adeò ab Hipp. tractetur. 31
Victus peracutorum quis, & qualis competat. ibid.
Victu tenuiſſimo quando vtendum. 35
Victus ad vires eadem proportio ſicut remedij ad morbum. 41
Victus, & remedij quantitatem iuſtam aſſequi difficile. ibid.
Vires omnes perpendendæ antequam de cibatione ſtatuatur. ibid.
Vires reſolutæ ab oppreſſis diſtinguendæ. ibid.
Vita longior quibus. 855

FINIS.

Menda.	*Emenda.*	
auctorum	acutorum	pag. 94. l. 3
ætate	æſtate	pag. 54. l. 14
acceptabile	acceptabilem	pag. 59. l. 9
ætate	æſtate	pag. 86. l. 9
ætatis	ætates	pag. 223. l. 3
annui	anni	pag. 362. l. 12
cogitationes	mutationes	pag. 191. l. 3
abſiſtente	obſiſtente	pag. 207. l. vl.
cum correctio	correctio cum	pag. ibid.
conualidandum.	conualidandam.	pag. 41. l. 20
doceant	doceat	pag. 198
diſtenſos	diſtentos	pag. 11. l. 9
expange	expunge	pag. 94. l. 3
flaueſcente	flacceſcente	pag. 60. l. 5
inſcita	inſcitia	pag. 96. l. 8
indicans	iudicans	pag. 100. l. 16
inueſtigabiles	ininueſtigabiles	pag. 220 l. vl.
illa	illia	pag. 305. l. 17
morboſa	morboſis	pag. 228. l. pr.
mentes	menſes	pag. 8. l. 18
noſte	nocte	pag. 76. l. 19
numeratiua	memoratiua	pag. 12. l. 12
percurrat	præcurrat	pag. 61. l. 8
proportio	propenſio	pag. 72. l. 16
proximis	paroxiſmis	pag. 91. l. 4
progreſſa	prægreſſa	pag. 152. l. 1
quæ criſim	criſimque	pag. 105. l. vl.
retenſionibus	retentionibus	pag. 188. l. vl.
ſpiritum	ſpirituum	pag. 268 l. 9
tot	quot	pag. 187. l. 2
tubiſtet	ſubſiſtet	pag. 164. l. 10
ſic	ſi	pag. 23. l. 17
abſtine	abijce	ibid.
vt liber	liber vt	ibidem.

B 736
V